

Chas. Short
1868.

ARTURI JONSTONI

PSALMI DAVIDICI

CUM

ARGUMENTIS ET NOTIS,

JUXTA EDITIONEM

IN USUM

SERENISSIMI PRINCIPIS.



LONDINI:

Apud W. INNYS, D. BROWNE, et PAUL. VAILLANT
BIBLIOP.

Typis *Gul. Bowyer.*

M.DCC.XLI.



ARTURI JONSTONI

PSALMI DAVIDICI.

I.

FELIX, confiliis qui nec feductus iniquis
Per fcelus impuro cum grege carpit iter:
Nec, quibus Impietas infiftit, paffibus hæret;
Nec poftica tuum Sanna fedile premit!

2. Mente

ANNOTATIONES.

Hic Pfalmus eft generis didactici, *quo* nempe de felicitate piorum, malorum autem infelicitate *docemur*; et conftat ex duabus partibus, *Propofitione*, fcilicet, et *Confirmatione*. *Propofitio* prioribus quinque verfibus continetur, et *Confirmatio* verfu ultimo.

1. *Felix*] Vox Hebraïca *Afchre*, cui refpondet *felix*, tantam vim habet, ut nequeat Latinè fatis exprimi, nifi per circuitum; quafi dixeris, *illius funt felicitates*, Anglicè, His are Happineffes.

Grege] De hominibus non minus quàm animalibus adhibetur hoc vocabulum. Sic, *Oratorum* grex, *Cic.* i. *Verr.* 49. *Unum hoc vos oro, ut me in veftrum* gregem *recipiatis*, Ter. Eun. v. ix. 54. *Epicuri de* grege *porcum*, Hor. 1 Ep. iv. 16.

Carpit iter] *Carpere iter* eft idem quod *ambulare*. Ita *Hor.* 2 *Carm.* xvii. 12.

Utcunque præcedes, fupremum
Carpere iter *comites parati*.

In hoc loco eft *Metaphora* fumpta a viatoribus, et idem fignificat ac *degere vitam*.

Impietas] *Impietas* hîc perfonam induit, pro *Impius*, ex ufitato Poetarum more, apud quos crebro invenire licet virtu-

B tes,

2. Mente sed ætherei meditatur jussa Parentis,
Seu nox est, roseo seu micat axe dies.
3. Arboris in morem surget, felicibus auris
Quæ viret, ad ripam lene fluentis aquæ;

Cui

ANNOTATIONES.

tes, vitia, affectiones animi, et multa alia ejusmodi, hoc modo exhibita. Ita Virgilius sub personæ formâ *Famam* depingit, in loco notiore quàm ut recitatione egeat: et *Pudicitiam* etiam ut personam effingit, *Ante, Pudor! quàm te violo*, Æn. iv. 27.

Postica Sanna] *Sanna* significat, *Derisum aliquem, gestu mimico expressum*. Quicquid post nos est, *Posticum* dicitur; cui opponitur *Anticum*, quod ante nos est. *Postica sanna* igitur est *gestus ridentis aliquem a tergo*; ut apud Persium, Sat. i. 62.

——Posticæ *occurrite* sannæ.

Idem etiam notandum de *Sanna*, quod in priore Nota diximus de *Impietate*, quod scilicet *Sanna* personam induat, et sumenda sit pro *Sannio*. Sed insuper hîc observare est Figuram, quam vocant *Apostrophen*, per quam Poeta, ad stylum suum variandum et magis animandum, *Sannam* ut personam coram alloquitur. Eâdem figurâ utitur Virgilius, *Geor*. ii. 96. Postquam plures species vitium recensuerit, unam nominatim, per *Apostrophen*, hoc modo affatur:

— *Sed quo te carmine dicam*,
Rhætica!

2. *Seu nox est, roseo seu micat axe dies*] Elegans hæc est *Antithesis* et *Amplificatio* pro *assiduè*, ut apud Maronem:

Noctes atque dies *patet atri janua Ditis*.

Dies hîc ponitur pro *Sole*, effectus scilicet pro causa. *Axis* sumitur pro *curru*, pars nempe pro toto per *Synecdochen*; quod etiam observandum est de *æthereo Parenti* linea præcedente, ubi *æther* ponitur pro toto cœlo, quamvis propriè purissimi aëris in cœlis regio sit; sic apud Maronem *æthere summo* et *vertice cœli*, synonyma sunt, *Æn*. i. 227, 229.

Roseo idem est ac *splendenti*, nam *rosei* et purpurei colores, utpote rutilantissimi, ponuntur apud veteres pro clarissimo quovis colore. Ita Virgilius, de Venere loquens, ait, *Roseâ cervice refulsit*, Æn. i. 406. Et *mare* purpureum vocat, *Geor*. iv. 373. ut etiam Horatius, *Olores* purpureos, 4 *Carm*. i. 10.

3. *Arboris*, etc.] Physici observant arbores, quas vocant *aquaticas*, omnium maxime esse luxuriosas; et, inter omnes aquaticas, palmam excellere; quæ arbor abundabat in Judæâ: unde verisimile est palmam hîc intelligi, ad exemplum Psal. xcii. 12. *Gens pia florebit, victricibus æmula* palmis. Huc accedat, quod arbor de qua hîc agitur, *non perdere folia* dicitur, quæ quidem qualitas optime convenit palmæ, cui decerpto fructu, folia non decidunt.

Felicibus auris] *Aura*, inter alia ponitur pro *aere*, sive *cœlo aperto*,

Cui tempestivis curvantur brachia pomis,
Nullaque vernantes decutit aura comas:
Illius adspirans votis clementia cœli
Omnia propitio sidere cœpta reget.
4. Non ita gens exlex, paleæ sed solibus ustæ
Instar erit, volucri quam rotat orbe Notus.
5. Judicis hæc solium fugiet, cœtumque piorum,
Ultima cùm dirimet fasque nefasque dies.
6. Nam probat astrorum Rector vestigia justi,
Diraque cum domino fraus peritura suo est.

ANNOTATIONES.

aperto, ex auctoritate Virgilii, *Æn.* i. 59.

Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Per *felicibus auris* igitur intellige *in placido aere*, vel *in sereno climate*.

Lene] *Lene* vel est adverbium, vel potius adjectivum adverbialiter sumptum; Græcorum more, quem sæpius imitatur Virgilius. Ut, *Æn.* vii. 394. *Torvum clamat*, pro *torvè*; et *Æn.* ix. 794. *Acerba tuens*, pro *acerbè*.

Cui tempestivis] *Cui* est dictio elegans et poetica pro *cujus*. Ita Virgilius de Tityo loquens, *Æn.* vi. 596, ait,

— *Per tota novem* cui *jugera corpus*
Porrigitur.

Brachia —— *comas*] Arboris *brachia* sunt rami, et *comæ* folia; per *Metaphoram* sumptam a corpore humano. Utriusque exemplum sume ex Virg. *Geor.* ii. 368. Ubi loquitur de vite,

— *Tum stringe* comas, *tum* brachia *tonde*.

Adspirans] *Adspirare* idem est quod *afflare*, et proprie dicitur de vento secundo, quo aspirante navis ad portum optatum feliciter tendit. Quo sensu utitur Virg. Aspirant *auræ in noctem*, *Æn.* vii. 8. Inde *Metaphorice* sumitur pro *favere*, sive *auxilium præbere*.

—Adspirat *primo fortuna labori*, *Æn.* ii. 385.

Propitio sidere]
Propitiosque *Deos in sua fata vocat*. Claud.

4. *Solibus ustæ*] *Solibus* in plurali numero utitur, ut maximum temporis æstivi ardorem exprimat. Vrig. *Geor.* i. 65.

— *maturis* solibus *æstas*.

Notus] *Notus* hîc per *Synecdochen* ponitur pro quovis vento, exemplo optimorum Poetarum.

—*Tendunt vela* Noti, *Æn.* iii. 268.

Nam tulit iratos mobilis unda Notos, *Prop.* iv. vi. 28.

6. *Astrorum Rector*] *Cœli moderator*, per *Synecdochen*, ut supra; nam *astra* hîc ponitur pro toto cœlo.

Vestigia] *Metaphora* hîc, ut supra in primo versu; nam *vestigium* propriè significat *notam* vel *impressionem a pede factam*, hîc autem *vitæ institutum*.

Fraus] *Fraus* hîc nequitiam vel scelus in genere significat. Quo sensu occurrit etiam apud Cicer. pro Rabir. *Capitalem* fraudem *admittere*. Et contra, *fides, justitia, integritas* pro virtute in genere sumuntur.

II.

CUR populus sine lege fremit? cur mente volutat
Non profecturas turba nefanda minas?
2. In Dominum, Regemque, caput cui tinxit olivo
Dextra Patris, bellum gens trabeata parat.
3. Eja! alacres aiunt, nodos rumpamus ahenos,
Nos quibus hi stringunt, impediuntque pedes.
4. Hæc Pater æthereus superâ ridebit ab aulâ:
Accedet sannis ira, furorque comes.

5. Fræ-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus, ut superior, est generis didactici, cujus partes sunt tres, *Propositio* sive *Exordium*, ad versum quartum; *Narratio*, a versu quinto usque ad decimum; et *Conclusio*, inde ad finem Psalmi.

1. *Volutat*] Vox Virgilio usitatissima —— *Secumque ita corde* volutat, *Æn.* iv. 533. Vid. *Æn.* vi. 185. *Æn.* x. 159. et xii. 843. Significat rem sæpiùs animo versare, iterum iterumque volvere, et solicitè de ea cogitare.

2. *Cui*] Vid. Psal. i. 3. de hac loquendi formula.

Tinxit olivo] Mos erat antiquitus non minus res quàm personas *oleo* imbuere; unde legimus, Jacobum *oleo* perfudisse saxum, super quo dormiverat, memorabili illa nocte, qua Deum per somnum viderat, *Gen.* xxviii. 18. Sed præcipuè invaluit consuetudo Reges *oleo* consecrandi; unde Samuel, ex ipsius Dei mandato, Davidem inunxit *oleo*, in symbolum inaugurationis, 1 *Sam.* xvi. 13. Qui mos ad alias gentes serpsit, et in hunc usque diem perdurat.

Gens trabeata] Elegans periphrasis pro principibus et magnatibus terræ. Servius in *Æn.* vii. tria *Trabearum* genera fuisse ostendit: unum e sola purpura, Diis consecratum; alterum e purpura non sine albo, quo Reges usi fuerunt; tertium Augurale, e purpura et cocco. *Trabea* sic dicta, quia multis fasciis, instar trabium transversis ac discurrentibus, ornaretur.

3. *Eja!*] *Eja* est exclamatio hortandi et festinandi. Eja *age! rumpe moras*, Æn. iv. 569. *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros: Hostis adest* eja! *Æn.* ix. 37.

4. *Accedet*] *Accedere* pro insuper addi, adjungi vel augeri, duntaxat in tertiis personis usurpatur. *Illud quoque nobis* accedit *incommodum.* Cic. pro Quinct. iii. De *sanna* vide Notam in Psal. i. 1.

Ira, furorque comes.] Hujusmodi repetitiones verborum ejusdem fere sensûs magnam quandam vim habent in sacris his carminibus.

5. *Fræ-*

5. Frænaque dans iræ trepidos Deus obruet hostes,
His et corripiet pectora cæca modis:
6. Sacra meo Regi succo viridantis olivæ
Tempora perfundens, sceptra ferenda dedi:
Sceptra dedi, regnique decus; sanctæque Sioni
Imposui; sacris præposuique jugis.
7. Eloquar edictum: Tu Filius es mihi, luce
Hac ego te genui; munera posce Patrem.
8. Hæredi tibi regna dabo, Gentesque subibunt
Imperium tellus ultima quotquot habet.

ANNOTATIONES.

5. *Frænaque dans*] *Dare fræna, dare lora*, vel *immittere habenis*, proprie de equis, quibus liber impetus et cursus permittitur. Inde *Metaphoricè* transferuntur a Virgilio, (1.) Ad ignem, *Furit* immissis *Vulcanus* habenis, *Æn.* v. 662. (2.) Ad navem, *Classique* immittit habenas, *Æn.* vii. 1. (3.) Ad luxuriantes arborum ramos, —*Palmes—laxis per purum* immissus habenis, *Geor.* ii. 364. Quem imitatus Poeta noster transtulit ad iram Dei contra impios.

6. *Meo Regi*] *Meo regi* vel regitur a verbo *dedi* (dedi meo regi sceptra) vel, quod magis poeticum est, conjungitur cum *perfundens*, ad exemplum Psalm i. 3. *Cui tempestivis*.

Succo viridantis olivæ] *Succo viridantis olivæ* est Periphrasis pro *oleo*. *Olivæ* optime convenit epitheton *viridantis*, quia hæc arbor semper viret.

Sceptra ferenda dedi: sceptra] Hæc Figura *Anaphora*, vel *Repetitio* dicitur: orationi magis animandæ inserviens, et rei in mente penitus infigendæ. Ita Virgilius, *Æn.* i. 3.

——Multum *ille et terris* —
Multa *quoque et bello passus*—

Sceptra] Pluralis pro singulari; quo modo Virgilius, *Æn.* i. 60.

—*Celsâ sedet Æolus arce*
Sceptra *tenens*———

Sioni] Urbs Hierosolyma divisa fuit in duas partes principales. *Superiorem* scilicet et *Inferiorem*, quibus nomina indita sunt *Sion* et *Acra*, a duobus montibus super quibus urbs sita fuit. In Monte *Sione* David extruxerat Castellum munitum et superbum, regiam quoque aulam posterorum Regum domicilium: Inde Sion *urbs Davidis* dicta. Vid. 2 *Sam.* v. 7. Quo autem clarius pateat Lectoribus de hoc, et multis aliis locis, de quibus fit mentio in hoc opere, ad finem subjuncta est lineatio urbis Hierosolymæ.

Sanctæ] Sionem *sanctam* vocat, quia illuc a Davide translata fuerat arca, unde se præsentem exhibuit Deus *sanctissimus*. Vid. 1 *Paral.* xvi.

7. *Edictum*] *Edictum* proprie significat *Magistratûs jussum*, vel *Principis decretum*.

9. Has tua vis olim ſceptro ferroque potenti
Franget, ut e vili vaſcula ficta luto.
10. Eja agedum! quæ regna tenes, quæ jura miniſtras,
Natio! quam fas eſt carpere, diſce viam.
11. Juſſa faceſſe Dei; mens hoc lætetur honore;
Temperet obſequium lætitiamque timor..
12. Oſcula da Nato, ſubitam ne colligat iram,
Quæ tibi perniciem quantulacunque feret:

Annotationes.

9. *Sceptro ferroque*] Pro *ſceptro ferreo*, per Figuram quam vocant *Hendiadyoin*, i. e. *unum per duo:* qua Figura utitur Virgilius, *Georg.* ii. 193. —— Pateris *libamus* et auro, *pro* pateris aureis, *Georg.* iii. 56. Maculis *inſignis* et albo, *pro* maculis albis.

10. *Eja*] Vid. Not. in ver. 3. *Eja!* alacres——

Agedum] Eſt hortantis Adverbium, et ſignificat *age modo:* ſumptum ex Græcis, qui ἄγε & ἄγετε eodem modo utuntur.

Quæ regna tenes, etc.] Eſt *Periphraſis* pro *Reges et Judices.*

Fas eſt] *Fas eſt* hîc accipi videtur eodem ſenſu quo apud Virgilium, —Mihi juſſa capeſſere *fas eſt*, *Æn.* i. 81. Ubi Servius ait commutationem eſſe negativi ſenſûs in affirmativum, *Fas eſt capeſſere*, pro *nefas eſt non capeſſere.* Ita hîc *fas eſt carpere viam*, i. e. *debitis carpere, nefas eſt non carpere.*

Carpere viam] Vid. Not. in Pſal. i. 1. *carpit iter.*

11. *Juſſa faceſſe*] Ita Virgilius, *Æn.* iv. 295.
Imperio læti parent, ac juſſa faceſſunt.

12. *Oſcula da Nato*] *Oſcula dare* eſt *venerari* vel *ſolenni honore amplecti*; nam *oſculum* erat ſymbolum vel ſignum honoris, quo ſubditi erga ſuum Regem defungi ſolebant. Inde legitur, 1 *Sam.* x. 1. Samuel, ubi Regem Saulem oleo conſecraverat, *oſculo* eum ſalutavit. Erat etiam *ſignum adorationis*, ut videre eſt, 1 *Reg.* xix. 18. Ubi curvare genu coram Baale, eumque *oſculari* conjunguntur. Jobus etiam, in celebri illo loco, ubi vindicat ſe a crimine idololatriæ, ad hunc ritum religioſi cultûs alludit, *Job* xxxi. 26, 27. Si, *inquit*, aſpiciendo Solem cum ſplenderet, aut Lunam in fulgore ſuo incedentem, pellectus eſt in occulto animus meus, aut os meum eſt manus *oſculatum.* Unde, *Oſcula da Nato* ſignificabit, *amplectere Natum pro tuo Rege, eumque colendum tibi proponito.*

Felicem] Supple Interjectionem O, quæ ſæpius per *Ellipſin*, reticetur. Ut Ter. *Scitum hercle hominem! Eun.* ii. ii. 23. Stricte tamen loquendo, in ejuſmodi locutionibus ſubauditur *prædico, ſentio*, aut ſimile verbum.

Felicem

Felicem nimium, quisquis securus in illo
Spem locat, et solam Numinis ambit opem!

ANNOTATIONES.

Nimium] Adverbium *nimium* non semper in malam partem sumitur, sed nonnunquam idem valet quod *magnopere* vel *supra modum*, quale exemplum habes apud Vigilium, *Geor.* ii. 458.

——*O fortunatos* nimium
——*agricolas.*

Securus] *Securus* hîc ponitur, per *Enallagen*, pro *securè*. Similia occurrunt exempla apud Virg. *Æn.* viii. 465.

Nec minus Æneas se matutinus *agebat*,

pro manè. *Juv. Sat.* x. 18.

——Rarus *venit in cœnacula miles*,

pro rarò. *Sal. Bel. Cat. cap.* xlv. *Illi haud* timidi *resistunt*, *pro* timidè.

III.

AH, Deus! hostiles quantùm crevêre phalanges!
Agmina me contra quàm numerosa ruunt!
2. Quem colis infelix, aiunt, tibi Conditor orbis
Non feret optatam, cùm premet hostis, opem.
3. Tu tamen umbo mihi es, Deus! et largiris honorem;
Tu caput erectum ferre sub astra jubes.

4. Te

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus e tribus partibus constat, *Expostulatione*, scilicet versu primo et secundo; *Narratione*, versu tertio; et *Petitione*, versu septimo.

1. *Phalanges*] *Phalanx* est vox Græca, et significat speciem illam agminis militaris, qua Macedones utebantur: continebat octo armatorum millia; nec ullum genus aciei validius erat. *Phalangem* ita describit Q. Curtius, lib. iii. c. 11, 13. Vocant peditum stabile agmen; vir viro, armis arma conserta sunt; ad nutum monentis intenti sequi signa, ordines servare didicerunt. Per *Phalanges* igitur hîc indicat tum numerum, tum vires hostium.

1. *Conditor orbis*] Est Dei attributum pro *ipso Deo* dictum, quo modo dixit Virgilius, *Divûm Pater atque hominum Rex*, Æn. i. 69. et *Hominum Sator atque Deorum*, Æn. i. 258, pro *Jove*.

Premet] *Premere*, inter alia, significat *agitare*, vel *insectari*. Ut apud Virgilium, *Æn.* i. 471.

Hac fugerent Graii, premeret
Trojana juventus.

3. *Umbo*] *Umbo* proprie est media pars clypei in rotundum instar umbilici eminentior, ferro vel ære munita, qua cominus pugnantes hostem impellebant: ponitur hîc pro ipso scuto, per *Synecdochen*, pars scilicet pro toto, quo modo etiam apud Virgilium,

4. Te petii supplex; auditæ, rebus in arctis,
Supplicis e sacrâ rupe fuêre preces.
5. Sunt mihi securo sub noctem membra quieti
Tradita; securo mane soluta quies:
6. Tu, Deus! adstabas: non, te custode, timebo,
Me licèt invadant tela quot orbis habet.
7. Surge, Parens; dextrâque juva, quæ cæde madentûm
Innocuâ malas fregit et ora Ducum.

8. Tu,

ANNOTATIONES.

gilium,—*Nec sufficit* umbo *Ictibus*, *Æn.* ix. 810.—*Sed sustinet aureus* umbo, *Æn.* x. 884.

Caput erectum ferre sub astra] Est locutio *Hyperbolica*, pro eo quod est *ad honores evehere.* Ita *Hor.* 1 *Carm.* i. 36. *Sublimis feriam sidera vertice.*

Sub astra] Est idem quod *ad astra*, ut apud Virgilium, *Æn.* ii. 460.

Turrim in præcipiti stantem, summisque sub astra.

Eductam tectis — Vid. etiam *Æn.* iii. 243.

4 *Petii*] *Petii* hîc ponitur, per *Syncopen*, pro *petivi.*

Te petii supplex—supplicis] Est *Anaphora*, ut supra Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—sceptra.*

5. *Sunt mihi securo*] Duplex in hoc versiculo occurrit *Anaphora*, (1.) in voce *securo*, (2.) in voce *quies.*

Sub noctem] i. e. adveniente nocte, ut apud Virgilium, *Sub lucem*, pro *adveniente luce.*

Sub lucem *exportans calathis adit oppida pastor.* Georg. iii. 402.

9. *Tela*] *Tela vulgo a* τῆλε *procul*, unde propriè significat *missilia*, quæcunque arma procul et eminus jaciuntur. Aliquando verò sumitur pro armis quibus cominus pugnatur. Ut pro *ense*, *Æn.* ix. 747.

At non hoc telum *mea quod vi dextera versat, Effugies.*

Pro cæstibus, *Æn.* v. 438.

Corpore tela *modo atque oculis vigilantibus exit.*

Dextraque] *Dextra* per *Syncopen* dixit pro *dextera*, Fulmina molitur *dextrâ*, Virg. *Georg.* i. 329. eodem more *madentûm* pro *madentium* ponitur.

Innocua cæde] *Innocua cæde* hîc dicitur, per *Hypallagen*, pro *cæde innocuorum.* Similia quædam apud Virgilium occurrunt exempla, ut *Æn.* ii. 168.

Virgineas *ausi Divæ contingere* vittas,

pro vittas Divæ virginis. *Ibid. ver.* 575.

——— *Subit ira, cadentem Ulcisci patriam, et* sceleratas *sumere* pœnas.

pro sumere pœnas de sceleratâ, *nempe Helenâ.*

Indulges] *Indulgere*, inquit Valla, est *concedere*, *et*, ut sic dicam, *obsequenter delicateque tribuere.* Nullum igitur vocabulum huic loco magis proprium.

Læta] *Lætus* est epitheton non modo personis, sed rebus etiam inanimatis poetice attributum; iis nimirum quæ aspectu suo et effectu exhilarant & *lætum* reddunt animum. Inde a

Vir-

8. Tu gregis es tutela ſacri; ſemperque benignus
Indulges populo tempora læta tuo.

ANNOTATIONES.

Virgilio tribuitur (1.) *Palmiti*, Eccl. vii. 48. (2.) *Imbri*, ib ver. 60. (3.) *Gramini*, Georg. ii. 525. (4.) *Agro*, Georg. i. 102. (5.) *Frugibus* denique et (6.) *Arvis*, ib. 169. *Læta tempora* igitur *Metaphorice* dicitur pro *tempora felicia*, quia homines lætitiâ afficiunt.

IV.

LUCE tuâ qui pura facis, qui candida cernis
Pectora, quæ fundo, ſuſcipe vota, Deus!
Quamque mihi duris in rebus ſæpe tuliſti,
Nunc, prece ſuſceptâ, mitte benignus opem.
2. Gens hominum! quid te paſcis mendacibus umbris?
Opprobrio noſtrum quò decus uſque petes?
3. Elegit, fulcitque pios Pater ætheris alti;
Ne dubita, queſtus audiet ille meos.
4. Hunc metuens, deſiſte malis; et, nocte ſilenti,
In mentem tacitus facta diurna refer.
5. Victima ſit pectus ſine fuco; teque malorum
Fluctibus in mediis, et tua crede Deo.

6. Quas

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt ex tribus partibus, *Petitione*, nimirum, quæ verſu primo continetur; *Digreſſiome didactica*, a verſu ſecundo ad nonum uſque; et *Concluſione*, inde ad finem Pſalmi.

1. *Candida*] *Candidus* propriè eſt *albus* cum ſplendore quodam: unde tribuitur cycnis, *Virg. Ecl.* vii. 38. Et nivi, *Hor.* 1 *Carm.* ix. 1. Hinc tranſfertur ad animum; et ſignificat *purum*, *ſincerum*, nullaque invidiæ aut malevolentiæ maculâ labefactatum. Quo ſenſu apud Ciceronem, 9. ad Att. occurrit *vita candida*, h. e. irreprehenſibilis.

2. *Paſcis mendacibus umbris*] Verbum *paſco* proprie ſignificat *alere*, *comedere*, ſed per Tranſlationem ponitur pro *delectare*. Ita Virgilius:

Sic ait: atque animum picturâ
paſcit *inani*, Æn. i. 468.

4. *Tacitus*] *Tacitus* hìc ponitur per *Enallagen* pro *tacitè*, Adjectivum nempe pro Adverbio. Vid. *Pſal.* ii. 12. *Securus*.

5. *Victima ſit pectus ſine fuco*] *Victima*, a *Victoria* dicta, quia poſt victoriam manu victrici immolabatur. Proprie ſignificat ſacrificium majus, i. e. de majoribus animalibus, ut apud Virgilium:

Hinc albi, Clitumne, greges et
maxima taurus

Vic-

6. Quas sitit, optet opes vulgus; tu, lumine cœli,
Ore tuo, nobis da, Pater alme! frui.
7. His ego plùs lætor, quàm gens addicta saginæ,
Cui penus est locuples, dolia plena mero.
8. Ergò, toro recubans, placido dabo lumina somno;
Et secura tuo Numine tecta colam.

ANNOTATIONES.

Victima—— *Geor.* ii. 146. Hîc verò sumitur metaphorico sensu pro *eo quod erit Deo gratissimum.*

Fuco] *Fucus* est *unguentum* aut *pigmentum*, quo mulieres tingi solebant, ut vitia corporis emendarent vel occultarent. *Plaut. Most.* i. iii. 118. *Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis* fuco *occultant.* Hinc *fraudem* aliquando significat, et *insidias*, sub quibus occultatur veritas. Ita *Cic.* 1 *Att.* i. *Sine fuco*, i. e. simpliciter et aperte.

6. *Sitit*] *Sitis* propriè est *bibendi appetitus*; et, per Translationem, nimia aviditas cujuscunque rei dicitur *sitis*: Eodem modo *sitire* Metaphorice ponitur pro *vehementer cupere*, *Cic.* 3 *Q. Frat.* iv. *Nec* sitio *honores, nec desidero gloriam.*

7. *Penus*] *Penus, hujus peni*, vel *hujus penûs*, masculini vel fœminini generis: vel *penus, penoris*, neutrius: sunt res ad victum necessariæ. Inde *penitus*, et *penetro*, et *Penates* Dii, qui in intima domus parte colebantur.

V.

MAGNE Parens! tellus Dominum quem suspicit, audi
Quæque premo tacitus, quæque sub astra fero:
2. Annue quæsitis, Deus, et Rex! perpete voto
Tu mihi, præ cunctis, solicitandus eris,
3. Mane novo, supplex oculos ad sidera tollam:
Mane novo, facili quæ loquar aure trahes.
4. Tu noxam refugis, quâ delectantur iniqui;
Gentis et impuræ crimina ferre nequis.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus constat *Exordio*, versu primo et secundo; *Propositione*, a versu tertio ad nonum; *Petitione*, a versu nono ad decimum secundum; et *Conclusione*, inde ad finem Psalmi.

1. *Tacitus*] Vide Notam in Psalm. ii. 12. *Securus.*

Sub astra] Vide Psal. iii. 3.

3. *Mane novo — mane novo*] *Anaphora*, ut Psal. ii. 6. *Sceptra* ferenda dedi,——*sceptra.*

5. Grande

5. Grande ſupercilium, te coram, Faſtus inanis
Exuet; odiſti tu, Deus! omne nefas.
6. Ibit in exitium mendax; inviſaque turpis
Fraus erit, et ſocii tincta cruore manus.
7. Sed Patre te fretus, ſacras ego volvar ad aras
Cernuus; illuſtres ſternar et ante pedes.
8. Hoſtibus expoſitum, fons omnis et arbiter æqui!
Dirige; ſuſpectæ duxque, comeſque viæ.
9. His pariunt mellita dolos labra; putre ſepulchrum
Guttur olet; pectus carnificina mali eſt.
10. Perde reos; pereatque ſuis gens impia technis,
Quæ furit, et præceps in ſcelus omne ruit.

Annotationes.

5. *Grande ſupercilium*] *Supercilium* eſt ultima pars frontis, pilis veſtita, quæ ciliis prominet. *Supercilia* maxime indicant faſtum, qui hîc ſedem habet; unde pro *Superbia* aliquando ponitur,

—*Si cum magnis virtutibus affers*
Grande Supercilium,
Juv. Sat. vi. 167.

Faſtus inanis] *Faſtus* ponitur pro Faſtuoſo, per *Enallagen:* vide Notam in Pſal. i. 1. *Impietas.*

6. *Fraus*] *Fraus* eodem modo ponitur pro *Fraudulento.*

7. *Cernuus*] *Cernuus* is dicitur, qui procumbit in faciem; eam ſcilicet partem, quâ *cernimus*, ſeu videmus: hinc *cernuare* in pronum ire.

Illuſtres ſternar et ante pedes] Alludit ad antiquum morem procumbendi ad genua, ad pedes; quo ritu Supplicantium fiebat adoratio, non minus apud gentes quàm Judæos. Docet *Plinius Hiſt. lib.* xi. *cap.* 45. creditum veteribus pietatem quandam ineſſe genibus, et propterea ſupplicantes ſolitos procumbere ad pedes, genua amplecti et oſculari, hæc attingere, ad hæc manus tendere, hæc ut aras adorare.

9. *His pariunt*] *His* eſt *Antiptoſis* dativi casûs pro genitivo. Vide Notam in Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*, etc.

10. *Technis*] *Techna* eſt vox origine Græca, τέχνη, Latinè *Ars*. Aliquando ſignificat *Dolum, aſtutiam, fraudem artificioſam:* ut *Ter. Heaut.* iii. i. 62. *Falli te ſinas* technis *per ſervulum?*

Præceps] Ex *præ* et *capio* compoſitum, ſignificat propriè eum qui ſine conſideratione aliqua, aut modo, quid agit, et quaſi rem et tempus præoccupat. *Virg. Æn.* iii. 598.

—*Mox ſeſe ad littora* præceps
Cum fletu precibuſque tulit,
h. e. *Sine reſpectu ſalutis*, inquit *Servius*.

11. Geſtiat interea, te qui ſecurus in uno
Spem locat; et numeris mulceat aſtra novis:
Gaudia concipiat, cœleſti Numine tutus,
Vir pius, et quiſquis flagrat amore tui.
12. Tu, Deus! objecto clypeo, tutabere juſtos!
Hoſtis et a furiis, inſidiiſque teges.

ANNOTATIONES.

11. *Securus*] Hîc pro *Securè*, ut Pſal. ii. 12.

Mulceat aſtra] Imitatur Virgilium, *Æn*. vii. 34.

Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.

Numeris] *Numerus* proprie eſt ex unitatibus compoſita multitudo; ſed ponitur etiam, ut hîc, pro ratione harmonica, quam Græco vocabulo Rythmum appellamus, quod omnis harmonia et omnis concentus *numeris* conſtet. *Virg. Ecl.* ix. 45.

Numeros *memini, ſi verba tenerem.*

VI.

NE, rerum, Deus, alme ſator! me corripe, fræno
Dum furor excuſſo ſævit, et ira fremit.
2. Parce laboranti, dextramque ſalutifer ægro
Porrige; dum mentem laſſat et oſſa dolor.
3. Quò trahis uſque moram? Lethum pulſurus, amoris
Si memor es patrii, te mihi redde, Pater!
5. Senſus abeſt tumulis; nec te cantare ſilentes,
Dicere nec laudes flebilis Umbra poteſt.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus conſtat è tribus partibus: *Petitione*, ad verſum quintum; *Confirmatione*, a verſu quinto ad nonum; et *Concluſione*, inde ad finem Pſalmi.

1. *Fræno excuſſo*] Vide Notam in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans iræ*, &c.

3. *Lethum pulſurus*] *Lethum*, mors, ſecundum Priſcianum a *Leo* fit, quo veteres uſi ſunt pro *Deleo*, quoniam mors omnia *delet*: Quæ opinio ſi vera eſt, aſpirationem non recipit *Letum*. Varro autem et Feſtus a λήθη i. e. *oblivione* fieri putant, unde et per *th* abſque diphthongo ſcribunt.

5. *Tumulis*] *Tumulus* eſt *tumor ex aggeſtione terræ, vel lapidum unum in locum*: unde tam pro ſepulchro quàm pro colle uſurpatur. Pro *colle*, *Æn*. v. 44.

—*Socios in cœtum littore ab omni*
Advocat Æneas, tumulique *ex aggere fatur.*

Pro *ſepulchro*, *Æn*. v. 760.

——Tumuloque *ſacerdos*
Et lucus latè ſacer additur Anchiſæo.

6. Flens

6. Flens ego defeci toties; noctemque fatigans,
Implevi lachrymis triste cubile meis.
7. (Ex oculis fugitivam aciem, cava lumina, risus,
Prô dolor! hostiles inter et arma vides.
8. I procul, Impietas! me, qui regit ætheris axes
Audiit; et porrò spes jubet esse ratas.
10. Hostica gens perculsa metu, suffusa rubore,
(Versa dabit subitæ terga pudenda fugæ.

ANNOTATIONES.

6. *Noctemque fatigans*] i.e. *Noctem lacrymando traducens.* Hanc dictionem *Fatigare noctem* Virgilio acceptam refert:

Olli remigio noctemque diemque fatigant, *Æn.* viii. 94.

i.e. dies et nox deficiunt, priusquam illi remigio finem imponunt.

8. *Impietas*] *Impietas* pro impiis hominibus; vide Notam in Psal. i. 1. *Nec quibus* Impietas *insistit.*

Ætheris axes] *Axis* cœli vel ætheris, proprie est linea ipsa sive obelus, circa quem cœlum volvi concipitur: sed *axes* hîc, per *Synecdochen*, sumi videntur pro *globis cœlestibus.*

Audiit] Vide Psal. iii. 4. *Te* petii *supplex.*

Porro] *Porro* aliquando, ut hîc, significat *deinceps*, vel *in posterum:* ita *Ter. Hec.* iii. i. 20. —— *Quid restat, nisi* porro *ut fiam miser?*

Suffusa rubore] *Rubore* pro *Pudore*, effectus scilicet pro causa.

VII.

SPES mihi tu vitæ: vitam, Deus! eripe letho;
Impia de jugulo tela repelle meo.
2. Adfer opem, ne me lanient impune Tyranni;
Sanguineus miseram ceu leo frangit ovem.

3. Si

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *mixtus*, continens *Exordium*, versu primo et secundo; *Narrationem*, versu tertio, quarto et quinto; *Petitionem*, ad versum undecimum; *Confirmationem*, ad versum decimum septimum; et *Conclusionem*, versu ultimo.

1. *Eripe letho*] De *letho* vide Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus.*

Tela] Vid. Not. in Psal. iii. 6. *Tela quot*, etc.

Jugulo] *Jugulus, i,* m. et *Jugulum i,* n. dicitur anterior pars colli; a *jungo*, quòd per eam pectori caput jungatur.

2. *Impune Tyranni*] *Tyrannus* apud veteres dicebatur dominus omnem habens in subditos potestatem; quum verò superbi re-

3. Si clandeſtini deprēndar criminis autor,
Vel mihi, te vitæ judice, dextra rea eſt;
4. Si malè mulĉtavi ſocios mihi fœdere junĉtos;
Et niſi ſenſit opem gens inimica meam:
5. Me premat hæc, captoque ferox, ſtratoque triumphet;
Et calcet pedibus, turpet et ora luto.
6. Ultor ades, tandemque ſuos furor exerat ignes;
Hoſtica frange vigil ſpicula, frange dolos.
7. Tum tua majeſtas populis cingetur, et, alto
Aureus è ſolio, jura tremenda dabis.
8. Me tibi jam ſiſto; famulum, Deus! adſpice, cauſa
Si bona, ſi nullo fulta querela dolo eſt.
9. Pectora qui penetras, et lynceus abdita cernis,
Juſte Deus! juſtos erige, perde malos.
10. Es mihi tu clypeus; vacuas tu crimine mentes
Protegis; odiſti tu ſine fine nefas:
11. Inque reluĉtantes acuis, quo cingeris, enſem;
Lævaque fert arcum; miſſile dextra tenet.
13. Tela necem, ſtragemque dabunt; his turba peribit
Impia, quæ faſtu me petulante premit.

ANNOTATIONES.

ges regnare cœpiſſent, nomen *tyranni*, ad illos tantum tranſlatum eſt, qui non jure et æquis legibus, ſed vi, et quadam animi libidine dominabantur.

3. *Deprēndar*] Dicitur per *Syncopen* pro *deprehendar*.

5. *Premat*] Vid. Not. ad Pſal. iii. 2. *Cum* premet *hoſtis*.

Ferox] *Ferox* pro *ferociter*, ut Pſal. ii. 12. *ſecurus* in illo.

Ora] *Ora* pro *vultus* ſæpius occurrit apud optimos auĉtores. Vide *Virg. Æn.* i. 358. de Sichæi imagine inquit,

—*Ipſa* — ora *modis attollens pallida miris*.

7. *Aureus*] *Aureus* hîc ſignificare videtur *ſplendidus* et *præclarus*, quo modo Virgilius ſolem *aureum* appellat:

Per duodena regit mundi ſol aureus *aſtra*, Georg. i. 232.

9. *Lynceus*] *Lynceus*, i. e. *Perſpicax*, Epitheton ſumptum a *Lynce* animali acutiſſimi viſûs.

Juſtos erige, perde malos] Hîc copula reticetur, per Figuram quam vocant *Aſyndeton*.

11. *Dextra*] Vide Not. ad Pſal. iii. 7. *Dextraque juva*.

13. *Petulante*] *Petulans* is dicitur qui per contumeliam alios *petit*, vel laceſſit.

Premit] Vide Pſal. ii. 2. *Cum* premet *hoſtis*.

14. Parturit hæc noxam; ſterili ſed credidit arvo
Semina, nec præter ſomnia vana metet.
15. In foveam, molita dolum, ſe condidit audax,
Ulta ſed eſt ſubitò facta ruina nefas.
17. Ergò canam juſtumque Deum, Dominumque potentem:
Carminis hæc ſemper ſumma futura mei eſt.

ANNOTATIONES.

14. *Parturit*] *Parturio* propriè dicitur de mulieribus in pariendo laborantibus; ſed, per Tranſlationem, ad alia etiam adhibetur, (1.) *Ager almus* parturit, Virg. ii. 330. (2.) *Arbor omnis nunc* parturit, Ec. iii. 36. *Utinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod jamdiu* parturit, *Cic.* xi. *Philip.* cxix.

15. *Molita*] *Molior* derivari videtur a *μόλις ægre*, et ſignificat rem cum labore machinari: optime igitur deſignat aſſiduitatem quam improbus exercet in pravis inſtitutis.

17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem*] Conjunctio *que* hîc redundat, per Figuram quam vocant *Polyſyndeton*: qualia multa apud Virgilium occurrunt exempla, ut,

Unà Eurus*que* Notuſque *ruunt*, creberque *procellis*
Africus ——— Æn. i. 85.

VIII.

QUAM tua, Cœlicolûm Rex, implet gloria terras!
Æthereas quantùm tranſvolat illa domos!
2. Ipſa tuum paſſim lactens infantia robur,
Hoſtis ut obſtupeat, quo licet ore, canit.
3. Dum digitis cœlata tuis laquearia cœli
Conſpicor, et lunam, ſidereaſque faces;

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *laudativus*, conſtans ex *Propoſitione*, verſu primo; *Narratione*, a verſu ſecundo ad ſextum; *Confirmatione*, inde ad decimum; et *Concluſione laudativa*, a verſu último.

3. *Laquearia*] *Laquear*, et *Laqueare, is*, n. diminutivum a *lacus*, i. e. trabs in ædificiis plana: a quo fit diminutivum *lacunar*, a quo *lacunarium* et per *Antiſtœchon laquear* et *laquearium*, quod proprie ſignificat *tectum concameratum*: et, ob figuræ ſimilitudinem, ad cœlum transfertur.

Sidereaſque faces] Per *ſidereas faces* hîc intellige *ſidera*, quæ inſtar lampadum micant in tenebris. Videtur ob oculos habuiſſe illud Lucretii:

Noctivagæque faces *cœli*,
Flammæque volantes, Lib. v. 1190.

4. Quantula gens hominum res est, quàm mente recondas?
Quantula, quàm visas, gens oriunda luto?
5. Hanc tua cœligenis æquavit penè ministris
Dextera, et illustri cinxit honore comas.
6. Illius, omnipotens quidquid manus intulit orbi,
Jussisti nutus imperiumque sequi.
7. Accepêre jugum pecudes, armentaque passim
Bucera, quæque colunt invia lustra feræ:
8. Quæque viam supra carpit per inane volucris;
Quique sub hâc gaudet findere piscis aquas.

ANNOTATIONES.

4. *Quantula gens hominum, etc.*] Subita et abrupta hujus versus Transitio et *Apostrophe* hæc a divinis operibus, ad suspiciendam Dei ipsius benevolentiam, haud temere fit, nec sine judicio; nam Poeta, dum negligit connectionem, imitatur impetum, et vividam vim animi vehementer agitati, qua ad suum objectum raptim impellitur, et in ejus obtutu fixus inhæret. Si interposuisset hîc, *sic reputo*, vel *sic mecum revolvo*, quàm frigens et languida fuisset sententia, quæ nunc et viget et ardet! Simile habes exemplum apud Virgilium, in hymno ad Herculem, *Æn.* viii. 294. ubi subita est et incohærens Transitio a tertia persona ad *Apostrophen*, quâ chorus juvenum et senum Herculem coram affatur:

—*Tu nubigenas, invicte! bimembres,*
Hylæumque, Pholumque manu; *tu Cressia mactas*
Prodigia——

Ad utrumque respexisse videtur Miltonus:

—*Thou also mad'st the Night,*
Maker Omnipotent! and thou the Day.
Parad. amiss lib. iv. 724.

5. *Comas*] *Comæ* hîc ponuntur per *Synecdochen*, pro capite.

7. *Bucera*] *Bucerus* est vox Græcæ originis, a *βȣ valde*, et *κέρας cornu*; per *armenta bucera* igitur intellige greges cornutorum pecudum.

Lustra] *Lustra* sunt ferarum cubilia, a *Luto*, quod sit lutosa lacuna. *Invia lustra* imitatio Virgilii:

Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra,
Æn. iv. 151.

8. *Carpit viam*] De hac dictione vide Not. ad Psal. i. 1. *Carpit iter.*

Per inane] Supple *spatium*: Philosophi *inane* vocabant spatium undiquaque diffusum, carens corporibus; ut apud Virgilium:

Namque canebat uti magnum per inane *coacta*
Semina—fuissent, Ecl. vi. 31.

Hîc vero sumitur pro aëre, et cœlo aperto, quod ad *inane* proxime accedit.

9. Quàm

9. Quàm tua, Cœlicolûm Rex, implet gloria terras!
Æthereas quantùm tranſvolat illa domos!

IX.

PECTORE te toto recolam; te voce canorâ
Factaque, per populos, ſuſpicienda feram.
2. Gaudia, te ſpectans, carpam, ſine fine, modoque:
Exſultans, citharâ te, Pater alme! canam.
3. (Tertia, te coram, verſo gens hoſtica tergo
Corruit; et gelidam cæſa momordit humum.
4. (Te coram lis acta mihi eſt; te judice, vici:
Sunt comites ſolii juſque fideſque tui.
5. Increpuit, genteſque furor tuus obruit; ipſa
Juſſit et æternâ nomina nocte premi.
6. (Nunc eat, et populi clades gens hoſtica, verſa
Mœnia, de faſtis oppida raſa canat.

7. At

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, duabus partibus conſtans; prima eſt *Laudatio* ſingularis Prophetæ, ad verſum decimum ſecundum; ſecunda *Theſis* ad omnes fideles pertinens, inde ad finem Pſalmi.

1. *Suſpicienda*] *Suſpicio* proprie eſt *ſurſum aſpicere*, cui opponitur, *deſpicio, deorſum aſpicere:* quo modo proprie accipitur, Pſal. xi. 7. inde, per Tranſlationem, hoc ſignificat *contemnere*, et illud *mirari*.

In hoc verſu et ſequentibus, præcipua eſt Emphaſis et magna elegantia in crebra repetitione vocis *te:* ubi Autor ſequitur Virgilium ſuum præclarum magiſtrum et exemplar:

Te *nemus Angitiæ, vitrea* Te *Fucinus unda*,
Te *liquidi flevere lacus*,--Æn. vii. 759.
Te *dulcis conjux*, Te *ſolo in littore ſecum*,
Te *veniente die*, Te *decedente canebat*, Georg. iv. 465.

2. *Cithara te, Pater alme*] *Cithara* vulgo *Harpa* dicta, inſtrumentum muſicum cum decem chordis, ad ſimilitudinem fidium minorum.

Mœnia] *Mœnia* et *muros* ita diſtinguunt nonnulli, ut *muros* velint eſſe lapideum ambitum, quo urbs cingitur; *mœnia* munitiones, turres et id genus cætera, quibus muri defenduntur: cui diſtinctioni favere videtur illud Virgilii:

Dividimus muros, *et* mœnia *pandimus urbis*, Æn. xi. 234.

De faſtis —— raſa] Alluſio eſt ad *faſtorum* libros, in quibus res populi Romani ſcriptæ continebantur: plus valet *ex faſtis radere*, quam ex memoria eximere; ſecundum illud Ciceronianum, pro *Sext.* 33. *Conſules non modo ex memoria, ſed etiam ex*

7. At solium sine fine Deo est, qui legibus æquis
Semper, et augusto Numine, cuncta regit.
9. Rebus in afflictis, hic murus aheneus, arcûs
Hic inopi, noxam cùm timet, instar erit.
10. Ergò, Deus! te qui noscet, te fidet amico,
Qui renuis nulli, quam prece poscit opem.
11. Pangite, quos meruit Solymam qui protegit, hymnos;
Gestaque, per populos, Fama loquatur anus.
12. Ille memor, fuso repetit pro sanguine pœnas;
Nec miseri surdâ respuit aure preces.
13. Tu, Deus! adfer opem; quibus implicor, adspice fluctus;
Mors priùs est, memini, te duce, victa mihi:
14. Sic ego te, laudesque tuas, partamque salutem,
Sublimi Solymæ lætus ab arce canam.
15. Scilicet ipsa suis gens subdola cassibus hæsit;
Et scrobe, quam fodit, contumulata jacet.

16. Hæc

ANNOTATIONES.

ex fastis *evellendi*. Nam ex hominum memoria res facilè et cito excidunt; sed in fastis conservatæ in omne ævum perdurare possunt: ex *fastis* vero erasæ nunquam sunt in memoriam revocandæ.

9. *Hic murus aheneus*] Imitatus, ut videtur, Horatium:

— Hic murus aheneus *esto*,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ. 1 Ep. i. 60.

Proverbialis dictio, cujus sensus est, bonos homines circummunire divina providentia, ut muro quolibet aheneo.

11. *Pangite*] *Pangere* proprie significat *figere*: unde plantæ *pangi* dicuntur, cum in terram defiguntur; et versus *pangi*, id est, figi in cereis tabulis. Ita Horatius:

Ego mira poemata pango,
De art. Poet. 416.

Solymam] *Solyma, æ*, vel *Solymæ, arum*, Urbs nobilis, Judææ metropolis.

Fama loquatur anus] *Anus* hîc adjective sumitur, ad exemplum Catulli:

—— *Nam te omnia secla*
Noscent, et, qui sis, Fama loquetur anus,
Carm. lxxvii. 10.

13. *Adspice fluctus*] *Fluctus* proprie aquæ discurrentis moles atque impetus, quæ et unda dicitur, inde Metaphorice, *fluctus fortunæ, curarum, irarum*, pro impetu et perturbatione. Et, *fluctus* civilis, *Nepos in Attico*, vi. 1. Ita comparantur civiles turbæ quibus, sicut procellis et [illegible] æstate, omnia jactantur.

14. *Solymæ*] De *Solyma* vide Not. in ver. 11. *Solymam*, etc.

16. *Prendi*

16. Hæc recolenda Deus raræ monumenta reliquit
Juſtitiæ; prendi dum jubet arte dolum.
17. Numinis immemores populos, ſcelerumque miniſtros,
Præcipites, tellus ſub pede rupta trahet.
18. Nulla ſed afflictos mergent oblivia: nunquam
Succeſſu miſerûm ſpes caritura ſuo eſt.
19. Surge, Deus! victor ne tollat homuncio criſtas;
Imperii populos ſub juga coge tui.
20. Incute terrorem, vindex! cœloque rebellis
Progenies fictam ſe ſciat eſſe luto.

ANNOTATIONES.

16. *Prendi dum jubet*] *Prendi* dixit, per *Craſin* vel *Synæreſin*, pro *prehendi*; quo modo Virgilius:

Quo res ſumma loco, Pantheu? quam prendimus *arcem?*
Æn. xi. 322.

17. *Præcipites*] *Præceps* a *præ* et *capio* componitur; ſignificatque proprie eum, qui ſine conſideratione aliqua, aut modo, quid agit, et quaſi rem et tempus præoccupat.

18. *Mergent oblivia*] *Oblivium* eſt vox Poetica pro *oblivione*. Reperitur, ut hîc, in plurali numero (1) apud Virgilium:

Securos latices, et longa oblivia *ponunt*, Æn. vi. 715.

(2) apud Horatium, *Jucunda* oblivia *ſolicitæ vitæ*, 2 Serm. vi. 62.

19. *Tollat Criſtas*] *Criſtas tollere* eſt *Metaphora* tranſlata ab avibus criſtatis, in quibus *criſtæ* erectiores, alacritatis atque animorum indicia ſunt: inde ſignificat, *ferocire*, *animo efferri*, vel *ſibi placere*. Ut apud Juvenalem, de Domitiano ſuperbiente:

—*Quid apertius? et tamen illi Surgebant* criſtæ, *Sat.* iv. 69.

X.

QUO, Deus! abſcedis? rerum tutela mearum!
Cur, Pater! in mediis ſubtrahis ora malis?
2. Impius, ah! tenuem faſtu premit uſque nefando:
Conſiliis pereat qui, precor, ipſe ſuis.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *Precatorii*, ex tribus partibus conſtans: *Exordio*, verſu primo et ſecundo; *Narratione*, inde ad verſum decimum primum; et *Petitione*, ad finem uſque.

2. *Tenuem*] *Tenuis* proprie ſignificat *parvum* et *exiguum*: forſan a *teneo*, quia, quæ *tenuia* ſunt facile teneantur. Sumitur ut hîc

3. Quod cupit, hoc jactat ſcelus; et, dum palpat avarum,
Hunc in deliciis, quem Deus odit, habet.
4. Dumque ſupercilio cœleſtia deſpicit alto;
Nec quærit, tumidus, nec putat eſſe Deum.
5. Ex voto dum cuncta fluunt, et criminis ultor
Stat procul, hoſtiles non timet ille manus.
6. Quas, ait, incurrunt alii, ridebo ruinas
Incolumis; rerum deſpiciamque vices.
7. Os dolus et fraudes armant, convitia linguam;
Mille ſub hâc peſtes, mille venena latent.
8. Sueta latrocinio, paſſim per opaca viarum
Sævit; et innocuo ſanguine dextra rubet.
9. Quemque voret, fixis oculis deſignat egenum;
Inque ſuos caſſes, inſidiaſque trahit:
Sic leo, quam torvo conſpexit lumine, prædam
Involat; et laceram ſævus in antra rapit.

10. Sæpe

ANNOTATIONES.

hîc pro paupere apud Ciceronem: *Nam locupletiſſimi cujuſque cenſûs extenuarant*, tenuiſſimi *auxerant*, In Verr. iv. 138.

3. *Jactat*] *Jacto* proprie *emittere inania verba*, Anglice to throw out: quo modo hac voce utitur Virgilius:

——*Ibi hæc incondita ſolus*
Montibus, et ſylvis ſtudio jactabat *inani*, Ecl. xi. 5.

inde pro *gloriari* ſumitur.

Palpat] *Palpo*, et *Palpor* depon. proprie ſignificat leniter, blande, et quaſi tentando tangere. Unde pro *adulari* ponitur apud Plautum: *Obſervatote quam blande mulieri* palpabitur, *Amphit*. i. iii. 9.

4. *Supercilio*] Vide Not. in Pſal. v. 5. *Grande ſupercilium*—.

Deſpicit] De hac voce ſupra, in Pſal. ix. 1. *Suſpiciendo feram*.

8. *Opaca viarum*] *Opaca viarum* idem valet quod *opacas vias*; et eſt forma loquendi Hiſtoricis quibuſdam, ſed Poetis præcipuè, haud infrequens. Ita Virgilius:

Miratur portas ſtrepitumque et
ſtrata viarum, *Æn*. i. 426.

Conſule etiam Æn. ii. 332. et vi. 633. Eodem modo dixit Horatius. Amaraque curarum *eluere efficax*, 4 Carm. Od. xii. 19.

Innocuo ſanguine] Vide Notam in Pſal. iii. 7.

Dextra] Vide Not. ad Pſal. iii. 7. *Dextraque juva*.

9. *Quemque voret*, etc.] Hîc Poeta alludit ad morem araneæ, ſuæ prædæ inſidiantis. Nam ut animal illud doloſum, e latebris ſuis, improvidam muſcam *fixis* obſervat *oculis*; eamque, occaſione oblata, invadit, et in ſuas *caſſes vorandam attrabit*; ita impius, egenum.

Antra] Pluralis pro ſingulari, ut ſupra, Pſal. ii. 6. *Sceptra dedi*.

10. Sæpe, necem clademque parans, blanditur; et atram
Ingluviem, miseros dum vorat, arte tegit.
11. Te, Deus! immemorem, gens hæc, et lumine cassum,
Et vacuum curâ pectus habere putat.
12. Exorere, et validâ miseros, Pater! assere dextrâ;
Eluat hos animo nulla senecta tuo.
13. Impietas impunè tuas cur provocet iras?
Numinis ultrices cur neget esse manus?
14. Quæ patimur tu damna vides, et mente recondis;
Aptaque vindictæ dextera tela gerit:
Præsidio tenuem, tutelâ protegis orbum;
Sentit uterque tuam, dum furit hostis, opem.
15. Perde truces, scelerum cæsis autoribus; ipsum
Perde nefas, sceleri ne sit in orbe locus.
16. Tu sceptrum sine fine geris: gens impia pessum
Ibit, et ex imâ stirpe recisa ruet.

ANNOTATIONES.

10. *Atram ingluviem*] Imitatus Virgilium, *Georg.* iii. 431. ubi describit anguem, —— *bis piscibus* atram —— ingluviem —— *expiet. Ingluvies* sinus est gutturis; sive pellis cava, qua cibus primo ingestus, et adhuc indigestus, continetur. Inde, per *Metonymiam*, sumitur pro *voracitate.*

12. *Dextra*] Vide supra, Psal. iii. 7. *Dextraque juva.*

13. *Impietas*] Per *Metonymiam* pro *Impius*, ut supra, Psal. i. 1. *Nec quibus* Impietas.

Iras] *Iras* pro *iram:* pluralis numerus pro singulari, more Virgiliano:

Namque dabunt veniam votis, irasque *remittent*,
Georg. iv. 536.

16. *Tenuem*] Vide Notam in versum secundum hujus Psalmi, *Tenuem.*

Pessum ibit] *Pessum* est Adverbium, et idem valet quod deorsum. *Ire pessum*, igitur, proprie dicitur de iis quæ ad imum usque aquæ fundum subsidunt. *Columel.* lib. xii. c. 6. *Nam ubi dulcem caseum demiseris in eam, si* pessum ibit, *scies esse adbuc crudum.* Ita Lucret.

—*Multæ per mare* pessum
Subsidere *suis pariter cum civibus urbes.* Lib. vi. 588.

Inde, per Translationem, idem significat quod *perdi.* Ut apud Plautum: *Neque, nisi quia miser non* eo pessum, *mihi ulla abest* perdito *pernicies*, Cist. ii. i. 12.

17. Sup-

17. Supplicis exaudis gemitus, et pectora firmas;
Et pronâ miseri suscipis aure preces.
18. Tu, Deus! afflictos, patribus tu protegis orbos;
Hostica nec quisquam, te duce, tela timet.

ANNOTATIONES.

17. *Pectora*] Pro *pectus*, pluralis pro singulari; ut apud Virgilium:
Crudeles aras, trajectaque pectora *ferro*
Nudavit—— Æn. i. 359.

18. *Tela*] De hâc voce supra, ad Psal. iii. 6. *Tela*, etc.

XI.

NUMINE cur fretus jubeor juga linquere nota,
Ut volucris, trepido cùm fugit icta metu?
2. Impius, en! arcum sinuat; sociataque nervo,
Per scelus, insontem cæca sagitta petit.
3. Legibus extinctis, quò se mens candida vertet?
Heu! Pietas quid, se quo tueatur, habet?
4. At Pater omnipotens, solio sublimis ab alto,
Adamidûm vigili lumine facta notat.
5. Dum probat insontes; odio sectatur iniquos,
Quosque juvant fraudes, bella, rapina, neces.
6. Sulphur in hos et turbo ruent, vibratus et ignis
Desuper; hæc merces impietatis erit.
7. Nam Pater æthereus, fons jugis, et arbiter æqui,
Jus amat; et placido despicit ore pios.

ANNOTATIONES.

Hoc Canticum est generis *didactici*; continens primùm *Contentionem* adversus improbos, versu primo; deinde *Narrationem propheticam*, ad versum septimum; postremo *Confirmationem*, versu ultimo.

1. *Trepido metu*] Vox *trepidus* est ambiguæ significationis, interdum enim idem valet quod *festinus*: ut,
—*Dum* trepidi *crudelia lumina linquunt*, Æn. iii. 616.
alias significat *pavidus*. Hîc priore sensu accipienda videtur.

3. *Candida*] Vide Notam in Psal. iv. 1. *Qui* candida *cernis*.

4. *Adamidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Adamidarum*, nomen patronymicum, ab *Adamo* communi humani generis parente.

5. *Fraudes, bella, rapina, neces*] Hîc etiam copula reticetur per Figuram *Asyndeton*, ut supra Psal. vi. 9. *Justos erige, perde malos.*

XII. FER

XII.

FER, Deus! auxilium; Pietas, en adſpice! terras
Sanctaque Simplicitas liquit, et alma Fides.
2. Quiſque, per inſidias, ſocium fallacibus umbris
Lactat; et indignis mancipat ora dolis:
Candor abeſt omnis, nec menti conſona vox eſt;
Hæc ubi blanditur, concipit illa nefas.
3. At Deus exſcindet dulci lita labra veneno,
Quæ fera jucundo toxica melle tegunt:
Eruet et linguam vano quæ grandia typho
Efflat, et ampullis ambitioſa tumet.

ANNOTATIONES.

Pſalmus hic eſt generis *Precatorii*, conſtans *Propoſitione*, verſu primo et ſecundo; *Narratione*, inde ad verſum ſextum; *Confirmatione*, verſu ſexto; et *Concluſione petitoria*, verſu ſeptimo et octavo.

1. *Pietas*, *Simplicitas*, *Fides*] Hæ virtutes ſumuntur hîc perſonaliter, ut ſupra adnotavimus in Pſal. i. 1. in voce *Impietas*.

Alma] *Almus* derivatur ab *alo*, Ang. to nouriſh; inde epithetum hoc tribuitur (1) agro: *Parturit* almus *ager*, Georg. ii. 330. (2) Cereri et terræ, quæ ſunt hominum nutrices, *Georg.* i. 7. et *Æn.* vii. 644. (3) Sed ſumitur ſæpius eodem ſenſu, quo *pulcher*, *clarus*, *inclytus*: ut *Æn.* i. 310. *alma* dies, i. e. *clara*, ib. 622. *Alma* Venus, i. e. *pulchra*. (4) Interdum etiam pro *puro* vel *caſto* adhibetur; ut *Æn.* vi. 74, Sibylla *alma* vocatur, i. e. *caſta*, quia virgo.

2. *Mancipat*] Emphatice dixit *Mancipat ora*; nam *mancipare*, eſt in alterius dominium tradere, ſive vendere: quo modo mancipia in jus dominorum alienantur.

Ora] *Ora* eſt pluralis numerus pro ſingulari, ut ſupra in Pſal. ii. 6. *Sceptra*, etc.

Candor abeſt] De Etymologia vocis *Candor* vide Pſal. iv. 1. *Candida*.

3. *Typho*] *Typhos* vox Græcæ originis τύφος: Latine, *faſtus*, *elatio*.

Ampullis] *Ampulla* vas eſt vitreum, ventre amplo, et quaſi inflato. Inde per Tranſlationem, ſignificat, *Inflata et ſuperba verba*.

> *Projicit* ampullas et *ſeſquipedalia verba*.
> Hor. Art. Poet. 96.

Ambitioſa] Hîc dicitur pro *ambitioſe*: ut ſupra adnotavimus ad Pſal. ii. 12. in voce *Securus*.

4. Obruit

4. Obruet artificem ſceleris, qui, fræna pudoris
Excutiens, Linguas nunc acuamus, ait:
Nos penes imperium eſt linguæ, vociſque poteſtas;
Libera quis duros mittat in ora lupos?
5. At Deus excitus miſerûm clamoribus, ultor
His ego ſuppetias, inquit, opemque feram:
Quamque dolis armata premit violenta Tyrannis,
Auxilio Pietas tuta futura meo eſt.
6. Pura Dei vox eſt, argenti fuſilis inſtar,
Igne quod admoto ſeptima teſta probat.
7. Hoſtis ab inſultu, rerum Pater! aſſere juſtos;
Excubiaſque ſacro pro grege ſemper age.
8. Impia progenies nos obſidet undique, viles
Dum ſinis et fæcem plebis honore frui.

ANNOTATIONES.

4. *Fræna pudoris excutiens*] De hac *Metaphora* conſule Pſal. ii. 5. *Frænaque dans*, etc.

7. *Excubiaſque—age*] *Excubias age* eſt *Metaphora* ſumpta a ſpeculatoribus, ad exprimendam aſſiduam, et intentam curam, qua providens Deus ſuis invigilat.

XIII.

QUO, Deus! uſque mei capient te oblivia? Vultum,
Durus et averſus, quò, Pater! uſque teges?
2. Quò miſer uſque ferar dubius? luceſque fatigans
Quò dolor, hoſtilis quò premet uſque furor?
3. Adſpice res lapſas; facilem da planctibus aurem;
Luce retroſpectans da propiore frui:
Optatum mox redde jubar; mihi lumina ſomno
Perpetuò ne Mors invidioſa premat.

4. Ne

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *Precatorii*, conſtans *Propoſitionem* querelæ, ad verſum tertium; *Petitione*, verſu tertio et quarto; et *Concluſione*, verſu ultimo.

1. *Oblivia*] Vide Notam ad Pſalmum ix. 18. *Mergent oblivia*,

2. *Luceſque fatigans*] De hac poetica dictione vide Notam in Pſal. vi. 6. *Noctemque fatigans.*

3. *Retroſpectans*] Facile apparebit quàm aptè et eleganter Poeta uſus ſit hac voce *retroſpectans*, ſi animadvertas Deum, in primo verſu, *averſum* dici:
Cum

4. Ne ſine fine meis inſultet cladibus hoſtis ;
Et, me proſtrato, gens fera cantet Io.
5. Es mihi tu vitæ ſpes, et tutela ſalutis ;
Et tuus afflicti pectora lenit amor.
6. Ergò tuas laudes referam cœleſtibus hymnis ;
Et mihi te facilem, propitiumque canam.

ANNOTATIONES.

Cùm vero *Deus averſus* ſignificat alienationem divini favoris ; *retroſpectans* rite exprimet iſtius favoris reſtitutionem.

Mors] *Mors* hîc more poetico perſonaliter depingitur, ut etiam a Virgilio:

Et cum frigida Mors *animâ ſeduxerit artus,*
Æn. iv. 385.

4. *Inſultet*] *Inſultare* a *ſalio*, eſt Verbum, quod vocant, Frequentativum ; quaſi ſæpius et cum impetu inſilire :

— *Equitem docuere ſub armis*
Inſultare *ſolo, et greſſus glomerare ſuperbos,*
Virg. Georg. iii. 116.

Inde *alicui inſultare* pro *irridere*, et contumelioſius in aliquem aut dicere aliqui, aut facere ; et modò dativo, modò accuſativo jungitur :

——— *Mezentius unquam*
Huic capiti inſultans, *Virg.* *Æn.* viii. 570.

Multos a pueritia bonos inſultaverat. Sall.

Io] *Io* vox eſt omnes fere affectus exprimens, ſed præcipuè gaudium, a particula Græca Ἰώ.

XIV.

NUMINIS extincto ſenſu, gens ſtulta virorum
In cœlo nullum ſomniat eſſe Deum :
In ſcelus omne ruens, confundit faſque nefaſque,
Perdita ; nec juſtum quem vocet orbis habet.
2. De-

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *didactici*, conſtans ex *Propoſitione*, ad verſum quartum ; *Conteſtatione* adverſus improbos, ad verſum ſeptimum ; et *Concluſione prophetica*, verſu ultimo.

1. *Extincto*] *Extinctus* dicitur de iis quæ erant *accenſa*. Hoc igitur epithetum aptiſſime convenit iis, qui aberrarunt a ſenſu numinis. Quod enim lumen Deus, per ſua opera, *accendit* in mente humana, *ipſi*, quantum poſſunt, *extinxerunt.*

Faſque nefaſque] Hîc geminatur copula *que*, per Figuram quam vocant *Polyſyndeton*, de qua ſupra ad Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum*, etc.

Perdita] *Perditus* is dicitur qui ita vitiis addictus eſt, ut inde ſe eximere non poſſit, nec de eo ulla amplius ſpes habenda ſit. *Perditum* enim id dicere

 ſolemus

2. Desuper æthereo prospexit lumine terras
Rerum opifex, famulam qui pede calcat humum:
Lustravitque genus mortale, ut disceret ecquis
Sensus in orbe foret numinis, ecquis amor.
3. Sed simul in præceps omnes lymphaticus error
Egerat, et scelerum perniciosa sitis:
Fugerat hinc Pietas; nec, qui sine crimine vitam
Transigeret, de tot millibus unus erat.
4. Plebis an ignorant proceres se sanguine pasci,
Ceu dape, nec superûm solvere vota Patri?
5. At Deus, insontes clypeo qui protegit, olim
His quatiet subito corda profana metu.
6. Hei mhi! consilium ridet gens impia justi;
Nempe quòd in Domino spem locat ille suo.

ANNOTATIONES.

solemus, quod interiit, ac recuperari non potest.

2. *Lustravitque genus mortale*] *Lustrare* proprie significat *expiare*, a *luo* idem; per Translationem vero *circuire* et *perspicere*: forsan quia expiationes agrorum et urbium per *circuitiones* fiebant. Eodem sensu reperitur apud Virgilium:

——— *Vestigia retro*
Observata sequor per noctem, et lumine lustro,
Æn. ii. 574.

3. *Lymphaticus*] *Lymphaticus, insanus, furiosus*, a *Nymphis, lynpharum* præsidibus, quæ eos, a quibus erant conspectæ, in furorem agebant: vel, quod in rabiem acti, *lympham*, id est, *aquam* timeant. Eodem sensu Virgilius, describens Amatam in furorem actam dicit:

Immensam sine more furit lymphata *per urbem*,
Æn. vii. 377.

Sitis] De Metaphorica hujus vocis significatione supra dictum ad Psal. iv. 6. *Quas sitit.*

Pietas] Hic iterum occurrit *Pietas* pro *Piis hominibus*: cujus Figuræ usus mire animat orationem.

4. *Superûm*] Per *Syncopen* dixit pro *Superorum*.

5. *Olim*] *Olim* est omnium horarum adverbium: Quodlibet enim tempus significat (1) De præterito omnibus notum. (2) De præsenti, Virg.

Vestra meos olim *si fistula dicat amores.* Ecl. x. 34.

(5) De futuro.

Hunc tu olim *cœlo spoliis orientis onustum*
Accipies ——— Æn. i. 293.

7. O Precor! auxilium ſacrâ de rupe Sionis
Fulgeat, et priſco fœdere pacta ſalus:
Vincla Deus reduci populo cùm dempſerit, hymnos
Tollat in aſtra Sion, Abramidûmque domus.

ANNOTATIONES.

7. *Sionis*] Vide Notam in Pſal. ii. 6. *Sanctæque* Sioni.

Vincla] Dicitur per *Syncopen* pro *vincula*: ut Georg. iv. 412.

Tanto, nate, magis contende tenacia vincla.

Reduci] *Redux* is dicitur qui a periculis in tutum, ab exilio ſive captivitate *reducitur* in patriam. Virg.

Namque tibi reduces *ſocios claſſemque relatam*
Nuntio — Æn. i. 394.

Abramidûm] Per *Syncopen* pro *Abramidarum*.

XV.

TELLURIS, Cœlique Sator! tentoria tecum
Quis tua, quis montis culmina ſacra colet?
2. Cui mens labe vacans; legi cui conſona vita;
Pectora perfidiæ neſcia, lingua doli.
3. Felle caret, nec obeſt ſocio; nec dulcis amici
Nomen in opprobrium ludibriumque trahit:
4. Deprimit oſorem, cultorem Numinis effert:
Nec ſua ſolicitant fallere damna fidem:

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *didacticus*, conſtans ex *Quæſtione*, in verſu primo; et *Reſponſo*, in verſibus ſubſequentibus.

3. *Felle caret*] *Fel* humor in corpore, qui, quod flavus eſt, a medicis bilis flava appellatur. Per Tranſlationem pro *mordacitate* et *cavillatione* ponitur: et pro ipſo veneno a Virgilio:

—— *Sagittam*
Armatam -- felle *veneni*,
Æn. xii. 857.

4. *Solicitant*] *Solicitare* eſt inſtare, et velut allicere, vel ſpem oſtendendo, vel metum. Unde reperies, (1) *Solicitare* pretio, *Cic.* 4 in *Catil.* xvii. (2) *Solicitare* votis, *Tib. l.* ii. iv. 53. (3) Voluptas *ſolicitat*, Virg. Georg. iii. 131. Si autem Etymologiam vocis quæras, *ſolicitare* eſt *ſolo citare*, id eſt, *ex ſuo loco movere.*

5. Nec

5. Nec premit uſurâ tenuem; nec prodere cogit
Innocuos auri perniciosa fames:
Hæc quicunque poteſt, ſtat nullo mobilis ævo;
Et colet æternùm Templa ſacrata Deo.

ANNOTATIONES.

5. *Tenuem*] Vide ſupra Not. in Pſal. x. 2. *Impiis ab! tenuem.*

XVI.

PRÆSIDIO dextrâque tuâ me protege, rerum
Conditor! in te ſpes certa repôſta mihi eſt.
2. Te, Deus! agnoſco Dominum, nullius egenum;
Quem nequeo cultu demeruiſſe meo.
3. Siqua tamen ſtudioſa tui gens luminis aurâ
Veſcitur, hanc ſtudio proſequor uſque pio;
Altiùs humanis ſiquis caput extulit, illum
Dulce mihi eſt famulâ ſuſtinuiſſe manu.
4. At ſpreto quicunque DEO ſimulachra Deorum
Muta colunt, pœnas, quas meruêre, luent:
Abſit ut his ſociem cœptis immanibus aras,
Noſtra vel infando dextra cruore litet:

ANNOTATIONES.

Hoc Canticum eſt generis *mixti*, partim *Precatorii*, partim *Eucbariſtici*. Ejus partes ſunt tres: *Propoſitio*, verſu primo: *Enarratio*, verſibus quinque ſequentibus; et *Sponſio Eucbariſtica*, inde ad finem Pſalmi.

1. *Dextraque*] *Dextra* dixit pro *dextera*, ut ſupra Pſal. iii. 7. *Dextraque*.

Repoſta] *Repoſta* pro *repoſita*, dictio triſyllaba, ſed ſæpius apud Poetas, per *Syncopen*, fit diſſyllaba, ut hîc. Sic Virgilius,

—*Manet altâ mente* repoſtum, *Æn*. i. 30.

Tereti cervice repoſta, *Lucret. lib.* i. 35.

Quando repoſtum *Cæcubum ad feſtas dapes*, Hor. Epod. ix. 1.

3. *Veſcitur Aura*] Imitatus Virgilium,

—*Si* veſcitur aura *ætherea*, *Æn*. i. 550.

Veſci aura autem ſignificat, *uti* vel *frui aëre*, ex interpretatione Nonii ad Lucret.

Quove modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter ſe veſci *per nomina rerum*, lib. v. 72.

4. *Cœptis immanibus*] Ita Virgilius,

— *Cœptis immanibus* effera Dido, *Æn*. iv. 642.

Dextra] Vide ſupra in Pſal. iii. 7. *Dextraque*.

Litet]

Abſit ut hæc memorans os ſe contaminet; aures
Abſit ut offendant nomina læva meas.
5. Summa meæ ſortis Deus eſt, cuſtoſque fidelis;
Sufficit hic largâ præmia læta manu.
6. Hæredi mihi ſignat agrum; qui mille renidens
Lautitiis domino gaudia mille parit.
7. Tolletur, me vate, Deus, ſuper ætheris orbes:
Hujus ego nutu, conſilioque regor;
Hujus et afflatu ſacras præcordia flammas
Concipiunt, pulsâ nox ubi luce redit.
8. Hunc oculis, hunc mente fero ſine fine; ruina,
Hic modò ſit dexter, nulla timenda mihi eſt:
9. Geſtiet ergò mihi mens, et cum pectore lingua;
Nec deerit tumulo ſpes animoſa meo:

ANNOTATIONES.

Litet] Inter *Litare* et *Sacrificare* hoc intereſt; *Sacrificare* eſt veniam petere; *litare* vero eſt propitiare et veniam impetrare. Exemplo ſit Virgilius:

Tu modo poſce Deos veniam, ſacriſque litatis, *Æn*.iv.50.

Litare eſt quaſi *lutare*, id eſt luere et ſolvere.

Nomina læva] *Lævus* quum de humanis rebus loquimur, ſignificat *ſtultus, contrarius, noxius*; ut apud Virgilium:

(1) *Et, ſi fata Deûm, ſi mens non* læva *fuiſſet*, Æn.ii.54.

(2) — Lævo *contriſtat lumine cœlum*, Æn. x. 275.

Quum verò ſermo eſt de cœleſtibus *lævus* ſignificat *proſper, ſecundus*, ut

(1) *Intonuit* lævum —— Æn. xi. 693.

(2) — *Siquem Numina* læva *ſinunt, auditque vocatus Apollo*, Georg. ii. 7.

Ratio eſt vel quia ſiniſtra numinum, intuentibus dextra ſunt; vel potius quia Romani, in captandis auſpiciis, ſpectabant meridiem; et ſic ad ſiniſtram habebant partes mundi exorientes, ad dextram occidentes: ut conſtat ex *Varrone Epiſt. Quæſ*. l. 5. qui inde factum arbitratur, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quàm dextera, eſſe exiſtimentur. Græci, contra, ad ſeptentrionem ſe converterunt in ſervando cœlo: ut patet ex *Homero Iliad*. xii. 239. Unde quæ Romani ſiniſtra, Græci dextera habuerunt; ſed utriuſque orientalia auſpicia viſa ſunt meliora, quia lucis et motus principium ab ea parte eſt.

5. *Læta*] Vide Notam in Pſal. iii. 8. *Tempora* læta.

9. *Tumulo*] De hujus vocis propria ſignificatione ſupra dictum ad Pſal. vi. 5. *Senſus abeſt tumulis*.

10. Nam neque permittes animam, Pater alme! tenebras
Inter, in infernâ ducere valle moras;
Nec tibi dilectum, tumuli sub fornice, putres
Pulveris in sordes durus abire sines.
11. Ad tua securum me duces atria; passus
Tu face cœlesti per loca senta reges:
Mille tuos vultus comitantur gaudia; vitæ
Delicias omnes dextra perennis habet.

ANNOTATIONES.

11. *Loca senta*] *Sentis* est spina: sic dictus, quia quamprimum a tangentibus *sentitur*: hinc *senticosus*, et *sentus*, asper, horridus, ut apud Virgilium:

Sed me jussa Deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta *situ cogunt*,
Æn. vi. 461.

Ita etiam Terentius: *Video* sentum, *squalidum*, *ægrum*, *annis pannisque obsitum*, Eun. ii. ii. 5.

Tuos vultus] Plurali numero hîc utitur pro singulari, ut etiam Virgilius:

—*Notos pueri, puer, indue* vultus, Æn. i. 688.

Dextra] Vide supra Not. in Psal. iii. 7. *Dextraque*.

XVII.

SANCTE Parens! aurem justis adverte querelis;
Votaque suspecti suscipe pura doli.
2. Quod jus fasque jubent tandem decerne: sereno
Æquus et e solio desuper æqua vide.
3. Tu, Deus! egisti censuram, noctis in umbrâ;
Pectoris et judex interioris eras:
Nil tamen hîc acies tua noxæ repperit; ori
Scilicet injeci stricta lupata meo.

4. Legis

ANNOTATIONES.

Hujus Psalmi partes sunt tres: *Exordium* sive *Propositio*, versu primo et secundo; *Enarratio*, inde ad versum decimum quartum; et *Conclusio*, versu ultimo.

3. *Repperit*] Dixit *repperit* pro *reperit*, per Figuram vulgo dictam *Epenthesin*; quo modo ipse Virgilius;

Sunt alii, quos ipse via sibi repperit *usus*, Georg. ii. 22.

Satago] *Satagere*, quasi sat habere quod agas, significat, in re agenda anxium esse, diligentem esse, festinare. *Nam hic Clinia, etsi is suarum rerum* satagit, *Ter. Heaut.* ii. i. 13. *Nunc* satagit: *adducit domum etiam*

4. Legis ad obsequium, satago dum flectere mores;
Quas teneant didici Visque Dolusque vias.
5. Ne mihi, quam monstras, linquatur semita vitæ,
Ne pede vacillem, tu, Deus! usque præi.
6. Te, Deus! oravi; te tangent vota precantis:
Auscultans, famuli fac rata vota tui.
7. Da mihi te facilem, famulos qui vindice dextrâ
Protegis, hostiles cùm cecinêre tubæ.
8. Me tege, pupillam veluti; me conde sub alis,
Præsidii tutum præstet ut umbra tui.
9. Undique me cingit crudelis et ingruit hostis:
Hic gazas, jugulum, per scelus, ille petit.
10. Omnibus ora nitent; turgent abdomine ventres;
Ipsaque dum spirant funera verba tument.
11. Quà feror, observant gressus; instantque, premuntque:
Utque vorent, sævo lumine facta notant:
12. Sic cervum vestigat, hians immane, leæna;
Sic oculo passus insidiante legit:

Non

ANNOTATIONES.

tiam ultro, et scribit nummos, Plaut. Asin. ii. iv. 34.

Visque Dolusque] *Visque Dolusque* hîc, more poetico, ponuntur pro *Violento*, et *Doloso*.

6. *Tangent*] *Tangere* hîc sumitur eodem sensu, quo apud optimos auctores; mimirum pro *movere*. Ita Lucret.

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur *ira*, lib. i. 62. *Hæc modice me* tangunt, i. e. mediocriter me commovent, *Cic. Att.* ii. 19. et *Virg.*

— *Miseri te siqua parentis*
Tangere *cura potest*,
Æn. xii. 933.

9. *Ingruit*] Emphatice dixit *Ingruit*, nam *ingruere* est simul, et confertim, veluti *gruum* more invadere. Qua voce utitur Virgilius:

Ingruit *Æneas Italis, et prælia miscet*, Æn. xii. 628. Hîc subauditur præpositio *in*; dicimus enim *ingruit mihi*, vel *ingruit in me*.

10 *Omnibus ora nitent*] Poetice dixit *omnibus* pro *omnium*, ut Psalm. i. 3. *Cui tempestivis*.

Abdomini] *Abdomen* significat in homine pinguedinem illam in ventre inferiori sursum versus ad præcordia intumescentem, auctore Celso iv. 1. Aliquoties sumitur Metaphoricè pro studio gulæ. Unde apud Ciceronem: *Ille gurges atque belluo natus* abdomini *suo, non laudi atque gloriæ*, In Pison. 31. *Abdomini natus*, i. e. *ventri et gulæ*.

11. *Instantque premuntque*] Ingeminatur *que*, ut supra Psal. viii. 17. *Justumque Deum*, etc.

12. *Hians immane*] Simili com-

Non aliter capream de rupe leunculus altâ
Signat; et observat, quà fugit illa, viam.
13. Surge, Deus! præverte nefas quod parturit hostis
Impius; hunc, misso fulmine, dede neci.
14. Eripe me dextris, quas castigare nocentes,
Aptaque vindictæ spicula ferre jubes:
Da, precor, imbellem me ne premat improba mundi
Colluvies, nimias quæ natat inter opes:
Das illi tellure frui; dapibusque saginas,
Quas tibi de cornu divite fundit humus:
Succedit loculis proles numerosa paternis;
Arvaque discinctus sulcat avita nepos.

15. Ast

Annotationes.

comparatione utitur Virgilius:

Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudet hians immane, *comasque arrexit, et hæret*
Visceribus super accumbens, Æn. x. 723.

Immane hîc non est adverbium, sed adjectivum adverbialiter sumptum, ut supra, Psal. i. 3. *Lene fluentis.*

Legit passus] *Legere vestigia* vel *passus*, est aliquem ita sequi, ut premas eadem vestigia quibus ille institerat.

— *Simul et* vestigia *retro*
Observata legit, *Virg. Æn.* ix. 392.

13. *Nefas parturit*] De Metaphorico sensu verbi *parturit*, supra adnotatum ad Psal. vii. 14 *Parturit hæc noxam.*

Dextris] Vide supra Psal. iii. 7. *Dextraque.*

Jubes] *Jubere* nonnunquam pro *velle*, ut hîc. Ita (1) Terentius: *Qui scis an quæ* jubeam, *sine vi faciat?* Eun. iv. vii. 20. et (2) Plautus: Jubeo *te salvere*, Asin. ii. ii. 33.

Colluvies mundi] *Colluvies* proprie est labes aut immunditia, quæ ex concursu alicujus rei contrahitur. *Medetur et suibus hæc—addita in* colluviem *poturis*, Plin. lib. xxiv. 19. Per Translationem pro *impuro hominum grege*, ut apud Ciceronem: *Et te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quæ perspicitur, futura* culluvie *regnare*, h. e. sceleratorum turba, *Att.* ix. 12.

Saginas] *Saginare*, a *Sagina*, cibus quo quis pinguis efficitur, est pingue facere. *Ordeo* saginandus *equus*, Col. c. 27: Inde pro saturare: Saginare *sanguine civium*, Cic. pro Sext. 78.

Tibi—fundit] *Tibi*, i. e. te jubente.

Cornu divite] Quo modo dixit Horatius *cornu* benigno:

—— *Hinc tibi copia*
Manabit ad plenum benigno
Ruris

15. Aſt ego, cùm ſurgam redivivus, fæce ſepulcri
Depoſitâ, vultu perfruar uſque tuo:
Hâc lucem de luce traham, radioſque perennes:
Hic fructus, merces hæc pietatis erit.

ANNOTATIONES.

Ruris bonorum opulenta cornu, 1 Carm. xvii. 16. *Cornu* hîc pro *copia, abundantia*; ex alluſione ad cornu Fortunæ, quo divitiæ ligari dicebantur.

Succedit loculis] *Loculus*, ſacculus in quo pecunia ſervatur, frequentius in plurali legitur, ut

—— *Gemmaque princeps*
— Loculis *quæ cuſtoditur eburnis*, Juv. Sat. xiii. 39.

Geſtit enim nummum in loculos demittere, Hor. ii. Ep. i. 175. Inde ponitur per *Metonymiam* pro *nummis*.

Diſcinctus nepos] *Diſcinctus* proprie *non cinctus*, et de veſtimento laxo et ſoluto dicitur. Inde per Tranſlationem *mollis, luxurioſus*. Apud Romanos enim *diſcinctum* ſeu *non cinctum* prodire in publicum hominis diſſoluti ac luxuriâ perditi nota erat. Contra *cinctus* vel *accinctus* vocatur gnavus ac fortis. Tranſlatio ab iis qui gnaviter aliquid facturi veſtem altius cingebant, ne laciniis defluentibus impedirentur.

Nepos] *Nepos* vocatur luxurioſus, quod ei non major cura ſit rei ſuæ familiaris, quàm ſolet eſſe juveni, cujus pater et avus adhuc vivunt, quos ſibi novit opes congerere et opimam hæreditatem comparare. Unde Horatius,

Diſcinctus, *aut perdam, ut* nepos, *Epod.* i. 34.

XVIII.

TU mihi delicium es, Rex o cœlique, ſolique!
Me tua cœleſti dextera fulcit ope.
2. Tu, Deus! et vindex, et pluſquam adamantina rupes;
Tu columen vitæ præſidiumque meæ es:

Spes

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *triumphalis* ac *laudativus*, conſtans ex *Propoſitione*, ad verſum quartum; *Narratione*, ad verſum quadrageſimum ſeptimum; et *Concluſione*, inde ad finem Pſalmi.

2. *Adamantina rupes*] *Adamantinum*, proprie dicitur quod eſt ex *adamante* factum, vel ad *adamantem* pertinet. *Adamantinum* vero per *Metaphoram* vocamus quicquid invictum atque inexpugnabile indicare volumus, propterea quod incredibilis eſt ipſius *adamantis* durities. Inde Horatius:

—— *Si figit* adamantinos
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos — 3 Carm. xxiv. 5.

Aſylo]

Spes mea te clypeo, te ſolo fidit aſylo;
Durabitque tuo robore fulta ſalus.
3. Te precibus votiſque colam, cui debita laus eſt:
Hoſtis ab inſidiis ſic ego tutus ero.
4. Me dolor obſedit lethi; me terruit ingens
Gurges, et infandis Lerna referta malis.
5. Undique terrificus tumuli circumſtetit horror;
Et laqueis hæſi, Mors truculenta! tuis.
6. Fluctibus e mediis, et lethi faucibus atris,
Ad Dominum ſupplex vota Deumque tuli:
Ille preces humiles ſuperâ ſuſcepit ab aulâ;
Et facili planctum ſupplicis aure bibit.
7. Mota fuit tellus, nutârunt vertice montes;
Imaque cum ſummis plena tremoris erant.

8. Nari-

ANNOTATIONES.

Aſylo] *Aſylum* vox originis Græcæ ἄσυλος, locus a violento tutus; inde locus refugii.

4. *Lethi*] De hac voce vide ſupra Pſal. vi. 3. *Lethum pulſurus.*

Lerna] Fuit *Lerna* palus in *Peloponneſi* agro Argivo, ubi fuit Hydra, ſerpens ſeptem, vel, juxta alios, quinquaginta capitibus terribilem; quorum quoties unum abſciſſum erat, toties alia duplicato numero pullulabant. Hercules tandem eam interfecit, igni ad ſingula vulnera admoto. De quo Virgilius:

— *Non te rationis egentem*
Lernæus *turba capitum circumſtetit anguis,*
En. viii. 299.

Lerna igitur Metaphorice ſignificat numeroſum agmen malorum, vel plurima mala in unum congeſta.

5. *Hæſi, mors truculenta!*] Duo hîc notanda occurrunt, primo, ſubita Mutatio perſonæ; a tertia ſcilicet ad primam. Secundo *Apoſtrophe* ad *Mortem* perſonaliter ſumptam. De hoc parco et prudenti uſu Figurarum ita Quintilianus. "Una tamen in re maxime utilis, ut quotidiani et ſemper eodem modo formati ſermonis faſtidium levet, et nos a vulgari genere dicendi defendat. Quo ſiquis parce, et cum res poſcet, utetur, velut aſperſo quodam condimento, jucundior erit." Huc accedat, quod *Apoſtrophe*, et Figura quam vocant *Proſopopœiam*, dictionem mire intendit, animat et nervoſam reddit.

6. *Lethi faucibus*] De Etymologia vocis *Lethi*, vide ſupra Pſal. vi. 3. *Lethum pulſurus.*

Aure bibit] i. e. *Promptè audivit.* Horatium ſecutus eſt.

Denſum humeris bibit aure *vulgus*, lib. ii. od. xiii. 32.

et Propertium:

Incipe, ſuſpenſis auribus *iſta* bibam, *lib.* iii. *Eleg.* iv. 8.

7. *Nutarunt vertice*] Imitatus

8. Naribus efflavit nebulas Deus, excitus irâ;
Cunctaque flammantes volvit ab ore faces,
9. Æthere depresso, solio descendit ab alto:
Nubila sidereos implicuêre pedes.
10. Ventorum volucres humeris circumdedit alas,
Scandit et ætherei flammea terga chori.
11. Quáque volat, nubes glomerans, se condidit umbris;
Et circumfusis undique texit aquis.
12. Ut jubar admovit, cœperunt hiscere nubes,
Igne micare polus, grandine terra quati.
13. Ore Deus sacro tonuit; mox, grandine mixta
Fulmina cœlesti desiliêre domo.
14. His jaculis pavidos disjecit et obruit hostes,
Ultrici geminans ignea tela manu.

ANNOTATIONES.

tus est Virgilium:
— *Quercus*
Attollunt capita — et sublimi vertice nutant, *Æn.* ix. 682.

Cunctaque flammantes] *Flammo* hic active sumitur pro inflammo: quo modo occurrit apud Tacitum: *His inter se vocibus insistentes,* flammavere *insuper allatæ in Vespasiano literæ,* Hist. iv. 24.

9. *Sidereos pedes*] *Sidereos,* i. e. *fulgens* instar siderum, ut apud Virgilium:
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthrâ
Sidereâ *polus,* Æn. iii. 586.

10. *Terga chori*] *Chorus* proprie est Coævorum cantus atque saltatio; estque vox origine Græcâ Χοϱὸς. Sed sæpius usurpatur ab autoribus pro quovis cœtu sive conventu, in genere.

11. *Nubes glomerans*] *Glomerare,* proprie est *implicare,* et in globi, hoc est Sphæræ figuram, filum inducere. Per Translationem, *congregare* et *accumulare*; in quo sensu sæpius occurrit apud Virgilium: (1)
— *Aves* glomerantur, *Æn.* vi. 311.
(2) — *Agmina cervi*
Pulverulenta fugâ glomerant, *Æn.* iv. 155.

12. *Micare polus*] *Polus* quasi cœli cardo, quo cœlum vertitur: a πολέω, *verto*: *Polus* vero interdum, ut hîc, pro cœlo ipso sumitur: ut,
Humentemque Aurora polo *dimoverat umbram,*
Virg. Æn. iii. 589.
Micare est subinde, et per intervalla, ut *micæ* faciunt, resplendere. Exemplo sit illud Virgilii:
—— *Crebris* micat *ignibus æther,* Æn. i. 94.
Huic igitur loco optime congruit hoc verbum.

14. *Tela*] De hujus vocis Etymologiâ et primariâ significatione supra dictum in Psal. iii. 6. *Tela*.

15. Ut Deus increpuit, pelagi ſe pandit abyſſus;
Aruit et refugas alveus inter aquas:
Ut rutilos patulis efflavit naribus ignes,
Icta metu latebras ima recluſit humus.
16. Deſuper auxilium tulit; et me mille ſepultum
Fluctibus, exertâ ſuſtulit ille manu.
17. Cúmque calens irâ premeret me fortior hoſtis,
Hic mihi de cœli vertice miſit opem.
18. Straverat incautum gens impia, rebus in arctis:
Hic, baculo nixum, ſurgere juſſit humo.
19. Carceris obſeptum tenebris, eduxit in auras
Ætheris; hoc patrii pignus amoris erat.
20 Præmia conceſſit recti Moderator et æqui,
Quæ meruit pietas, et ſine labe manus.
21. Præbuit obſequium legi ſincera voluntas;
Conſcia nec ſceleris menſve manuſve fuit.

22. Ante

ANNOTATIONES.

15. *Se pandit abyſſus*] *Abyſſus*, vox Græcæ originis ἄβυσσος, eſt aqua ſine fundo, vel in immenſam patens profunditatem.

16. *Fluctibus*]. De propriâ, et hâc Metaphoricâ ſignificatione vocis *Fluctus* vide ſupra Not. in Pſal. ix. 13. *Adſpice* fluctus.

17. *Premeret*] Verbum *Premo* ſignificat hîc *perſequor*, *infeſto*, *inſector*, ut ſupra, Pſal. iii. 2. *Premet*.

19. *Carceris obſeptum tenebris*] *Carcer* eſt proprie locus ubi ſervantur noxii et damnati, vel unde quis exire prohibetur: a *coerceo* dictus.

Auras ætheris] *Aura* inter alia ſignificat *aër*, vel *ſpatium aërium*; unde apud Virgilium reperies *auras æthereas*; ubi de æſculo ſic dicit:

Æſculus imprimis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, *tantum radice in Tartara tendit*,
Georg. ii. 291.

20. *Sine labe manus*] *Labes*, proprie macula in veſtimento dicitur: et inde transfertur in homines vituperatione dignos; quorum animus vitiis eſt contaminatus: *Hunc tu quas conſcientiæ* labes *in animo cenſes habuiſſe?* Cic. Off. iii. 21.

21. *Conſcia —— menſve manuſve*] *Conſcius* is dicitur qui cum aliis aliquam rem cognitam habet. Et transfertur etiam ad inanimata, cujus exemplum habes apud Virgilium:

— *Fulſere ignes, et* conſcius *æther*
Connubii — Æn. iv. 167.

ubi loquitur de Connubio Didonis et Æneæ.

22. *In*

22. Ante oculos lex semper erat, nec in æquoris undas
Sculpta Dei digitis jussa tulêre Noti.
23. Mens mihi pura fuit; nec, cùm suaderet iniquum,
Indulsi genio libera fræna meo.
24. Grata Deo pietas mercedem rettulit; insons
Dextera munificâ mox cumulata manu est.
25. Te, Deus! agnoscit sanctum pius; integer æquum;
Purus es et puris; tetricus usque malis.

27. Tu

ANNOTATIONES.

22. *In æquoris undas tulêre Noti*] *Tulêre Noti* est dictio proverbialis Poetis non inusitata, pro eo quod est oblivisci, atque ex animo ejicere: (1) Exemplo sit Virgilius:

— *Nec* ferre *videt sua gaudia* ventos, Æn. x. 652.
Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ
Omnia discerpunt, *et nubibus irrita donant*,
Æn. ix. 312.

(2) Horatius:

— *Tristitiam et metus*
Tradam *protervis in mare Creticum*
Portare ventis, — 1 *Car. Od.* xxvi. 2.

(3) Propertius:

— *Rapidas in vanum* ferre procellas, 2 *Eleg.* xvi. 45.

(4) Tibullus:

— *Veneris perjuria* venti
Irrita per terras, et freta summa ferunt.

Sensus est igitur mandata Dei non exciderunt ex animo meo; nec spreta aut neglecta fuere, ut res nihili quàm damus ventorum ludibrio.

In æquoris undas] Plus est ferre in undas maris quàm in terras; possunt enim recuperari quæ res etiam ad ultimos terræ fines sunt abreptæ; quas vero venti in undas tulerunt, prorsus sunt irrecuperabiles.

Æquoris] Vox *Æquor* proprie æqualitatem et planitiem significat. Unde Virgilius solo terræ attribuit:

— *Ignotum scindimus* æquor *Geor.* i. 50.

Et transfertur ad mare, ab æqua et plana ejus superficie, ut ex innumeris patet exemplis: quod, ob eandem causam, etiam *marmor* dicitur:

— *Infidum remis impellere* marmor, *Geor.* i. 254.

Noti] *Notus* est Auster, sive ventus meridionalis, sic dictus a voce Græcâ νοτὶς, *humor*, quia humores colligit: hîc vero *Noti* ponitur pro ventis in genere, ut supra, Psal. i. 4. *Notus*.

23. *Indulsi genio*] De propriâ significatione verbi indulgere, vide Psal. iii. 8. *Indulges*. *Indulgere genio* est obsequi animo ad voluptates prono; ut apud Persium:

Indulge genio, *carpamus dulcia*, Sat. v. 151.

Libera Fræna] Vide Not. in Psal. ii. 5. *Frænaque*.

25. *Agnoscit sanctum*] *Agnoscere* hîc est idem quod *deprehendere, intelligere, experiri*. Ut apud Virgilium:

— *Sed Troius heros*

27. Tu, Pater omnipotens! humilem de pulvere tolles:
Ardua cœlesti tu pede colla premes.
28. Tu mihi depelles tenebras; et luce serenâ,
Sedibus e superis, te radiante, fruar.
29. Te duce, perrumpam validos, quibus implicor, hostes;
Mœnia transiliens, te duce, victor ero.
30. Recta via est, quamcunque teris; vox fusilis auri
Æmula: tu clypei protegis ære pios.
31. Alme Parens! quid, te semoto, Numinis usquam est?
Te nisi, quid magni maximus orbis habet?
32. Tu mihi das vires, et cingis robore lumbos:
Tu sternis faciles per loca cæca vias.
33. Tu cursu superare levis vestigia cervæ,
Et juga securum scandere summa jubes.

34. Tu

ANNOTATIONES.

Agnovit *sonitum, et divæ promissa parentis,*
Æn. viii. 531.
et Cicero, *de Fin.* v. 49.
Auribus ut nostros possis agnoscere *cantus, agnoscere* auribus, h. e. auditu ipso intelligere.

28. *Depelles mihi tenebras, et luce serenâ, te radiante, fruar*] Omnes hæ similitudines desumptæ sunt a sole, qui vivida nobis exhibetur imago Dei, *Patris luminum,* et fontis vitæ perennis, cujus propitii vultûs perceptio ærumnosas tenebras penitus dispellit, mentemque luce serenâ irradiat.

29. *Mœnia*] De discrimine inter *Mœnia* et *Muros,* vid. Not. in Psal. ix. 6. *Mœnia.*

30. *Clypei ære*] Pro *clypeo ærato,* per Figuram quam vocant *Hendiadyoin,* de qua supra in Psal. ii. 9. *Sceptro ferroque.* Hujus Figuræ varia apud optimos Poetas reperiuntur exempla, præcipue apud Virgilium: ut, ubi loquitur de Jove intonante,

Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem,
Æn. vii. 142.

Lucis et auro dixit pro *aureæ lucis,* vid. *Geor.* ii. 193, iii. 56. *Æn.* i. 65.

31. *Quid numinis —— quid magni*] Pro *quid numen, quid magnum:* ut Virgilius:

—*Huic* aliud mercedis *erit,*
Ec. vi. 26.

Maximus orbis] Ita Virgilius:

——*Et te* maximus orbis
Auctorem frugum—accipiat,
Georg. i. 26.

32. *Tu,* etc.] Est *Anaphora* in crebrâ repetitione vocis *Tu,* in hoc et sequentibus versiculis: ubi Poeta, felix Virgilii imitator, respexisse videtur ad *Æn.* viii. 293. ubi laudes Herculis celebrantur:

— Tu

34. Tu dextram bellare doces: mihi ferreus arcus
Rumpitur; eſt impar viribus ille meis.
35. Texiſti clypeo, fulſiſti robore dextræ;
Meque tuus pavit ſemper et auxit amor.
36. Pandit iter tutum bonitas tua; neve labaret,
Neve vacillaret pes mihi, cura fuit.
37. Hoſtibus indixi bellum, cepique fugaces:
Nec, niſi proſtratis, patria viſa mihi eſt.
38. Vulnera vulneribus cumulans, tota agmina ferro
Mactavi, pedibus mox ſubigenda meis.
39. Robore me valido tua cinxit dextra: rebelles
Hæc eadem domitos in mea vincla dedit.
40. Te duce, cervices mihi ſubmisêre Tyranni;
Impia juſſiſti dedere colla neci.
41. Vota Deo ſtrictas inter fudêre ſecures:
Ille ſed aversâ reſpuit aure preces.
42. In cineres verſos Notus abſtulit: inque plateis
Hoſtica calcavi corpora, more luti.
43. Tu, Deus! ampla mihi pacato regna dediſti;
Serviet et ſceptris gens peregrina meis.

44. Of-

Annotationes.

—Tu *nubigenas, invicte! bimembres,*
Hylæumque, Pholumque manu; tu *Creſſia mactas*
Prodigia. etc.

34. *Dextram*] Pro *Dexteram*: ut in ſequenti verſu *dextræ* pro *dexteræ*, vide Pſal. iii. 7. *Dextraque*.

35. *Robore dextræ*] Pro *robuſtâ dextrâ*, per Figuram quæ dicitur *Hendiadyoin*, de qua ſupra dictum. Vide Not. in Pſal. ii. 9. *Sceptro ferroque*, et in hujus Pſalmi verſiculum trigeſimum, *Clypei ære*.

38. *Pedibus—ſubigenda*] *Subigere* hîc ſumitur eodem ſenſu quo in Catone, *Farinam* ſubigere, i. e. contundere, *Cap.* lxxiv.

39. *Dextra*] Vide ſupra Not. in Pſal. iii. 7. *Dextraque*.

Vincla] Dixit per *Syncopen*, pro *vincula*; quo modo etiam Virgilius:
Ipſe viro primus manicas atque arcta levari
Vincla *jubet Priamus*,
Æn. ii. 145.

40. *Tyranni*] De hac voce conſule Not. in Pſal. vii. 2. *Impune* tyranni.

42. *Notus abſtulit*] De hac locutione ſupra dictum in hujus Pſalmi verſiculo viceſimo ſecundo, *In æquoris undas* tulere Noti.

43. *Pacato*] *Pacatus* hîc idem ſignificat quod *pace potitus*, vel ab hoſtibus liberatus, ut apud Livium: *Neſcio quo facto, magis bellantes quam* pacati *propitios*

44. Offeret obſequium, noſtris excita triumphis,
Turba frequens; tellus ultima dona dabit.
45. Fama mei ignotas quatiet formidine gentes,
Quaſque colunt latebras, ſepoſitoſque lares.
46. Vivat honos, nomenque Dei; qui robore mentem
Firmat, et æternùm vivere poſſe dedit.
47. Ille mihi vires reparans peſſundedit hoſtes,
Subdidit et ſceptris colla ſuperba meis.
48. Tu, Deus! es vindex; humilem tu tollis in altum:
Impia tu populos ponere tela jubes.
49. Ergò tuos titulos nunc audiet ultima tellus,
Et mihi perpetuum laus tua carmen erit.
50. Quem tibi ſacrâſti, tua ſervat dextera regem:
Hæc eadem ſobolem cum patre porrò teget.

ANNOTATIONES.

pitios habemus Deos, lib. iii. 19.

Regna —— ſceptris] *Enallage* eſt numeri pluralis pro ſingulari, more Poetis ſatis uſitato. Ita Virgilius:

——*Illic fas* regna *reſurgere Trojæ*, Æn. i. 210.
Conjugio Æacidæ Pyrrhi ſceptriſque *potitum*, Æn. iii. 296.

45. *Sepoſitoſque lares*] *Lares* erant Dii domeſtici quos in ſecreta parte ædium gentes colebant. Quidam exiſtimant *Lares* fuiſſe ipſas animas parentum qui, quod olim in ipſa domo ſepulturæ mandarentur, curare ſemper familiam putabantur ſuam; et propterea religioſe colebantur. Sed ſumitur hîc pro ædibus, ut apud Virgilium:

Sæpe etiam effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris
Sub terra fodere larem, Georg. iv. 43.

47. *Peſſundedit hoſtes*] De voce *peſſum* et ejus compoſito *peſſundo*, vide Pſal. x. 16. *Peſſum.*

Sceptris] Pluralis numerus iterum pro ſingulari, ut ſupra in verſu quadrageſimo tertio.

48. *Tela*] De hujus vocis Etymologia et primaria ſignificatione, conſule Pſal. iii. 6. *Tela.*

49. *Tuos titulos*] *Tituli* hîc ſunt *laudes, gloria, honores*, ut apud Horatium:

—*Scelus ob* titulos *admittis inanes*, lib. ii. Sat. iii. 212.

50. *Sacrâſti*] Per *Syncopen* dixit pro *Sacraviſti.*

Porrò] De hac voce vide Not. in Pſalm. vi. 8. *Porro.*

XIX.

NUMINIS inſcriptæ titulis ſunt ætheris arces:
Et rerum dominâ regia picta manu.
2. Lux lucem, noctemque premens nox altera, laudes
Artificis memorant nocte dieque ſui.
3. Non tam ſepoſita eſt, nec gens tam barbara voces
Illarum quæ non jugiter aure trahat.
4. Omnibus aſtriferâ radii mittuntur ab aulâ;
Et bibit æthereos ultima terra ſonos:
Adſpicis ut ſolidis ſurgant palatia gemmis;
Sol ubi purpureum fundit ab axe jubar.
5. Sponſi more novi thalamo ſe tollit Eoo;
Carpit et, exultans more gigantis, iter.
6. Littus in Heſperium roſeo dum fertur ab ortu;
Omnia vivifico, quà volat, igne fovet.

7. Sed

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, partim *Didacticus*, partim *Precatorius*. Sunt autem partes illius duæ: *Propoſitio*, uſque ad verſum undecimum; et *Concluſio*, inde ad finem Pſalmi.

1. *Inſcriptæ*] Eſt imitatio Virgilii:

Dic quibus in terris inſcripti *nomina regum*
Naſcantur flores, Ecl. iii. 106.

Titulis] De hac voce ſupra ad Pſal. xviii. 49. *Tuos* titulos.

4. *Bibit ſonos*] De hac formula loquendi *bibere ſonos*, vide Pſal. xviii. 6. *Aure* bibit.

Purpureum jubar] Quo modo Virgilius dixit,

Purpureum lumen, *Æn.* vi. 640.
Largior hic campos æther et lumine *veſtit*

Purpureo, i. e. *ſplendenti*: ut etiam, *Æn.* i. 595.

—Lumen*que juventæ* — purpureum.

et Horatius:

——Purpureis *ales oloribus*,
Carm. iv. Od. i. 10.

Axe] *Axis* proprie eſt *Stipes teres circa* quem rota vertitur; et transfertur ad polos cœli, præcipue ad polum arcticum; unde per *Synecdochen* ſumitur, ut hîc, pro toto cœlo: ut apud Virgilium:

——*Nudoque ſub ætheris* axe
Ingens ara fuit, *Æn.* xi. 512.

5. *Thalamo Eoo*] *Thalamus* eſt *torus* vel *lectus* conjugalis; vox quæ huic loco bene convenit. *Eous*, *orientalis*, vel *matutinus*, ab ἠώς, *eos*, vel *aurora*, quæ inde oritur.

6. *Littus in Heſperium*] *Heſperium*, *occidentale*, ab *Heſpero*, Veneris ſtella; quæ mane ſub Luciferi nomine apparet, ſero ſub nomine Heſperi; et per *Metonymiam*, occaſum ſignificat. Inde Græci eas regiones, quas

 habe-

7. Sed magè flexanima eſt Domini lex, neſcia labis:
Expolit hæc mentes fida magiſtra rudes.
8. Æquius hâc nihil eſt; nihil eſt hâc purius unâ:
Hæc cor lætitiâ, lumina luce beat.
9. Huic pietas eſt pura comes, luceſque perennes:
Nil habet erroris; nil tegit illa doli.
10. Vilius hâc aurum eſt, quod ſeptimus eliquat ignis:
Dulcia nec tam ſunt condita mella favis.
11. Lex monet, et mentem famuli præmunit; et ampla
Præmia fert quiſquis quod jubet illa facit.
12. Hei mihi! caligat mens ad ſua crimina: dele
Tu, Pater! arcano quæ fovet illa ſinu.
13. Ne tumeat, ſceleri fac ne ſe mancipet: hydris
Mille repurgatis, ſic ego purus ero.
14. Suſcipe quæ promo, tacitâ vel mente voluto:
Quod vivo, et vigeo, munus id omne tuum eſt.

ANNOTATIONES.

habebant ad occaſum, Italiam nempe et Hiſpaniam, *Heſperiam* appellaverunt. Et a Græcis hoc nomen devenit ad Romanos. Exemplo eſt Virgilius, qui Italiam vocat *Heſperium littus*:

——*Juvenum manus emicat ardens*
Littus *in* Heſperium, *Æn* vi.6.

Roſeo--ortu] De Poetico uſu hujus epitheti *roſeus*, vide Pſal. i. 2. *Roſeo.*

9. *Luces perennes*] Plurali numero uſus eſt pro ſingulari, cujus Figuræ uſus eſt, ut magis intendat orationem.

13. *Mancipet*] De hac voce conſule Pſal. xii. 2. *Mancipat.*

Hydris repurgatis] *Hydra* proprie ſerpens aquaticus, ab ὕδωρ, aqua; qui, ut docet Plinius, nullis ſerpentium veneno inferior; et Poetis fuit ſerpens multorum capitum in Lerna palude. Hinc transfertur ad *pravos affectus*, qui animum corrumpunt, et conſcientiæ morſus et angores pariunt.

14. *Voluto*] De hac voce vide ſupra Not. in Pſal. ii. 1. *Volutat.*

Quod vivo, etc.] Imitatus eſt Horatium:

Totum muneris *hoc* tui *eſt*,
Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quod ſpiro, et placeo, *ſi placeo*, tuum *eſt*,
Carm. iv. Od. iii. 21.

XX. REBUS

XX.

REBUS in angustis, pateant tibi Numinis aures;
Magnus et Isacidûm sit tua parma Deus.
2. Advolet ex adytis, cinctus victricibus armis;
Et ferat è sacrâ rupe Sionis opem.
3. Sitque memor, donis quoties cumulaveris aras;
Donaque promisso desuper igne probet.
4. Mollibus adspiret Zephyris, et vota secundet;
Sitque ratum quicquid mens sine labe petit.
5. Sic ubi tu, voti compos, servabere, passim
Vindicis extabunt læta tropæa tui:

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Precatorius*, ex tribus partibus constans; *Petitione*, usque ad versum sextum; *Confirmatione*, ad versum nonum; et *Conclusione*, versu ultimo.

1. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dixit *Isacidûm* pro *Isacidarum*.

2. *Adytis*] *Adyta* est vox Græcæ originis; erant intimæ partes domorum templorumque, quò non *vulgo profano* patebat aditus: ab *α*, privativo, et δύω *ingredior*.

Sionis] De hoc loco vide Not. in Psal. ii. 6. *Sioni*.

3. *Promisso desuper igne probet*] Plerique Interpretes sacræ scripturæ existimant Deum signum dedisse doni, vel sacrificii sibi accepti et probati, ignem cœlitus demittendo ad victimam consumendam: ut in exemplo Abrahami, *Gen.* xv. 17. et Eliæ, 1 *Reg.* xviii. 38. ad quod signum Poeta hîc loci respicere videtur.

4. *Adspiret*] De propriâ et Metaphoricâ hujus vocis significatione consule supra Psal. i. 3. *Adspirans*.

Mollibus Zephyris] *Zephyrus* ventus flans ab occasu æquinoctiali, sic dictus quasi ζωηφόρος, *vitam afferens*, Latinis *Favonius*.

Vota secundet] *Secundet*, i. e. prosperet, a voce *secundus* dictum, cum enim, in capiendis auspiciis, post adversum omen, novum repeteretur; si hoc prosperum erat, primum destruebat, vocabaturque *secundum*.

5. *Voti compos*] Dicitur *compos mentis*, *compos rationis*, qui hæc habet: At *compos voti*, *compos victoriæ*, qui hæc obtinuit. *Compos voti* idem est quod apud Virgilium *Reus voti*:

—— *Taurum*
Constituam ante aras voti reus, Æn. v. 237.

Læta tropæa] *Tropæa* a τροπὴ, id est fuga hostium; erant spolia ab hostibus capta, et fixa in stipitibus, ut essent insignia et monumenta bellicæ laudis ac victoriæ. Inde Virgilius spolia Mezentii *Tropæa* vocat:

Ma-

6. Annuet optatis Deus; et, me vate, ministri,
Quem sibi sacravit, proteget ille caput:
Illius, e superæ sacris penetralibus aulæ,
Auris erit votis pervia, prompta manus.
7. Ille rotis, hic fidat equis et fortibus armis;
Supplice nos Domino fundimus ore preces.
8. Illa jacet gens strata solo; nos robore firmo
Numinis erexit sustinuitque manus.
9. Magne Parens rerum! patriæ tu protege patrem;
Et populi votis annuat ille sui.

ANNOTATIONES.

Mezentî ducis exuvias; tibi magne Tropæum
Bellipotens, —— *Æn.* xi. 67.

6. *Penetralibus*] *Penetralia* erant partes domûs interiores, ubi *penates* servabantur, a *penetro* et *penus*: vide Psal. iv. 7. *Penus*.

XXI.

QUAM, Pater alme! tuo Rex plaudet Numine fultus!
Clamabit quoties, te duce, victor, Io!
2. Tu rata fecisti tacitâ quæ mente poposcit;
Vana nec alipedes verba tulêre Noti.
3. Prævertêre preces opulentæ munera dextræ,
Gemmiferum cinxit cùm Diadema comas.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *gratulatorius*, constans ex *Propositione*, versu primo; *Narratione*, ad versum decimum secundum; et *Conclusione*, ultimis duobus versibus.

1. *Alme*] De hac voce vide Psal. xii. 1. *Alma*.

Clamabit Io] De hac interjectione *Io* vide Psalm. xiii. 4.

2. *Tulere Noti*] De hac forma loquendi vide supra Psal. xviii. 22. *In æquoris undas* tulere Noti.

Alipedes Noti] Ventos ob velocitatem qua feruntur, poetico more depingit quasi alatis pedibus: Quo etiam modo Virgilius equum, pernicissimum animal, *alipedem* vocat:

—— *Jubet ordine duci*
Instratus ostro alipedes, ——
Æn. vii. 277.

Lucretius idem epithetum *cervis* attribuit:

Naribus alipedes *ut* cervi *sæpe putantur,*
Ducere de latebris serpentia sæcla ferarum, Lib. vi. 765.

3. *Dextræ*] Per *Syncopen* pro *dexteræ*. Vide Not. in Psal. iii. 7. *Dextraque*.

Comas]

4. Ut vitam petiit, vitam ſine fine dediſti :
Et te perpetuus vindice crevit honos.
6. Hôc tu felices feciſti rege tribules :
Luce tui vultûs geſtiit ille frui.
7. Quâque priùs fidit, tua ſemper gratia præſtò eſt;
Dirigit et greſſus, nec titubare ſinit.
8. Præda cadent odiis armati triſtibus hoſtes :
Induet et manicas gens ſcelerata tuas.
9. Te, Deus! accenſo, ſcintillans ſulphure fornax
Hauriet hanc; fervens et teget ora cinis.
10. Arva ſuas meſſes, fœtus quoque ſubtrahet arbor;
Et genus ex iſto ſemine nemo trahet.
11. Scilicet occultâ gens hæc te fraude petivit:
Verſa ſed in fumum fraus truculenta fuit.
12. Ergò ſequeſtratam meritâ tu cuſpide figes:
Strictaque jam vindex ſpicula nervus habet.
13. Exſere tu vires: æquata potentia cœlo
Carmen erit nobis, laudis et ampla ſeges.

ANNOTATIONES.

Comas] Per *Synecdochen* pro *capite*, ut ſupra Pſal. viii. 8.

Diademate] *Diadema*, vox Græca διάδημα, erat faſcia candida quâ regum capitibus obligabatur. Hìc ſumitur pro *corona* in genere.

4. *Vitam ſine fine dediſti*] Maronem imitatus:

Imperium ſine fine dedi,
Æn. i. 283.

6. *Tribules*] *Tribules* vel in genere qui ſunt ex *tribu*, vel potius plebeii, pauperes: ut *tribulis conviva*, pro non divite ab Horatio uſurpatur:

Ut cum pileolo ſoleas conviva tribulis, 1 Ep. xiii. 15.

Geſtiit] Per *Syncopen* pro *geſtivit*.

12. *Sequeſtratam*] *Sequeſter*, unde *ſequeſtratus*, is dicitur apud quem plures eandem rem, de quâ controverſia eſt, depoſuerunt, a *ſequendo*, quod utraque pars ejus fidem et judicium ſequatur. Inde *ſequeſtrare* ſignificat rem ſeparare et relinquere.

Cuſpide] *Cuſpis* proprie acuta pars gladii quæ infigit vulnus: hìc vero ponitur per *Synecdochen* pro *ipſo telo* vel *gladio*; ut etiam apud Virgilium:

Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis *ictum.*
Evaluit, —— Æn. vii. 756.

XXII.

XXII.

AH! Deus, ah! me cur liquisti? ululatibus aures
Cur, procul abscedens, subtrahis usque meis?
2. Te noctu, te luce voco; sed nocte dieque
Tu famuli durâ negligis aure preces.
3. Ad pia vota, Deus! pelagi tu surdior undâ es;
Sanctus es ipse tamen, templaque sancta colis.
4. Numine fulta tuo Solyme stetit; inter et hostes,
Te domus Isacidûm vindice tuta fuit.
5. Admovêre preces; tua juvit dextra precantes;
Nec Spes erubuit Numine nixa tuo.
6. Nulla mihi jam forma viri est; ah! reptilis instar,
Calcor, et opprobriis undique mille petor.
7. Qui spectator adest, ridet, ringitque, caputque
Quassat; et hæc in me Sannio probra jacit:
8. Ille Deo fidit; nunc, cui se credidit, illi
Sit Deus auxilio, siquid amoris habet.

9. Me

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *mixti*, partim *Precatorius*, partim *Gratulatorius*; duabus partibus constans. *Precatione*, usque ad versum vigesimum secundum; et *Gratiarum actione*, inde ad finem Psalmi.

1. *Ululatibus*] *Ululatus* proprie dicitur de flebili questu avis nocturnæ quæ *ulula* appellatur; inde ad humanos ploratus transfertur: ita Virgilius lugubres fletus ob mortem Didonis *ululatus* vocat:

Lamentis gemituque et fœmineo ululatu
Tecta fremunt,--Æn. iv. 667.

3. *Pelagi tu surdior unda es*] Est hoc proverbium dictum in eos qui non audiunt: mare vero *surdum* vocatur, quia magno fragore resonans, ob strepitum undarum præterea nihil exaudire liceat.

4. *Solyme*] Vide Not. in Psal. ix. 11. *Solymam*.

Isacidûm] Per *Syncopen* pro *Isacidarum*.

Te Vindice] *Vindex* sæpius significat idem quod *ultor*, hîc vero sumitur pro *defensor*, eodem sensu quo apud Ciceronem: *Nunquamne intelliges*, — *utrum illi* — *homicidæ sunt, an* vindices *libertatis!* Phil. ii. 12.

5. *Dextra*] Vide Not. in Psal. iii. 7. *Dextraque*.

Spes erubuit] *Spes* hîc sumitur personaliter more poetico; et *spes erubuit* idem est ac si dixisset, *spes elusa est*.

7. *Ringitque, caputque quassat*] Hic copula *que* geminatur et redundat, per Figuram *Polysyndeton*, de qua supra Psal. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

Sannio] De hac voce videnda

quæ

9. Me tamen, alme Parens! traxisti matris ab alvo;
Tu quoque lactenti spes mihi dulcis eras.
10. Me tua suscepit nascentem dextera: cunas
Texit ab insidiis mox tua cura meas.
11. Ne procul abscedas; cervicibus imminet hostis:
Ah! nisi tu dederis, nil mihi restat opis.
12. Mille truces cingunt, et limant cornua tauri,
Quos dape Basanis lauta saginat humus.
13. Rictibus horrendi pandunt immanibus ora:
Trux leo balantes sic rugit inter oves.
14. Instar aquæ fluitant artus, compage solutâ:
Liquitur et ceræ cor mihi more novæ.
15. Arescit, ceu testa, vigor; vox faucibus hæret:
Et mihi jam tumulum jussa recludit humus.
16. Infesti cinxêre canes, et sanguine gaudens
Turba; manus fossas ære pedesque vides.

17. Ossa

ANNOTATIONES.

quæ supra annotavimus ad Psal. i. 1. *Sanna.*

9. *Alme*] De hoc epitheto vid. supra Not. in Psal. xii. 1. *Alma.*

11. *Cervicibus imminet*] *Cervicibus* pro *cervici*, per *Enallagen* pluralis pro singulari.

12. *Dape Basanis*] *Basan* regio opulenta et populo frequens, nunc Batanæa dicta: ibi regnavit olim Ogus e stirpe gigantum oriundus, et hæc terra pecorum cultu erat præcipue insignis; ut patet ex *Deut.* xxxii. 14.

13. *Horrendi pandunt*] i. e. *horribiliter* pandunt, adjectivum scilicet pro adverbio; ut supra Psal. ii. 12. *Securus.*

14. *Fluitant artus*] *Artus* sunt compagines ac juncturæ majorum corporis membrorum; ut *articuli* minorum, puta digitorum; hîc vero ponitur pro ipsis membris; ut apud Virgilium:

Et sale tabentes artus *in littore ponunt,* Æn. i. 177.

15. *Vox Faucibus hæret*] Imitatus Virgilium:

Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit,
Æn. vi. 774.

Tumulum] Videsis de hac voce Not. in Psal. vi. 5. *Tumulis.*

16. *Fossas ære*] *Ære* hîc ponitur, per *Metonymiam,* pro telo vel lancea ex ære, quo modo *ferrum* ponitur pro *gladio*; et *æs* pro *rostris navium,* apud Virgilium:

Vela dabant læti, et spumas salis ære *ruebant,*
Æn. i. 39.

et *æra* iterum pro operibus ex ære factis:

Et mæstum illacbrymat templis ebur, æraque *sudant,*
Georg. i. 480.

17. *Pascit*]

17. Oſſa miſer numerem: tamen his fera lumina paſcit
Cladibus inſultans gens ſcelerata meis.
18. His ſpolium ceſſit, me qui velabat, amictus;
Et lis de tunicâ ſorte dirempta fuit.
19. Spes vitæ, Columenque meæ! ne longiùs abſta;
Quam potes, adfer opem; nectere parce moras.
20. Enſibus infandis, quibus impetor, eripe vitam:
Circumlatrantes undique pelle canes.
21. Dextera fulmineo tua comprimat ora leoni:
Exuat et cornu monocerota truci.
22. Fratribus ergò meis, populi ſpectante coronâ,
Ut decet, invicti Numinis acta canam.
23. Facta Dei laudent, quibus eſt reverentia cœli;
Iſacidûmque tribus, Abramidûmque genus.
24. Ille nec afflictos eſt dedignatus; egenis
Ora nec avertit, clauſa nec auris erat.
25. Illius attollam laudes, et dulce putabo
In medio populi ſolvere vota choro.
26. Se ſaturabit inops; factum mens, Numine freta,
Efferet, æternis mox fruitura bonis.
27. Accurrent populi memores a finibus orbis,
Seque ſimul ſternent illius ante pedes.

28. Ille

ANNOTATIONES.

17. *Paſcit*] De Metaphorica ſignificatione hujus verbi vide ſupra Pſal. iv. 2. *Paſcis mendacibus umbris.*

Inſultans] Conſule de hac voce Not. in Pſal. xiii. 4. *Inſultet.*

21. *Fulmineo leoni*] *Fulmineo*, i. e. violenter in me irruenti inſtar *fulminis*; quo modo Virgilius enſem *fulmineum* appellat.

— *Vaginâque eripit enſem,*
Fulmineum, —Æn. iv. 579.

21. *Monocerota*] *Monoceros*, *-otis*, Græce *μονόκερως*, Latine *Unicornis*, animal ſic dictum quia unum habeat cornu nigrum media fronte, reliquo corpore equo ſimile; teſte Plinio, *Lib.* vii. *c.* 21.

23. *Iſacidûmque* — *Abramidûmque*] Pro *Iſacidarumque* — *Abramidarumque*, ubi *que* redundat, ut ſupra Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem.*

24. *Ora*] Pro *vultu*, ut ſupra Pſal. vii. 5. Hîc etiam pluralis numerus ponitur pro ſingulari.

25. *Medio choro*] De *choro* vide ſupra Pſal. xviii. 10. *Chori.*

27. *Sternent illius ante pedes*] De hujus ritûs ſignificatione videnda ſunt quæ ſupra annotavimus

28. Ille manu forti rerum moderatur habenas,
Sceptraque quot Vefper, quotquot et Ortus habet.
29. Hunc colet autorem rebus qui floret opimis,
Expletus dapibus, lautitiifque meris :
Proximus et tumulo, fupplex, dabit ofcula plantis;
Hoc fine nam fruftra languida membra levès.
30. Serviet et foboles cœlo devota; Deoque
Sub duce, militiæ pars erit una facræ.
31. Difcet et ex illâ proles ventura favorem
Numinis, et dextræ cuncta regentis opus.

Annotationes.

vimus ad Pfal. v. 7. *Illuftres* fternar *et* ante pedes.

28. *Moderatur habenas rerum*] i. e. mundum univerfum pro fua voluntate regit; *Metaphorâ* fumptâ ab equis, qui ope fræni vel habenarum huc et illuc flectuntur ad libitum equitis.

Quot] Pro *quotquot:* Catullo haud infolitum:

— Difertiffime Romuli nepotum
Quot *funt*, quotque *fuere*, *Marce Tulli*,
Quotque *poft aliis erunt in annis*, Carm. xlix. 1.
Adefte Hendecafyllabi quot *eftis*
Omnes undique, quotquot *eftis omnes*, Ibid. xlii. 1.

Vefper] *Vefper* proprie ftella quæ *Venus* dicitur, e feptem planetis unus; et mane quidem appellatur *Lucifer*, fero *Vefper* et *Hefperus*. Ponitur hîc pro occidentali mundi parte, per *Metonymiam.* Vide fupra Pfal. xix. 6. *Littus in* Hefperium.

29. *Tumulo*] De hac voce confule Not. in Pfal. vi. 5. *Tumulis.*

Dabit ofcula plantis] De propria fignificatione hujus ritûs vide Pfal. ii. 12. *Ofcula da Nato.*

31. *Dextræ*] Per *Syncopen* pro *dexteræ:* Vide Notam in Pfal. iii. 7. *Dextraque.*

XXIII.

BLANDUS ut upilio, me pafcit Conditor orbis :
Ne mihi quid defit, providus ille cavet.

Annotationes.

Hic Pfalmus eft *didacticus*, quo Pfaltes fuam fiduciam in Deum benignum duobus modis exponit: primo per *Narrationem Allegoricam*, ufque ad verfum quintum; deinde per *Accommodationem Allegoriæ* ad perfonam fuam, duobus reliquis.

1. *Upilio*] *Upilio* hîc ponitur pro *Opilio*, *o* brevi, in *u* longum, metri caufa, mutato; ad exemplum Virgilii:

Venit et upilio, *tardi venere bubulci*, Ec. x. 19.

F

2. Dat

2. Dat satur ut recubem pratorum in gramine molli:
Ducit et ad rivos lene sonantis aquæ.
3. Cor recreat, rectique viam mihi monstrat et æqui;
Illius ut laudes lætus in astra feram.
4. Non ego degeneri quaterer formidine, lethi
Ante oculos quamvìs vallis opaca foret:
Tu, Deus! es præsto, baculo vestigia firmans
Ne titubem; vires restituisque meas.
5. Hoste palàm tu das plenis accumbere mensis;
Et mihi regales porrigis ipse dapes:
Tu caput irroras succo felicis olivæ;
Sufficis et largâ pocula plena manu.
6. Me tua defendet bonitas, dum lumine vescar;
Per salebras gressus diriget illa meos:

Annotationes.

2. *Lene sonantis*] Vide quæ annotavimus ad Psal. i. 3. *Lene.*

3. *Lætus*] Est *Enallage* adjectivi pro adverbio, *lætus* nempe pro *læte.* Vide Psal. ii. 12. *Securus.*

4. *Degeneri*] *Degener* is est qui Patris vel majorum suorum moribus non respondet: inde idem significat quod vilis, ignobilis; ut apud Virgilium:

Degeneres *animos timor arguit,* Æn. iv. 13.

Lethi] De hujus vocis *Etymologia* supra dictum ad Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus.*

5. *Das accumbere,* etc.] Felix imitatio Virgilii:

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Jovemque,
Concilias: tu das *epulis* accumbere *divûm,*
Æn. i. 82.

Succo felicis olivæ] Est *Periphrasis* pro *oleo*; ut supra Psal. ii, 6. Succo *viridantis olivæ.*

Felicis] *Felix* hîc accipitur eodem sensu quo apud Virgilium:

—Nec longum tempus et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus *arbos,* Georg. ii. 80.

Plena] In hac eleganti *Anaphora*, vocis *plena* nempe et *plenis*, Poeta suo more sequitur magistrum suum Virgilium:

Huc, Pater o Lenæe! tuis hîc omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, spumat plenis *vindemia labris,*
Georg. ii. 4.

6. *Lumine vescar*] De hac dictione *Lumine vesci* vide Psal. xvi. 3. *Aura vescitur.*

Adytis] De voce *adyta* consule Psal. xx 2. *Adytis*

Gaudia] *Gaudia* dixit in plurali numero, quò exprimat plenos illos lætitiæ et voluptatum rivos, qui a numinis vultu et favore proveniunt.

Inque

Inque tuis adytis, rerum Pater alme! morabor;
Hîc, ubi perpetuo gaudia lætus agam:

ANNOTATIONES.

Lætus] Hîc adverbialiter sumitur pro *læte*, ut supra in versiculo tertio.

XXIV.

TERRA Dei est, terramque sinu qui suscipit orbis;
Quidquid et indigenûm terra vel æquor habet.
2. Illius æquoreis terram stabilivit in undis
Dextera, flumineas fixit et inter aquas.
3. Quem colit hic, ecquis nitatur in ardua montis?
Ecquis sacratâ sistet in æde pedem?
4. Cui manus est insons; cor purum; nescia fastûs
Mens; nec perjura est lingua, nec usa dolo:
5. Hunc Deus, autor opis, donis cumulabit opimis;
Et dabit, electo cum grege, recta sequi.
6. Numinis ore frui quisquis sic ambit et ardet,
Solus hic Abramidûm se putet esse genus.
7. Pandite jam valvas, princeps et gloria Regum
En! subit; æternas pandite, Templa! fores.

8. Ec-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est partim *laudativus*, partim *didacticus*, prædicans universum Dei imperium; et generalem ipsius providentiam, ab initio ad versum tertium: deinde specialem celebrat Dei præsentiam qua adest veris pietatis cultoribus, a versu tertio ad septimum. Hujus præsentiæ symbolum apud Judæos erat Arca fœderis, quam propterea cum omni lætitiâ excipiendam esse ostendit; inde ad finem Psalmi.

1. *Indigenûm*] Pro *Indigenarum* per *Syncopen*.

Æquor] De propria significatione vocis *æquor*, vide Psal. xviii. 22. *Æquoris*.

3. *Ardua montis*] Pro *arduum montem*, ut *opaca viarum*, Psal. x. 8. quem locum vide.

5. *Grege*] De significatione Metaphorica vocis *grex*, vide Psal. i. 1. *Grege*.

6. *Abramidûm*] Per *Syncopen* pro *Abramidarum*, ut supra Psal. xxii. 23.

7. *Valvas—fores*] Portæ ac januæ partes hîc distinguemus. *Porta* proprie de urbibus dicitur: quia cum circuitus urbis aratro primum designabatur, qua parte relinquendus erat in urbem aditus, attollebatur aratrum, ac *portabatur*, ne sulcum imprimeret. Privatarum domorum ingressus, cum apertus est, dicitur

 anua,

8. Ecquis hic eſt, regum decus ingens? Robore pollens
Ille, triumphali ventilat arma manu.
9. Majeſtas ſublimis adeſt; ſe ſponte perennes
Recludant aditus, excutiantque ſeras.
10. Ecquis adeſt tantâ Rex Majeſtate coruſcus?
Hoc Rex, qui bello fulminat, ore nitet.

ANNOTATIONES.

janua, vel ab *eundo*, vel a *Jano*; cum clauſus eſt, dicitur *oſtium*, ab *obſtando*. Ea per quæ prohibetur ingreſſus, ſi *foras* aperiuntur, dicuntur *fores*: ſi duas in partes ab utroque latere panduntur, *bifores*: ſi ab uno tantum latere, ſed in ſe *volvuntur*, ac replicantur, *valvæ*, quaſi *volvæ*. Sed hæ voces ſæpius promiſcuè uſurpantur.

1. *Ventilat arma*] *Ventilo*, a *vento*, proprie ſignificat ventum excitare ut aliquid ardeat vel coquatur: hîc dicitur eodem ſenſu quo de gladiatoribus; hi enim *ventilare* dicuntur, cùm proludentes brachia jactant arma et ventum faciant.

XXV.

TE, Deus! obſervo; mens te mea ſuſpicit unum;
Præſidioque tuo res ego credo meas.
2. Numine te fido; nec ſit te fidere turpe;
Nec recreet mentes noſtra ruina truces.
3. Spes te nixa probro ſit nulli: dedecus orbis
Sit gens, quæ, nullo crimine læſa, fremit.
4. Alme Parens! da nôſſe viam; veſtigia fulci;
Et, face prælata, pande ſalutis iter.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *optativus*, conſtans tribus partibus, *Petitione* ſcilicet, uſque ad verſum octavum; *Confirmatione*, ad verſum decimum ſextum; et *Concluſione petitoria*, inde ad finem uſque.

1. *Te obſervo*] *Obſervo te*, eſt dictio valde emphatica, "*obſervare* enim, inquit Valla, "eſt cuſtodire aliquid oculis "animoque, in modum ſpeculatoris, ne nos ſilentio, taci"teque prætereat."

4. *Alme*] Vide de hac voce Pſal. xii. 1. *Alma*

Face prælata] Eſt *Metaphora* deſumpta a viatoribus, qui per loca periculoſa et ignota noctu iter facturi, ductorem viæ ſibi aſſumunt, qui per tenebras eorum veſtigia, face prælatâ, dirigat.

5. Dux mihi fis, et recta doce, fpes unica vitæ!
Quâ fruor, eripiet fpem mihi nulla dies.
6. Ante oculos fit prifca tibi clementia; prifcus
Hæreat æternùm pectore fixus amor.
7. Exoret tua te bonitas; delicta juventæ
Hæc tegat, et cæca crimina nube premat.
8. Eft juftus, comifque Deus; gens difcit ab illo
Devia, quod fugiat, quodque fequatur iter.
9. Mens quibus eft humilis, manfuetaque pectora, tutas,
Hoc duce, corripient expedientque vias.
10. Illius obfequio vitam qui mancipat, illi
Vallat iter fas hinc, Numinis inde favor.
11. Da mihi, da fœdæ veniam, Pater optime! culpæ;
Te rogo per patrii quidquid amoris habes.
12. Quantus hic eft, qui mente Deum timet? Aufpice cœli
Præfide, fecuram feliget ille viam.
13. Gens ignara mali gaudebit pace ferenâ:
Incolet et patrios ftirps numerofa lares.
14. Fœdera fancta piis Deus et myfteria cœli
Pandet; et his mentes erudit ipfe rudes.

ANNOTATIONES.

7. *Premat*] Hoc verbum hîc fumitur eodem fenfu quo in illo loco Virgilii:

Concordes animæ nunc et dum nocte premuntur, *Æn.* vi. 827.

10. *Mancipat vitam*] *Mancipare vitam*, perquam emphaticè fignificat *vitam* addicere, abalienare, ut non fibi, fed Deo vivat. De hac phrafi confule Pfal. xii. 2. *Mancipat ora.*

11. *Da mihi, — da veniam*] Repetitio verbi, in hoc verfu, bene exprimit ardorem et vehementiam, qua animus tactus pœnitentia remiffionem fui criminis efflagitat, et impatienter fitit.

13. *Lares*] De primaria fignificatione vocis *Lares*, vide Pfal. xviii. 45. *Sepofitofque* lares.

14. *Myfteria*] *Myfterium*, a Græca voce μυστήριον, Latine dicitur *arcanum*, vel fub quo arcani aliquid latet, quodque non perficitur nifi occulta aliqua facrorum ratione: derivatur a *myfta*, Græcæ μύστης, facra difcens, myfteriorum peritus, initiatus facris alicujus numinis.

His mentes erudit] *His* ponitur hic pro *horum*, ut fupra *cui* pro *cujus*, in Pfal. i. 3. *Cui tempeftivis.*

15. Jugiter hunc oculis tueor: mihi porriget ille
 Promptus opem, laqueis expedietque pedes.
16. Me, Deus! adſpecta placidus; miſerere jacentis;
 Et deſolato mox mihi tende manum.
17. Ah! mala creverunt, et curis mille fatigor;
 Tu mala, tu mentis nubila pelle meæ.
18. Hos, quibus infeſtor, quibus obruor, adſpice fluctus;
 Et veniam famulo da, Pater alme! tuo.
19. Mille pharetratas oculis circumſpice turmas,
 Turgentes odiis, terrificiſque minis.
20. Eripe me turbis; te ſolo vindice nitor:
 Ne ſit dedecori ſpes mea nixa Deo.
21. Me mea defendat pietas, et candida virtus;
 Et, tua quæ ſolùm reſpicit ora, fides.
22. Tu Pater Iſacidis, tu murus aheneus eſto;
 Et ſacri clypeus præſidiumque gregis.

ANNOTATIONES.

15. *Tueor hunc oculis*] Eſt *Pleonaſmus* nominis, hîc enim redundat *oculis:* tale exemplum habes apud Terentium: *Hiſce* oculis *egomet vidi*, Adel. iii. ii. 31. et apud Virgilium:

Obſtupuit —— *Sidonia Dido*
— *Et ſic* ore *locuta eſt*,
Æn. i. 618.

Promptus] Hîc dicitur per *Enallagen* pro *promptè:* conſule Not. in Pſal. ii. 12. *Securus.*

16. *Placidus adſpecta*] *Placidus* hîc adverbialiter ſumitur pro *placidè*, more Poetis haud inuſitato, ut ſupra dictum Pſal. ii. 12. *Securus.*

17. *Tu—tu*] Eſt *Anaphora*, ut etiam in verſiculo ſequenti *quibus:* de qua Figura vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra*, etc.

18. *Fluctus*] Vide Not. in Pſal. ix. 13. *Adſpice* fluctus.

Alme] De hac voce ſupra in Pſal. xii. 2. *Alma.*

19. *Pharetratas*] Id eſt *Pharetra accinctas*, a *pharetra* inſtrumentum in quo ſagittæ reponuntur. A Græco φέρω, *fero*, et τραῦμα, *vulnus*; quia fert lethalia tela.

20. *Te vindice*] De hac peculiari ſignificatione hujus vocis *vindex* vide ſupra Not. in Pſal. xxi. 5. *Vindice.*

21. *Candida*] De Etymologia et uſu hujus vocis vide Not. in Pſal. iv. 1. *Candida.*

Ora] Pro *vultum*, ut ſupra Pſal. vii. 5. *Ora.*

22. *Murus aheneus*] De Metaphorica ſignificatione hujus locutionis vide ſupra Pſal. ix. 9.

Gregis] Vide Pſal. i. 1. *Grege.*

XXVI. TE

XXVI.

TE, Deus! appello, vitam qui puriter egi;
Te fidi: ſtabilis pes mihi ſemper erit.
2. Nunc age cenſuram, cum moribus excute pectus;
Quidquid et arcanæ pectora labis habent.
3. Fixus amor menti tuus eſt; benefacta putanti
Omne fuit ſtudium, te duce, recta ſequi.
4. Nec Balatro, nec Vappa levis, nec dedita technis
Turba, ſodalitii pars fuit ulla mei.
5. Hunc ego, flagitiis vitam qui polluit, odi;
Nec mihi vir nequam fœdere junctus erat:
6. Ergò, ubi me purâ luſtravi fluminis undâ,
Ante tuas aras, cum prece, thura dabo.

7. Hic

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *optativus*, conſtans tribus partibus; *Propoſitione*, uſque ad verſum nonum; *Petitione*, ad ultimum uſque; et *Concluſione*, verſu ultimo.

2. *Excute pectus*] *Excutio* hîc ſumitur pro *ſcrutari*, ſive *diligenter inquirere*, quo modo etiam uſus eſt Cicero, *Nihil eſt Glaucia quod metuas, non* excutio *te: ſiquid forte ferri habuiſti, non ſcrutor*, Pro Roſc. Amer. 97.

Pectora] Pluralis numerus pro ſingulari, ut ſupra Pſal. ii. 6. *Sceptra*.

4. *Balatro*] *Balatro* eſt *homo nihili*. De Etymologia hujus vocis non ſatis conſtat; quidam a *balatu*, i. e. vaniloquentia derivant: alii volunt *balatronem* eſſe quaſi *blatronem*, a *blaterare*, i. e. inepte clamare. Eadem vox apud Horatium occurrit:

Mendici, mimæ, balatrones—
1 *Serm.* ii. 2.

Vappa levis] *Vappa* proprie ſignificat vini vitium quod ſponte deferbuit et odorem ſaporemque amiſit. Quemadmodum occurrit etiam apud Horatium:

Qui Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappamque *profeſtis*,
2 Serm. iii. 144.

Inde transfertur ad hominem ignavum, vilem et nugatorem, ut idem Horatius:

— *Non ego avarum*
Quum veto te fieri, vappam *jubeo aut nebulonem*,
1 Serm. i. 104.

Technis] De Etymologia et ſignificatione hujus vocis vide Pſal. v. 10. *Technis*.

6. *Luſtravi*] De hac voce vide Not. in Pſal. xiv. 2. *Luſtravitque*, etc.

Luſtravi me pura unda fluminis] In ſignum nempe meæ innocentiæ; ex more Judæorum per legem Moſaicam præſcripto, *Deut.* xxi. 6. Idem ritus puri-

7. Hîc ego persolvam grates; miracula pandens
Hîc tua, te Dominum præco sub astra feram.
8. Traxit amore sui tua me domus, æmula cœlo,
Quæque tuâ semper regia luce nitet.
9. Ne me, quâ pereunt sontes, involve ruinâ;
Nec tumidis, sævo cum grege, merge vadis.
10. Est illi scelerata manus; corruptaque donis
Dextera venalis, per scelus, auget opes.
11. Hunc ego declinans, incedam tramite recto:
Tu modò fer, quam te posco, misertus opem.
12. Legis ad obsequium flectam vestigia; laudes
Et, coram populo, vox canet alta tuas.

ANNOTATIONES.

purificationis etiam apud alias gentes invaluit. Non enim attrectabant sacra, nec ad sacrificium offerendum accedebant, nisi prius lotis manibus: præsertim si cæde aliqua fœdi essent. Lotio fiebat, non stagnanti, aut pluviali aqua; sed vivâ ac perenni, qualis est fontium ac fluminum. Unde Æneas apud Virgilium sic loquitur:

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates:
Me bello e tanto digressum et cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero —— *Æn.* ii. 717.

Thura dabo] *Thus* est incensum quo Diis, vel Deo, sacrificabatur. Quidam derivant ἀπὸ τȣ̃ θυόω, *odorem facio*, vel potius a θύω, *sacrifico*; quòd qui sacrificabant, thure utebantur: alii tamen credunt esse dictum a tunsis glebis, quia de arbore destillat, et a terra subjecta combibitur, in eaque congelatur, indeque tunsis glebis colligitur. *Thura*, inquit Plinius, *præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ*, Lib. xii. c. xiv. 1.

7. *Sub astra*] Vide Notam in Psal. iii. 3. *Sub astra.*

9. *Vadis*] *Vada, brevia, syrtes*, communiter significant partes illas maris, ubi frequentes, et vento mutabiles fiunt arenarum aggestiones: *vada* quidem dicta, quia pedibus illic facile est *vadere*, difficile navibus; *brevia*, quia *brevis* et parum alta ibidem est aqua; *syrtes* vero quasi σύρτεις, a σύρω, *traho*, quia eò limum arenamque, et saxa ingentia fluctus *trahunt*.

XXVII. CUR

XXVII.

CUR ego formidem? Lux, et ſpes certa ſalutis
Eſt Deus, et vitæ firma columna meæ.
2. Barbara gens, in me dum rictibus irruit atris,
Poplite ſucciduo lapſa momordit humum.
3. Non ego ferratas acies, nec ſtricta timebo
Spicula: cœleſtis ſpem mihi fulcit amor.
4. Ore Dei, temploque frui, dum vita manebit,
Summa fuit voti, ſumma futura mei eſt.
5. Ille ſacris adytis bonus, et penetralibus altis
Me teget; et rupis, cùm premar, inſtar erit.
6. Ille, quibus cingor, ducibus me præferet ipſis:
Hunc celebrans, aris debita thura feram.
7. Te, Deus! inclamo: facilis, Deus! annue votis;
Meque ſalutiferâ protege fortis ope.
8. Reſpice me ſolùm, dixiſti; juſſa peregi;
Noſtra tuo ſolùm mens avet ore frui.
9. Lumina deflectens, famulum ne reſpue; triſtem
Ne fuge, qui vitæ ſpes mihi ſemper eras!
10. Me licèt horreret pater, et patris æmula mater;
Dextra tamen, ſpero, me tua tollet humo.
11. Tu, quod iter ſubeam, monſtra; facilemque clienti;
Hoſtis ut evitem ſpicula, pande viam.

12. Sub-

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, partim *didacticus*, partim *optativus*; et conſtat tribus partibus; *Propoſitione*, ad verſum ſeptimum; *Petitione*, ad verſum ultimum uſque; et *Concluſione*, verſu ultimo.

3. *Stricta ſpicula*] Hoc Epi theton *ſtricta* proprie de gladio dicitur, cum evaginatur et ad ictum impingendum paratur.

5. *Adytis*] De Etymologia et propria ſignificatione hujus vocis *adyta* vide Pſal. xx. 2. *Adytis*.

Penetralibus] De hac voce vide Not. in Pſal. xx. 5. *Penetralibus*.

6. *Thura*] Vide ſupra Notam in Pſal. xxvi. 6. *Thura*.

7. *Facilis*] *Facilis* hìc adverbialiter ponitur pro *facilè*, Græcorum more, ut ſupra dictum, Pſal. ii. 12. *Securus*.

Fortis] *Fortis* etiam pro *fortiter*, per eandem Figuram.

11. *Clienti*] *Cliens* apud Romanos unus erat e Plebeiis quem unus e Proceribus in ſuam tutelam adoptabat: hujuſmodi neceſſitudo id ferebat ut Cliens caput ac fortunas ſuas Patroni ſui Patrocinio tutaretur.

Cliens

12. Subtrahe me populi furiis, qui crimine ficto
Me premit, immani ſpirat et ore minas.
13. Spem mihi tu reparas, venturæ gaudia vitæ
Dum recolo, et cœli quæ bona civis habet.
14. Fide Deo, firmaque fidem: ſunt præmia præſtò;
Erigit, et mentes ſuſtinet ille pias.

ANNOTATIONES.

Cliens ponitur etiam pro ſectatore, et pro eo qui ſub tutela alterius, et quaſi famulus eſt. Ita Plautus: Clientes *ſibi omnes volunt eſſe multos,* Men. iv. ii. 4.

XXVIII.

TE, Deus! imploro, mea vita! ſilentia rumpe,
Ne peream, ceu qui ſe prope buſta videt.
2. Annue quæſitis, ferio dum ſidera planctu;
Ad tua dum ſupplex porrigo templa manus.
3. Sint procul artifices fraudum, qui blanda loquuntur;
Dum ſociis laqueos mens ſcelerata parat.
4. Redde parem meritis mercedem; crimine dignas
Fac, Deus! ut pœnas menſque manuſque luant.
5 Corruet, ætheræ quiſquis miracula dextræ
Non ſtupet, et nullâ reſtituetur ope.
6. Gloria ſit ſuperûm Regi, qui ſæpe vocantem
Audiit, et memori condidit aure preces.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis mixti, partim *optativus,* partim *eucharisticus. Precatio* continetur quinque primis verſibus; *Laudatio* vero tribus ſequentibus.

1. *Silentia*] Plurali numero utitur pro ſingulari, ut ſupra Pſal. ii. 6. *Sceptra.* Idem etiam notandum de voce *buſta* pro *buſtum.*

Buſta] *Buſtum* proprie dicitur locus in quo mortuus eſt combuſtus et ſepultus; et dicitur *buſtum* quaſi bene *uſtum.*

2. *Tua templa*] *Templa* hìc pro *templum,* pluralis numerus ſcilicet pro ſingulari, ut ſupra.

5. *Stupet*] Perquam emphatice dixit *ſtupet* pro *miratur, ſtupere* enim proprie is dicitur qui in re aliqua contemplanda manet immotus, et quaſi torpore quodam correptus.

6. *Superûm*] Dixit per *Syncopen* pro *ſuperorum*; ut in ſequentibus *audiit* pro *audivit.*

7. Hic

7. Hic rupes, clypeusque mihi est; hoc freta, revixit
Languida mens: numeris hunc canet illa novis.
8. Attulit hic quoties regi quotiesque salutem?
Hic sociis quoties turris ahena fuit?
9. Custodi, populumque bea, Pater! instrue mensas;
Et soboli lauro perpete cinge comas.

ANNOTATIONES.

7. *Numeris*] De hac voce vide supra Notam in Psal. v. 11. *Numeris.*

8. *Quoties — quotiesque*] Est *Anaphora*, eademque valde emphatica. Vide Not. in Psal. ii. 6. Sceptra *ferenda dedi* — sceptra.

9. *Lauro cinge comas*] i. e. Fac ut semper victores evadant et triumphent; nam victores Delphis, et triumphantes Romæ *lauro* coronari solebant: ut docet Plinius, *Hist. lib.* xv. *c.* 30.

Comas] *Comas* hîc ponitur pro *caput*, ut supra, Psal. viii. 5. *Comas.*

XXIX.

NUMINIS, Heroes! sacras agnoscite vires;
Et, quod sidereâ fundit ab arce, jubar.
2. Quas sacra promeruit majestas, pandite laudes;
Quæque decet templi figite dona tholis.
3. Eminus auditur Deus, inter nubila; latè
Dum tonat, effusis dum sata mergit aquis.
4. Alta Dei quantâ vox majestate coruscat!
Fulminis in morem, quàm violenta ruit!

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *laudativus*, constans duabus partibus; *Hortatione* scilicet ad laudem, ad versum tertium; et *laudum argumentis*, inde ad finem Psalmi.

1. *Heroes*] *Heroes* dicuntur ii, qui quum fuerint homines, rebus tamen gestis eam opinionem apud vulgus emeruerunt, ut inter divos relati credantur.

2. *Tholis*] *Tholus* est vox Græca θόλος, qua significatur media ac suprema pars tecti, in formam scuti brevis, in quo trabes coivere, et ad quod dona suspendi consueverunt, ut apud Virgilium:

— *Siqua ipse meis venatibus auxi*
Suspendive tholo, *aut sacra ad fastigia fixi*,
Æn. ix. 408.

4. *Violenta*] Est adjectivum adverbialiter sumptum pro *violenter*, ut supra dictum in voce *Securus*, Psal. ii. 12.

5. Fron-

5. Frondeus hâc Libani vertex nudatur: et ingens
Diſſilit horriſono verbere fracta cedrus.
6. Hâc juga ſubſultant; veluti, ſtimulante juventâ,
Bucula per ſylvas, monoceroſque levis.
7. Hujus et imperio, rutilat polus igne minaci;
Crebraque diſruptâ fulmina nube volant.
8. Icta metu deſerta tremunt, nemorumque receſſus,
Teſquaque montanis vix habitanda feris.
9. Mollibus hæc damis ſobolem, ſylviſque decorem
Excutit: his templum laudibus omne ſonat.
10. Frænat aquas pelagi Deus, et dominatur in undis;
Nec decus imperii terminat ulla dies.
11. Ille ſuo populo vires, paciſque beatæ,
Hoſtibus eliſis, otia læta dabit.

Annotationes.

5. *Libani vertex*] *Libanus* mons inter Arabes et Phœnices ſacris et profanis hiſtoriis notiſſimus; excelſas ferens arbores, præcipue cedros eximias. Ex eo Orontes fluvius oritur.

6. *Monoceroſque*] De *monocerote* ſive unicorni, vide Pſal. xxii. 21. *Monocerota.*

7. *Polus*] De ſignificatione vocis *polus* vide ſuprà Pſal. xviii. 12. *Polus*, quæ vox ibi ponitur ut hîc pro ipſo cœlo, per *Synecdochen.*

8. *Teſquaque*] *Teſqua* ſunt loca ſemota, aſpera et inculta; et propterea peragendis myſteriis, ſive captandis auguriis conſecrata. Proinde quidam ſcribunt *Teſca*, quaſi *Tueſca*, a tuendis ſacris.

10. *Dominatur in undis*] Dicimus Latine *Dominari rei*, vel *in rem*, vel *in re*. Hujus poſtremi extat exemplum apud Ciceronem: *Caſus et natura in nobis* dominatur.

XXX.

QUI mea victrici velâſti tempora lauro,
Te, Pater omnipotens! et tua facta canam:
More triumphantis, noſtris ne cladibus hoſtis
Nequiter inſultet, muneris omne tui eſt.

Annotationes.

Hic Pſalmus eſt *laudativus*, tribus partibus conſtans; *Propoſitione*, ad verſum quartum; *Hortatione* ad laudes, inde ad verſum ultimum; et *Concluſione*, verſu ultimo.

1. *Velâſti*] *Velâſti* hîc, per *Syncopen*, ponitur pro *velaviſti.*

Tempora]

2. Te, Deus! implorans, implevi queſtibus auras;
Nec mora, cœleſti ſum relevatus ope.
3. Me tuus è tumulo favor et pallentibus umbris
Eruit, optatum reſtituitque diem.
4. Dic laudes, gens ſancta! Deo; dic ſupplice grates
Pectore, ſidereos ante voluta pedes.
5. Illius hybernâ fugit ira citatiùs horâ;
Unus et eſt vitæ perpetis ille parens:
Me quibus involvunt nocturna crepuſcula, triſtis
Curarum nebulas diſcutit orta dies.

6. Cum

ANNOTATIONES.

Tempora] *Tempus* ea pars capitis, quæ eſt ad latera. Habet enim caput duo *tempora*; unum a dextra, alterum a ſiniſtra:

Temporibus *geminis canebat ſparſa ſenectus,*
Virg. Æn. v. 416.

Nam primo *tempora* caneſcunt, cavanturque magna diuturnitate temporis: unde quidam *tempora* in capite ob id dicta putant, quod ab iis indicia petamus ſenectutis. Hîc verò ponuntur *tempora* per *Synecdochen*, pro toto capite.

Victrici lauro] *Laurus victrix* denominatur, quia in victoribus coronandis antiquitus adhibebatur; ut ſupra adnotatum in Pſal. xxviii. 9. *Lauro cinge comas.*

Inſultet] De propria et Metaphorica hujus vocis ſignificatione vide ſupra Pſal. xiii. 4. *Inſultet.*

Muneris omne tui eſt] Vide quæ ſupra annotavimus ad Pſal. xix. 14. *Munus id omne tuum eſt.*

2. *Nec mora*] *Nec mora*, ſubauditur, *erat*, idem valet ac *protinus*, *confeſtim*, ut ſæpius etiam occurrit apud Virgilium;

Haud mora, *continuo matris præcepta faceſſit,*
Georg. iv. 548.

Vide *Æn.* iii. 548.

3. *E tumulo*] *De tumulo*, Vide Pſal. vvi. 9.

Pallentibus umbris] Tria diſtinguebant antiqui in homine, animam, corpus, et *umbram*; animam a corpore ſeparatam ad cœlum aſcendere, corpus ad terram redire, umbram tumulum circumvolare, vel apud inferos degere opinabantur. Unde Ulyſſes apud Homerum *Odyſſ.* xi. 600. ait, ſe inter inferorum umbras idolum vel *umbram* Herculis vidiſſe, quocum ſermonem habuerat: ipſum vero, id eſt ipſius animam apud ſuperos degere, ibique frui cœleſtium Deorum conſortio.

4. *Ante voluta pedes*] Conſule Notam in Pſal. v. 7. *Sternar et* ante pedes.

5. *Hyberna hora*] *Hora* eſt vox Græcæ originis ὥρα, et ſignificat quamcunque æternitatis partem, ſive annuum, ſive diurnum, ſive nocturnum ſpatium complectens. Dies *hyberna* obſcura eſſe, procelloſa et nimbis obducta, unde apta eſt imago

 mentis

6. Cùm freta fulcarem ventis felicibus, alnum
Concutiet, dixi, nulla procella meam.
7. Spem mihi firmâſti, muri, Deus! inſtar aheni:
Spes abiit, vultûs te retrahente jubar.
8. Rebus in acciſis, tenſis ad ſidera palmis,
Hæc mihi, nam memini, fuſa querela fuit:
9. Quid juvat exitio caput hoc depoſcere? Noſtræ
Quis necis, et fuſi ſanguinis uſus erit?
Tene, fidemve tuam, cineres cantare repôſti,
Solvere vel grates muta ſepulchra queunt?
10. Me, Pater! exaudi; famuli bonus annue votis;
Et pactam propera ferre benignus opem.

Annotationes.

mentis tetricæ vel averſæ, et frontis contractæ: ſed dies Hyberni etiam breviſſimæ, ſecundum illud Virgilii:

Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles,
Hyberni—— *Georg.* ii. 481.

quapropter rite *hora hyberna* illuſtrat iram, et iræ brevitatem.

Crepuſcula] *Crepuſcula* quaſi *crepera*, i. e. dubia lux; utrique tempori poſſit jungi, uſus tamen ut matutino jungamus obtinuit. Aliquando autem, ut hîc, jungitur veſpertino.

6. *Freta*] *Fretum Synecdochicè* pro mari in genere: *fretum* enim proprie eſt anguſtum mare inter duas terras: ut *fretum Siculum, Gaditanum*, etc. a fervendo dictum, quod in eo mare compreſſum efferveſcat, ac veluti ebulliat.

Freta ſulcarem ventis felicibus] *Sulcare freta* eſt *Metaphora* ab arando, et ſignificat idem quod *navigare*: et *ſecundis vel felicibus ventis navigare*, is dicitur cui res ex ſententiâ ſuccedunt. Ita Horatius in Sermonibus:

Non agimur tumidis velis Aquilone ſecundo,
Non tamen adverſis *ætatem ducimus* Auſtris,
2 Serm. ii. 871.

Alnum concutiet] *Alnus* proprie eſt arbor fluvialis, ſive paluſtris, notiſſima; Anglicè, The Alder-Tree: inde Poetice ſumitur pro navigiolo, quia ex trunco alni excavatæ fiebant ejuſmodi Scaphæ, teſte Virgilio:

—Alnos *primum fluvii ſenſêre cavatas*, Georg. i. 136.

7. *Firmâſti*] Dixit per *Syncopen* pro *firmaviſti*, ut etiam *abiit* pro *abivit*.

Te retrahente jubar] Eſt *Metaphora* a ſole deſumpta.

8. *Rebus acciſis*] *Res acciſæ*, i. e. extenuatæ, afflictæ, et imminutæ, ut apud Livium iii. 10.

9. *Repôſti*] Per *Syncopen* pro *repoſiti*, ut ſupra dictum de *repôſta*, Pſal. xvi. 1.

10. *Bonus——Benignus*] Sunt hîc adjectiva, per *Enallagen*, adverbialiter ſumpta; de quâ Figurâ conſule Pſal. ii. 12. *Securus*.

11. Tu

11. Tu facis ut lachrymis ſuccedat riſus: amictu
Tu pro lugubri coccina ferre jubes.
12. Ergò, poli dum luce fruar, tibi carmina pangam:
Factorumque recens gratia ſemper erit.

ANNOTATIONES.

11. *Coccina*] *Coccinum* ponitur pro *coccinâ veſte*, ut apud Martialem:

Zoilus ægrotat: faciunt hanc
ſtragula febrem:
Si fuerit ſanus, coccina *quid*
facient?
Lib. ii. Epig. xvi. 1.

Hoc veſtitu opulentiores et proſperâ uſi fortunâ indui ſolebant. Teſte eodem auctore:

Non niſi vel cocco *madidâ*
vel murice tinctâ
Veſte nites—Lib.v.Ep.xxiv. 5.

12. *Poli*] De hac voce vide ſupra Pſal. xviii. 12. *Micare polus.*

Carmina pangam] De ſignificatione hujus vocis *pangere*, vide Pſal. ix. 11. *Pangite.*

XXXI.

ARX mea! te fidi, facto pudor abſit; et, æqui
Arbiter, alme Parens! dum premor adfer opem.
2. Eia age! rumpe moras; inclina leniter aurem:
Unica tu rupes, turris et una mihi es.
3. Spes vitæ columenque meæ! tu dirige greſſus;
Et majeſtatis da documenta tuæ.
4. Exue me pedicis, mea vis! quibus implicor inſons;
Et clandeſtinis eripe, quæſo, dolis.
5. Tutelæ me credo tuæ, dextræque fideli
Hanc animam, vitæ fons et origo meæ!

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis mixti, *optativus*, ſcilicet, *eucharisticus*, et *didacticus*, ac proinde conſtat ex tribus partibus; *Precatione*, ad verſum viceſimum: *Laudatione*, ad verſum viceſimum quartum; et *Concluſione didacticâ*, duobus ultimis verſibus.

1 *Alme*] De hujus epitheti ſignificatione et Etymologia vide ſupra Pſal. xii. 1. *Alma.*

2. *Eia age*] De voce *Eia* vide Pſal. ii. 3. *Age* eſt Græcorum more, qui ἄγε et ἄγετε eodem modo utuntur; ut apud Homerum occurrit, νῦν δ' ἄγεϑ', quem morem loquendi imitatur Virgilius:

Quare agite *o proprios generatim diſcite cultus,*
Georg. ii. 35.

6. Hunc ego qui fraudes concinnat abominor; unum
Te ſequor; in te ſpes certa repòſta mihi eſt.
7. Me tua ſolatur bonitas: tu, lumine juſto,
Adſpicis ærumnas quas ſine fine tuli.
8. Solvit, et hoſtiles tua rupit dextra catenas;
Enſibus obſeſſas explicuitque vias.
9. Mitis ades, fractamque malis bonus erige: mentem
Torpor habet; macies viſcera; ruga genas.
10. Vita mihi gemitu, lachrymis conſumitur ætas;
Diſſipat et vires, rodit et oſſa dolor.
11. Hoſtibus opprobrium, vicinis fabula vixi:
Et, quibus occurri, civibus horror eram.
12. Non magis extinctos mergunt oblivia; vilis
Nec magis eſt teſtæ lamina ficta luto.
13. Oſſa tremunt, proceres dum cerno dira minantes,
Et conjuratas in mea fata manus.
14. Te tamen adſpecto, Deus! et mens arma, minaſque
Deſpicit hoſtiles, Numine nixa tuo.

ANNOTATIONES.

6. *Abominor*] Proprie eſt rem aliquam, veluti *malum omen* deteſtari execrarique, et a nobis amoliri. Dicitur etiam *abominari*, cum aliquod verbum veluti ſiniſtri ominis deprecamur: ut apud Suetonium: *Et in ultima cognitione pro tribunali*, acceſſiſſe ad finem mortalitatis, *quanquam* abominantibus *qui audiebant, ſemel atque iterum pronuntiavit*, Claud. c. xvii.

Repôſta] Per *Syncopen* pro *repoſita*, ut ſupra Pſal. xvi. 1. *Repôſta*.

9. *Mitis--bonus*] Hic iterum occurrit *Enallage* adjectivi pro adverbio: ad exemplum Pſal. ii. 12. *Securus*.

12. *Oblivia*] De hac voce Poetica vide ſupra Pſal. ix. 18. *Mergent oblivia*. Huc accedat pluralem numerum hîc uſurpari pro ſingulari.

13. *In mea fata*] i. e. *In meum fatum*, plurali numero ſcilicet uſurpato pro ſingulari. *Fatum* vero, a *Fatus* in paſſiva ſignificatione, id eſt *dictum*; unde ſignificat *juſſum* et *dictum Dei*. *Fatum* ita definitur a Cicerone, *de Div.* i. 125. "*Fatum*, inquit, id appello quod Græci εἱμαρμένην, id eſt, ordinem, ſeriemque cauſarum, quum cauſæ cauſa nexa rem ex ſe gignat: ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna." Unde *Fatum* ſumitur ut hîc pro morte: quod nihil tam neceſſarium impendeat homini quam mors.

15. Lubrica tu fragilis diſpenſas tempora vitæ :
Hoſtica nunc jugulo ſpicula pelle meo.
16. Prome jubar, vultûſque tui me luce ſerena :
Et fer opem, per te, te, Pater alme! rogo.
17. Ne mihi ſit probro pietas aut vota vocanti :
Buſtaque perverſis ora pudenda premant.
18. Muteſcat gens fraudis amans, quæ turgida faſtu
Sævit, et inſontes dente proterva petit.
19. Quanta ſequeſtravit bonitas tua præmia juſtis!
Quàm fuit et famulis dextra benigna tuis!
20. Dum faſtu, dum felle tumens furit impius hoſtis,
Hos arcana tuæ protegit umbra domûs.
21. Hæc tua laudetur bonitas, mirabilis orbi,
Quæ mihi præſidium, turris et inſtar erat.
22. Mentis inops, vultum te ſubtraxiſſe querebar :
Sed famuli votis auris aperta fuit.
23. Ergo Dei vos urat amor, pia pectora! merces
Ampla Pios, Faſtum debita pœna manet.
24. Perdurate, Deo ſpem qui fixiſtis in uno ;
Viribus et mentes inſtruet ille novis.

ANNOTATIONES.

15. *Jugulo*] De hac voce vid. Not. in Pſal. vii. 1. *Jugulo.*

16. *Per te, te*] Eſt elegans *Epizeuxis* : quàm emphatice vox *te* geminata arguit ardorem et vehementiam, qua pius animus divinæ gratiæ perceptionem ſitit et impatienter exoptat.

17. *Buſta*] De hac voce jam dictum ad Pſal. xxviii. 1. *Buſta.* Pluralis etiam pro ſingulari.

Perverſis] Eſt *Antiptoſis* dativi casûs pro genitivo, ut ſupra, Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis.*

19. *Sequeſtravit*] De hac voce ſupra adnotavimus ad Pſal. xxi. 12. *Sequeſtratam.*

20. *Felle tumens*] De propriâ et Metaphoricâ ſignificatione vocis *felle,* vide Pſal. xv. 3. *Felle caret.*

22. *Mentis inops*] i.e. *Mente captus,* vel *deſtitutus :* quo modo Virgilius dixit *inops animi :*

Sævit inops animi, *totamque incenſa per urbem,*
Æn. iv. 300.

23. *Faſtum*] *Faſtus* hîc ſumitur perſonaliter pro *faſtuoſo* ; more Poetico, de quo ſupra pluſquam ſemel dictum, vide Pſal. i. 1. *Impietas.*

XXXII.

FELIX! cui ſcelerum nævos Deus eluit, umbrâ
Cui ſuperinductâ facta nefanda tegit.
2. Felix! cui noxas non imputat arbiter æqui;
Cujus et eſt nullo mens maculata dolo.
3. Vulnera dum celans fremerem ſine fine modoque;
Oſſibus obrepſit ſicca ſenecta meis.
4. Me manus adflixit tua, ſeu ſol promeret orbi,
Seu premeret roſeum nox revoluta diem:
Squallebant reſides, venis marcentibus, artus,
Ut canis arenti ſidere toſta ſeges.
5. At ſimul ac morbumque tibi culpamque retexi,
Et ſcelerum tortas multipliceſque vias;
Deſuper affulgens omnem clementia labem
Suſtulit, et veteris ſemina prima mali.
6. Gens igitur te ſancta colet; ſtata tempora ſervans,
Tu quibus, alme Parens! inveniendus eris:
Hæc quoque, ne dubites, ſtabit ſecura ruinæ,
Tota licèt tellus obrueretur aquis.

ANNOTATIONES.

Hujus Pſalmi partes ſummæ ſunt tres; prima, *Propoſitio beneficiorum Dei*, uſque ad verſum ſextum; ſecunda, *Propoſitio officii noſtri*, ad verſum decimum; poſtrema, *Concluſio*, duobus ultimis verſibus.

4. *Roſeum diem*] *Roſeus dies*, i. e. *pulcher* vel *ſplendidus*, ut ſupra dictum in Pſal. i. 2. *Roſeo.*

Artus] De hac voce vide ſupra Pſal. xxii. 14.

Canis arenti ſidere] *Canis*, Sirius, vel Canicula, eſt ſtella in ore majoris canis: cujus vis in ſubjectas mundi partes inſignis eſſe perhibetur, quo tempore ſol oritur in principio Leonis, nempe exeunte Julio: tumque æſtus ferventiſſimus eſt: dieſque illi *Caniculares* vocantur, donec ſol totum leonis ſignum perluſtraverit, ad uſque viceſimum tertium menſis Auguſti.

Secura ruinæ] Eſt conſtructio Græca Poetis haud infrequens; exemplo ſit (1) Horatius:

Integer vitæ, ſceleriſque purus,
Carm. i. Od. xxii. 1.

(2) Virgilius:

Ille mihi ante alios, fortunatuſque laborum,
Egregiuſque animi,——
Æn. xi. 416.

(3) Catullus:

— Vagus animi
Devolvit ille acuto ſibi pondera ſilice, Carm. lxiii. 4.

7. Tu

7. Tu mihi præsidium es, mala tu, quibus impetor, arces;
Lætus et auxilio fulcior usque tuo.
8. Quin, ais, et cæcæ depellens nubila mentis,
Luce tuos gressus præradiante regam.
9. Absit equi, vel te muli stupor occupet; una
Quos, cum judicium desit, habena domat.
10. Mille neces, scelerum, superi clementia Regis
Justitiæ merces et pietatis erit.
11. Exulta, cui pura manus, cui candida mens est!
Et, Dominum spectans, gaudia lætus age!

ANNOTATIONES.

7. *Lætus*] Hîc, ut etiam in Versiculo undecimo, adverbialiter sumitur pro *lætè*, more Poetico; ut supra dictum in voce *Securus*, Psal. ii. 12.

11. *Candida*] Vide Notam in Psal. iv. 1. *Candida*.

XXXIII.

SANCTA cohors! fer læta Deum super æthera grato
Carmine: grata decet pectora ferre pios.
2. Illius et citharæ celebrent et nablia laudes,
Et, quod bis quino stamine tinnit, ebur.

3. Ede

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est partim *laudativus*, partim *petitorius*, ex tribus partibus constans; *Laudatione*, tribus primis versibus; *Narratione*, a versu quarto usque ad vigesimum; et *Conclusione*, inde ad finem Psalmi.

1. *Sancta cohors*] *Cohors* est corpus militum minus Legione: *Cohors* de peditibus solum, *turma* vero de equitibus dicitur: Sæpius est, *quorumcunque hominum congregatio*.

Quid studiosa cohors *operum struit?* Hor. i. Epist. iii. 6.

2. *Citharæ*] *Cithara* vulgo *Harpa* dicitur, instrumentum musicum cum decem chordis, ad similitudinem fidium minorum.

Nablia] *Nablium* est instrumentum musicum quod alias *Psalterium* dicitur; ex Hebraico *Nebbel*, duodecim chordis constans, quæ totidem tonos edebant. De *Nablio* ita Ovidius:

Disce etiam duplici genialia nablia *palmâ*
Verrere: conveniunt dulcibus illa modis,
De Art. Aman. iii. 327.

Quino stamine] *Stamen* a *stando*, dicitur quicquid in colo ad nendum. Sumitur hîc pro chordis

3. Ede novos cantus; et, Io ter voce sonorâ
Ingeminans, Domino pange perenne melos.
4. Facta Dei fas, labe vacans, comitatur, et æquum;
Verbaque sunt ipsâ candidiora nive.
5. Jus amat hic, pectusque legit sibi criminis expers;
Illius et donis tota redundat humus.
6. Ille poli volucres verbo contexuit orbes,
Quotquot et igne micans agmina campus habet.
7. Illius ad nutum pelagus confluxit, et alto
Gurgite collectas clausit abyssus aquas.
8. Hunc metuant quos sol oriens, quos lumina condens
Adspicit; et gemino terra sub axe tremat.
9. Os Deus ut pandit, se mundi sustulit ingens
Machina; quam dextrâ sustinet usque suâ.
10. Impia sacrilegæ difflat molimina turbæ,
Quosque piis nectit mens scelerata dolos.

11. Quod

ANNOTATIONES.

dis musicis, ut etiam apud Ovidium:

—Tum stamina docto
Pollice solicitat, —Met. xi. 169.

Quia ante nervorum usum *staminibus* uterentur lineis.

Ebur] Ponitur hîc pro instrumento eburneo, pectine scilicet, vel plectro quo pulsatur cithara: quia ex *ebore* fiebat; ut constat ex Virgilio:

Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno,
Æn. vi. 647.

Ebur sumitur ab eodem Virgilio pro *Tibia:*

Inflavit cum pinguis ebur *Tyrrhenus ad aras,*
Geor. ii. 193.

3. *Io*] De hac voce, vide Psal. xiii. 4.

6. *Poli*] Vide de hujus vocis significatione et Etymologiâ, Ps. xviii. 12. *Micans polus.*

Micans] Vide ibidem de propriâ hujus verbi significatione.

7. *Alto Gurgite*] *Gurges* proprie est locus in flumine profundus, in quo aqua congeritur, et circumvertitur: porro omnis aquarum congeries, ut hîc, dicitur *Gurges*; ut apud Virgilium:

Dulichias vexâsse rates, et gurgite *in* alto,
Ah timidos nautas canibus lacerâsse marinis? Ecl. vi. 76.

Clausit abyssus] De voce *Abyssus* vide Psal. xviii. 15. *Abyssus.*

8. *Sol — lumina condens*] Est *Periphrasis* pro *sole occidente.*

Gemino sub axe] De propria significatione vocis *axis* vide Psal. vi. 8. Sumitur hîc pro *polo* sive *axis* extremitate.

10. *Difflat molimina*] *Difflat* hîc usurpatur perquam emphaticè, significat enim *flatu*

pro-

11. Quod ſtatuit, ſanxitque ſemel, vis nulla revellet,
Nullaque mutabit disjicietve dies.
12. Eſt felix populus, cœli ſcribetur et hæres,
Sincerâ Dominum qui pietate colit.
13. Qui regit imperio terras, et ſidera nutu,
Humanum ſuperâ ſpectat ab arce genus:
14. Spectat ab aſtriferæ ſacris penetralibus aulæ,
Qui terras habitent Oceanique ſinus.
15. Ille Opifex rerum mortalia pectora finxit:
Excutit et quidquid mens latebroſa tegit.
16. Denſa nec armatos defendunt agmina reges:
Nec ſtat turba potens viribus ipſa ſuis.
17. Futilis eſt ſonipes, exſpirans naribus ignes:
Illius incaſſùm robore fidit eques.
18. Fert Deus unus opem, placido dum lumine juſtos
Adſpicit, et ſanctis undique vallat iter.
19. Ille pias animas medio de gurgite lethi
Eripit; infeſtam pellit et ille famem.
20. Quidquid ineſt animi nobis, huic ſerviat uni!
Hic clypeus, vitam quo tueamur, erit.
21. Gaudia concipiet mens, quæ, jactata perîclis,
Semper ab illius læta pependit ope.

22. Nunc

ANNOTATIONES.

proſternere, ſive diſturbare. *Cujus tu legiones* difflaſti *ſpiritu, quaſi ventus folia*, Plaut. Mil. i. i. 17.

13. *Spectat ab arce—ſpectat*] Notetur *Anaphora*, ut Pſal. ii. 6. *Sceptra*, etc.

14. *Penetralibus*] De hac voce ſupra dictum in Pſal. xx. 6. *Penetralibus*.

17. *Sonipes expirans naribus ignes*] Eſt elegans deſcriptio bellatoris equi, de quo Virgilius ſuo ſublimi more:

Stare loco neſcit, micat auribus et tremit artus,
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem,
Georg. iii. 81.

18. *Vallat iter ſanctis*] Eſt *Antiptoſis* dativi pro genitivo, ut ſupra Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*.

19. *Lethi*] De hâc voce vide ſupra Pſal. vi. 3. *Lethum pulſurus*.

21. *Periclis*] Per *Syncopen* pro *periculis*, quo modo Virgilius:

Quo res cunque cadent, unum et commune periclum,
Æn. ii. 709.

Læta pependit] Pro *læte pependit*, adjectivo ſcilicet adverbialiter ſumpto.

22. *Alme*]

22. Nunc, precor, alme Parens! adſpira mitibus auris;
Noſtra tuo ſiquidem pendet ab ore ſalus.

ANNOTATIONES.

22. *Alme*] Vide Pſal. xii. 1. *Alma.*

Adſpira mitibus auris] De propriâ et Metaphoricâ ſignificatione hujus verbi *Adſpiro* vide Pſal. i. 3. *Adſpirans.*

XXXIV.

NUMINIS attollam laudes, grateſque rependam;
Hâc ego dum cœli, quam traho, luce fruar.
2. Freta Deo, mens læta Deum jactabit amicum:
Geſtiet exemplo gens pia docta meo.
3. Cœleſtes animæ! devotaque pectora! mecum
Illius unanimi tollite voce decus.
4. Supplicis ille preces ſuſcepit promptus, et omnem,
Cor ubi diriguit, depulit ille metum.
5. Vir pius hunc ſpectans accurret, et obvius ulnis
Excipiet, pudor huic et procul omnis erit.
6. Sedibus e ſuperis, miſeri, quem conſpicis, ille
Audivit gemitus; auxiliumque tulit.
7. Agminis aligeri cingit cuſtodia juſtos;
Et ſacra cœleſti caſtra tuetur ope.

8. Cerne

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt mixti generis, *laudativus*, et *didacticus*; ejus partes ſunt tres: *Exordium*, duobus primis verſibus; *Propoſitio laudativa*, ad verſum octavum uſque; et *Doctrinæ loci*, inde ad finem.

2. *Læta jactabit*] Pro *lætè jactabit*, ut ſupra dictum, vide Pſal. ii. 12. *Securus.*

4. *Cor diriguit*] *Dirigeo*, eſt præ frigore aut timore, aut alio caſu viribus deſtitui. Ut apud Virgilium:

(1) Diriguit *viſu in medio, calor oſſa reliquit,*
Æn. iv. 475.

(2) *At ſociis ſubitâ gelidus formidine ſanguis*
Diriguit:—*Æn.* iii. 260.

7. *Agminis aligeri*] Per *agmen aligerum*, hîc intelligendi ſunt Angeli, qui alati deſcribuntur in ſacris literis. Virgilius, ubi de avium grege loquitur eâdem dictione utitur:

Litoreas agitabat aves, turbamque ſonantem
Agminis aligeri: — *Æn.* xii. 249.

Agminis aligeri cingit cuſtodia] Id eſt *agmen* aligerum angelorum cuſtodiens, vel excubias agens: nam *cuſtodia* hîc ponitur,

8. Cerne oculis, devota cohors! et ſenſibus imis
Percipe quàm veſtri flagret amore Deus:
O ter felicem! Dominum qui ſuſpicit unum,
Præter et hunc nullum quem veneretur habet.
9. Flecte genu, gens ſancta! Deo: Nil deficit illi,
Hunc Dominum quiſquis ſupplice mente colit.
10. Sæpe fames ipſos domat importuna leones:
Plena tamen juſtis copia ſemper adeſt.
11. Huc ades; auſculta, ſoboles mihi chara! vereri
Ut diſcas Domini, me duce, juſſa tui.
12. Dulcibus illecebris longi qui duceris ævi;
Qui cupis auratos et ſine nube dies:
13. Os fræno cohibe; validis preme labra lupatis;
Lubricus ingenuo ſit procul ore dolus:
14. Pone modum ſceleri; tantùm ſectare quod æquum eſt;
Et niveâ ſtudium ſit tibi pace frui.
15. Rerum opifex placido dignatur lumine juſtos;
Et caſtas facili ſuſcipit aure preces:
16. At ſcelerum ſocios ſic fulmine diſſipat iræ,
Nullus ut his toto reſtet in orbe locus.
17. Prona Deo eſt ſemper juſtorum queſtibus auris,
Inque repentinis dextera prompta malis.
18. At Deus huic præſtò eſt, vitæ quem turpiter actæ
Pœnitet, occulto torret et igne dolor.
Hunc teget, et mediis vindex ſervabit in undis,
Cui mens eſt humilis, vitaque fracta malis.

ANNOTATIONES.

ponitur, per *Metonymiam*, pro *cuſtode*, effectu nempe pro cauſa, ut apud Catullum:

Namque tuo adventu vigilat cuſtodia *ſemper*,
Epig. lxii. 33.

Et Tibullum:

Sed pretium ſi grande feras, cuſtodia *victa eſt*,
Lib. ii. Eleg. iv. 33.

8. *Cerne oculis*] Vide Not. in Pſal. xxv. 15. *Oculis tueor.*
O ter felicem!] Conſule Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimium.*

9. *Flecte genu*] *Flectere genu*, erat ſignum religioſi cultûs, tum apud Judæos, tum apud Ethnicos. Inde in ſacris literis *flectere genu*, et *venerari*, vel *adorare* idem valent. Vide 1 *Reg.* xix. 18.

12. *Auratos Dies*] *Aurati* vel *aurei dies*, ſunt tempora felicia; unde felix Saturni regnum, ſæculum *aureum* denominatum.

12. Mille

19. Mille pium clades circumstant, mille pericla;
Sed tegit hunc superi provida cura Patris.
20. Est Deus huic custos; et, tutelaribus armis
Vim prohibens omnem, non sinit ossa teri.
21. Artifici damnosa suo fraus fraude peribit;
Quæque pios odit turba repente ruet.
22. Devotas animas rerum Sator asseret olim:
Deque sacrâ nullum gente perire sinet.

ANNOTATIONES.

19. *Pericla*] Dixit *pericla*, per *Syncopen*, pro *pericula*.

22. *Asseret olim*] *Olim* est, ut loquuntur, adverbium omnium horarum. Hîc futurum tempus respicit: ut apud Virgilium:
Hunc tu olim cœlo spoliis orientis onustum
Accipies,— Æn. i. 293.

XXXV.

OCYUS affulgens pro me, Pater optime! litem
Suscipe; cum sævo confer et hoste manum.
2. Indue te clypeo, cinctusque potentibus armis
Sta prope; meque tua protege victor ope.
3. Hostis et ut furiis obsistas, sume bipennem:
Dic mihi, dic animæ, me duce, sospes eris.
4. Fabula sit, nostri sitiens gens dira cruoris;
Tergaque det turpi turba dolosa fugæ.
5. Dissipet hanc summi missus de vertice cœli
Angelus, ut paleas ventilat ira Noti.
6. Lubrica cingantur tenebris vestigia cæcis;
Quáque fugit, vindex Spiritus ense premat.

7. Hæc

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *optativus*, constans ex quatuor partibus; *Exordio*, usque ad versum undecimum; *Petitione*, ad vigesimum septimum; et *Conclusione*, duobus ultimis versibus.

3. *Sume bipennem*] *Bipennis* proprie est *securis* quæ utrinque aciem habet: a *pinna* derivatum nomen, quod *acutum* veteres dicebant.

5. *Ira Noti*] *Notus*, Auster, hîc ponitur pro quovis vento, ut etiam Psal. i. 4. *Notus*. *Ira Noti* dixit pro *vi* et *impetu*, Poetarum more, qui omnes naturæ partes animant, et humanis affectibus induunt. Hinc Virgilius:
— *Celsâ sedet Æolus arce*

Sceptra

7. Hæc foveam, caſſeſque mihi, nil tale merenti,
Struxit; et occulto vita petita dolo eſt.
8. O precor! incautum mors caſſibus implicet hoſtem;
Inque ſuas foveas cernuus ipſe ruat.
9. Tunc ego gaudebo cœleſti vindice tutus:
Ille voluptatis fons mihi jugis erit.
10. Mens ſecum, Deus! ecquis, ait par eſt tibi? fortem
Puſio, prædonem, te duce, vincit inops.
11. In me ſtrinxit atrox, acuitque Calumnia dentes;
Finxit et ignoti criminis eſſe reum.
12. Penſavit benefacta malis, gens hoſtica; vitæ
Struxit et inſidias, perniciemque meæ.
13. Hâc tamen ægrotâ, junxi jejunia votis;
Et caput obſtipum, veſtis et atra fuit.
14. Non magè lugubris mors expirantis amici;
Funera nec fratris, nec genetricis erant.
15. Sed damnis gaviſa meis gens ſæva minaxque
Clam coit; et vulgi rictibus uſque petor.
16. Subdola mordaces inter convivia riſus
Ah! movet, et dentem ſannio dente terit.
17. Quò, Deus! uſque premi famulum patiere? leoni
Ecqua dies animam ſubtrahet, ecqua malis?

ANNOTATIONES.

Sceptra tenens: mollitque animos et temperat iras,
Æn. i. 60.

De Etymologia vocis *Notus* vide Pſal. xviii. 22. *Noti.*

8. *Cernuus—ruat*] De ſignificatione et Etymologiâ vocis *cernuus* vide Pſal. v. 7. *Cernuus.*

10. *Puſio—— vincit inops*] *Puſio* eſt *parvus puer.* Veteres enim *puſum* et *puſam*, pro *puero* et *puellâ* uſurpabant. Exemplo præivit Juvenalis:

Nonne putas melius quod tecum puſio *dormit?*
Puſio *qui noctu non litigat,*
Juv. Sat. vi. 34.

11. *Acuit Calumnia dentes*] *Calumnia* hîc perſonaliter ſumitur pro *calumniatore*, cujus dentes gladiis comparantur et propterea *ſtringi* dicuntur.

13. *Junxi jejunia*, etc.] *Jejunia*, vota, incurvatio capitis, et uſus atri veſtitûs erant externa ſigna luctûs apud Judæos, ut patet ex multis locis ſacræ ſcripturæ.

16. *Sannio*] De hujus vocis ſignificatione ſupra dictum ad Pſal. i. 1. *Sanna.*

Dentem dente terit] Spectat ad illud Virgilii:

Ecce volat, calcemque terit *jam* calce *Diores*,
Æn. v. 324.

18. Mille tibi grates, populo ſpectante, rependam;
Audiet et laudes fœmina virque tuas.
19. Abſit ut inſultet noſtris Injuria damnis;
Impia gens oculo vel petulante notet.
20. Illius alloquiis amor et pax exulat omnis;
Et ſtruit in placidos mens mala mille dolos.
21. Oraque me contra pandens ſcurriliter, Euge!
Euge! ait, optatâ nunc ego luce fruor.
22. Hæc, Pater! adſpectas; taciturna ſilentia tandem
Rumpe, patrocinio meque tuere tuo.
23. Eripe te ſtratis; oculos, Deus! exue ſomno;
Meque tuo vindex et mea ſiſte foro.
24. Subjice cenſuræ mores: hoc deprecor unum,
Me victo, ne gens hoſtica cantet Io.
25. Ne ſecum ſic jactet ovans: Mens! læta triumpha;
En! jacet everſus viribus ille meis.

26. Quem

Annotationes.

18. *Fœmina virque*] Eſt *Periphraſis*, pro omnibus utriuſque ſexûs.

19. *Inſultet Injuria*] *Injuria* hîc perſonaliter ponitur pro *injurioſo*, ut Pſal. i. 1. *Impietas.*

21. *Oraque*] Pluralis numerus hîc ponitur pro ſingulari.

Scurriliter] *Scurriliter*, procaciter, a *ſcurra* dictum. *Scurra* vero dictus a *ſequendo*, quia erant tenuioris fortunæ homines qui alium honoris gratia proſequerentur. Itaque *ſcurra* nihil aliud fuit quàm *ſectator* aut pediſſequus; neque primum inhoneſtum ſenſum præ ſe ferebat, ſed homines denotabat urbano otio aſſuetos: poſtea, cum otioſi homines ex omni materia effuſos quærerent riſus, male audire *ſcurrarum* nomen cœpit.

Optatâ luce] *Lux* hîc per *Metonymiam*, pro *die* ponitur, ut ſæpius apud optimos auctores; exemplo ſit Virgilius:

Si mihi non hæc lux toto jam longior anno eſt,
Ecl. vii. 43.

22. *Taciturna ſilentia*] Pro *taciturnum ſilentium*, pluralis numerus ſcilicet pro ſingulari.

24. *Deprecor unum*] Sæpius *precor* et *deprecor* ſunt contraria, hîc verò *deprecor* ſignificat valde ſive vehementer precor, ut apud Catullum:

Cui ego quaſi eadem totidem mox deprecor *illi*
Aſſidue, verum diſpeream niſi amo, Epig. lxxxvii.

Io] Vide de hâc voce Pſal. xiii. 4. *Io.*

25. *Jactet ovans*] *Ovatio* proprie erat minor triumphus, pedeſtris; ad ſummum ex equo, non e curru. Nomen eſt, vel ab acclamatione militum, geminatâ ſæpius literâ *O*, juxta Feſtum: vel ab *ove*, quæ in minore triumpho immolabatur. Hinc ad lætitiam omnem ſignificandam

26. Quem mea delectat clades, qui prœlia mecum
Conferit, huic turpet conscius ora pudor.
27. Gestiat, insonti quisquis favet; oraque solvens
Prædicet hunc, famuli cui pia cura sui est.
28. Te, Pater alme! canam, qui servantissimus æqui es;
Nullaque non laudes efferet hora tuas.

ANNOTATIONES.

dam vox hæc traducta; etiam ad corvos, de quibus ita Virgilius:

— *Hinc ille avium concentus in agris,*
Et lætæ pecudes, et ovantes *gutture corvi,*
Georg. i. 423.

Læta] Hîc etiam adjectivum adverbialiter sumptum, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

26. *Huic turpet*] Dativus pro genitivo, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Ora] Dixit *ora* pro *os*, numerus pluralis scilicet pro singulari, ut etiam in versiculo sequenti, *Oraque.*

28. *Alme*] Vide de hac voce Psal. xii. 1. *Alma.*

Servantissimus æqui] Ita Virgilius de Ripheo:

— *Cadit et Ripheus justissimus unus*
Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui, *Æn.*ii.427.

XXXVI.

AUCTIBUS immensis scelerum dum crescere fibras
Conspicor, et miris luxuriare modis;
Mens ait: Excusso legum gens impia fræno
Se prodit vacuam Numinis esse metu.
2. Ipsa sibi plaudit; dum tandem nequiter actæ
Pœniteat vitæ, displiceatque sibi.
3. Impia vox illi est, fucataque; nescia veri
Mens stupet, et rectum devia linquit iter.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *mixti*, nempe *laudativus*, et *optativus*, et propterea constans duabus partibus; *Laudatione*, usque ad versum decimum, et *Precatione*, inde ad finem usque.

1. *Excusso fræno*] Vide Not. in Psal. ii. 5. *Frænaque dans.*

2. *Dum pœniteat*] *Dum* hìc accipitur pro *donec*, ut apud Virgilium:

Tityre, dum *redeo*, *brevis est via, pasce capellas,*
Ecl. ix. 23.

3. *Fucataque*] De Etymologiâ vocis *fucata*, vide Psal. iv. 5. *Fuco.*

4. Nocte nefas animo versat, nec crimina terrent,
Dumque meat lævo tramite, recta fugit.
5. Magne opifex rerum! tua te clementia cœlo
Inserit, et nubes transvolat alma fides.
6. Vastius oceano solium est, et montibus altis
Firmius; hôc homines, quadrupedesque regis.
7. Quàm tuus eximius favor est! Tu mollibus alis
Protegis Adamidas, incubituque foves.
8. Te pandente manum, dapibus saturantur opimis;
Restinguuntque sitim flumine dulcis aquæ.
9. Sunt tibi vitales latices: tu, lumine cinctus
Sidereo, roseâ pectora luce reples.
10. Qui te nôsse cupit, lenem te sentiat opto;
Justitiæque tuæ protegat umbra pios.
11. Absit ut Ambitio pedibus me proterat! absit
Sedibus excutiat me fera turba meis!
12. Autores scelerum subitam traxêre ruinam:
Nec proclinatos eriget ulla dies.

ANNOTATIONES.

5. *Alma fides*] Ita Ennius: *O Fides alma!* Cic. Off. iii. 29. De significatione hujus vocis vide supra, Psal. xii. 1. *Alma.*

7. *Mollibus alis protegis, incubituque foves*] Pia summi Numinis erga homines indulgentia, sollicitæ gallinæ circa pullos curæ comparatur; unde apte usurpavit vocem *incubitu*, *incubitus* enim proprie de Gallina dicitur, quum cubat et extendat alas super ova, ut pullos excludat, vel exclusos foveat.

9. *Vitales latices*] *Latex* omnis humor dicitur, ab eo quod intra aliquid *lateat*. Unde et de aqua, vino, et cæteris dicitur. De vino apud Virgilium:
Regales inter mensas, laticemque *lyæum*,
Æn. i. 690.
De aqua apud Lucretium:
Cedere squamigeris latices *nitentibus aiunt*, Lib. i. 373.

Rosea] Vide de hoc epitheto Not. in Psal. i. 2. *Roseo.*

11. *Ambitio*] Personaliter hîc sumitur *Ambitio* pro *ambitioso*; ut Psal. i. 1. *Impietas.*

XXXVII.

NE freme, fulgorem gentis dum cernis iniquæ;
Candida nec cruciet pectora Livor edax.
2. Concidet illa brevi, succisi graminis instar:
Defluet et teneræ flaccida more rosæ.
3. Tu modò fide Deo, recti sectator et æqui:
Ille larem, lautas conferet ille dapes.
4. Arbiter æthereus tibi sit mellita voluptas:
Et desideriis annuet ille tuis.
5. Hoc duce, carpe viam: mediis in fluctibus, unum
Hunc specta, portum, quem petis, ille dabit.
6. Illius auspiciis, probitas tua lumina solis
Æquabit; medio cùm secat axe diem.
7. Mente Deum specta placidâ, speraque; nec urat
Cor tibi, perversis cum nimis aura favet.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *didacticus*, constat autem ex tribus pattibus, *Propositione*, a versu primo usque ad septimum: *Confirmatione*, a versu septimo ad vigesimum septimum, et *Conclusione*, ad finem usque.

1. *Candida*] De hujus vocis Etymologiâ et significatione primariâ vide Psal. iv. 1. *Candida*.

Livor cruciet] *Livor* proprie est vestigium et nota quæ fit ex aliquâ percussione, aut contusione, sive ulcere. Inde pro *Invidiâ*, quia hæc animi perturbatio fœdat vultum, et pallorem et *livorem* inducit. Ut apud Ciceronem: *Impediuntur livore et malevolentia, nequid faciant*, 2 Fam. xx.

3. *Larem*] De hâc voce consule Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares*.

5. *Carpe viam*] De hac locutione vide Psal. i. 1. *Carpit iter*.

Mediis in fluctibus] De Metaphoricâ significatione vocis *fluctus* vide supra Not. in Psal. ix. 13. *Fluctus*.

6. *Illius Auspiciis*] *Auspicia* proprie erant signa vel omina quæ capiebant Romani ab *avium aspectu*. Et quia apud eos omnia fere auspicato gerebantur, inde pro consilio, ductu, sive rei dispositione hæc vox ponitur. Ut apud Virgilium:

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis —— *Æn*. iv. 340.

Medio cum secat axe diem] Est *Periphrasis* pro meridiano tempore. *Axis* hîc ponitur pro *toto cœlo*, ut supra Psal. xix. 4. *Axe*.

7. *Aura favet*] Est *Metaphora* sumpta a navigantibus, de qua vide Not. in Psal. xxx. 6. *Ventis felicibus*.

8. Iræ pone modum, ruptis ne forsan habenis
In vitium præceps, hâc stipulante, ruas.
9. Ibit in exitium gens impia: Numine fretus
Vivet, et huic sedes terra perennis erit.
10. Parva mora est, gens prava ruet; frustraque nefandi
Vestiges ubi sint rudera prisca laris.
11. Incolet interea terras qui pectore miti est,
Hîc ubi gaudebit divite pace frui.
12. Dum struit occultas justo gens impia technas,
Infremit; et dentem perfida dente terit.
13. Ridet at æthereâ recti Deus Autor ab aulâ,
Exitii cernens non procul esse diem.
14. Impius eduxit gladium, lunavit et arcum,
Quo pius occumbat, quo juguletur inops.
15. Sed Deus hôc illi transfiget viscera ferro,
Franget et ultrici cornua tensa manu.
16. Sors justi tenuis pompam supereminet aulæ
Divitis, et famulas ambitionis opes.

17. Ho-

ANNOTATIONES.

8. *Ruptis—habenis*] De hac *Metaphora* jam dictum ad Psal. ii. 5. *Frænaque dans.*

In vitium præceps] De voce *Præceps* vide Not. in Psal. v. 10. *Præceps.*

10. *Vestiges*] Hîc subjunctivus modus præsentis temporis usurpari videtur loco futuri indicativi; ut apud optimos Autores. (1) Exemplo sit Cicero: *Siquis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerescam, et in cunis vagiam, valde* recusem, *De Senect. c.* xxiii.

(2) Horatius:

Quòd si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat *sanguis imagini,* 1 Carm. xxiv. 13.

(3) Terentius:

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersar ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias? Eun. i. i. 1.

Laris] De hâc voce vide supra Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

12. *Technas*] Vide Not. in Psal. v. 10. *Techris.*

Dentem dente terit] De hac locutione supra, ad Psal. xxxv. 16.

15. *Illi transfiget*] Pro *illius* transfiget, per Figuram *Antiptosin* huic Poetæ satis usitatam. Vide Not. in Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Cornua tensa] *Cornua* dicuntur arcus, vel quia curvantur in

morem

17. Hostibus elidet cœlestis dextera vires:
Sinceræ vindex hæc pietatis erit.
18. Adspicit ærumnas sancti gregis Arbiter orbis,
Illius et, dempto fine, tuetur opes.
19. Ora pio nullus tinget pudor: affluet idem
Deliciis, reliquos dum premit atra fames.
20. Improba vanescet gens, et difflabitur: agnæ
Sic abit in fumos igne perustus adeps.
21. Mutua dum sumit, persolvit debita nulli
Impius: est justo semper aperta manus.
22. Quem beat, et placidum Deus adspicit, incolet orbem:
Sed premet exosos fœda ruina lares.
23. Sternit iter justo rerum qui sceptra gubernat:
Et probat hanc unam, quam terit ille, viam.
24. Labitur ille quidem, sed sic ut surgere possit:
Nam Deus infirmis porrigit ipse manum.
25. Antè puer charæ pendebam matris in ulnis;
Nunc arat exsangues plurima ruga genas:

ANNOTATIONES.

morem cornu, vel quia olim arcus erant ex *cornu*. Inde *Partbum cornu* dixit Virgilius pro *arcu Partbico*:

— *Libet* Partho *torquere Cydonia* cornu
Spicula — Ecl. x. 59.

18. *Gregis*] De hâc voce vide Not. in Psal. i. 1. *Grege*.

19. *Ora pio tinget*] *Ora* dixit in plurali numero pro *Os*; et *pio* pro *pii*.

Atra fames] *Atra* hîc loci sumi potest vel ad literam, pro *nigra*, quia fames nigrorem in vultum inducit; vel pro *fœda*, *dira*, sive *funesta*, quo modo Virgilius *atra ingluvies* dixit:

— *Ripisque habitans hic piscibus atram*
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet,
Georg. iii. 430.

20. *Difflabitur*] De hâc voce vide supra Psal. xxxiii. 10. *Difflat*.

Fumos] Pluralis numerus pro singulari.

22. *Placidum*] Est adjectivum adverbialiter sumptum, ut Psal. i. 3. *Lene*.

Lares] Vide de hac voce Not. in Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares*.

23. *Sternit iter justo*] *Justo* est casus tertius pro secundo, qualia multa in hoc libro occurrunt exempla. Vide Psal. i. 3, *Cui tempestivis*.

Non

Non tamen affligi vidi ſine vindice juſtos,
Poſcere vel natos ore tremente dapes.
26. Larga piis ſemper manus eſt, et dapſilis; olim
Sors quoque ter felix poſteritatis erit.
27. Ergò animum vitiis mox exue, recta ſequutus,
Stare diu in terris qui tua tecta cupis.
28. Juris amans Deus eſt, nec juſtum deſerit; illi
Semper adeſt: præceps cætera turba ruet.
29. Sors erit his tellus, quibus eſt reverentia legum;
Obruet et patrias nulla ruina domos.
30. Jugiter os illis rectum ſpirabit et æquum;
Et pia juſtitiam lingua ſub aſtra vehet.
31. Sancta Dei lex eſt imis infixa medullis:
Hæc vacillantes ſuſtinet una pedes.
32. Sævus, in excubiis latitans, his imminet hoſtis;
Et ſtricto jugulum cominus enſe petit.
33. Sed Deus affulgens famulos tutabitur: umbris
Devotos miſeræ ſubtrahet ille neci.
34. Tu ſpera, pareque Deo: ſic ſtabis in altum
Evectus, coram dum ruet hoſtis atrox.
35. Vidi ego, nam memini, ſcelerum florere miniſtros,
Ut viret in pingui laurus amœna ſolo.
36. In fumos abiêre tamen; veſtigia nulla,
Umbraque quærenti nulla reperta mihi eſt.
37. Sedulus obſerva juſtos, et reſpice finem:
Pax illis niveos claudet amica dies.

38. Im-

Annotationes.

26. *Dapſilis*] Eſt vox Græca δαψιλὴς, idem valet quod affluens, abundans. Apud auctores ſatis probatos reperitur: Solummodo adducemus Plautum: —— *Alios* dapſiles *ſumptus facit*, Moſtel. iv. ii. 66.

Olim] Vide Not. in Pſal. xxxiv. 22. *Olim*

Os ſpirabit illis] *Illis* hîc eſt etiam *Antiptoſis* dativi casûs pro genitivo, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*.

Sub aſtra vehet] De hac locutione *ſub aſtra* conſule Not. in Pſal. iii. 3. *Caput erectum ferre* ſub aſtra.

33. *Umbris devotos*] Quid ſit *umbra* ex opinione veterum jam dictum ad Pſal. xxx. 3. *Pallentibus umbris*.

37. *Sedulus obſerva*] *Sedulus* hic ſumitur adverbialiter pro *Sedulo*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

Niveos dies] *Nivei* dies ſunt proſperi, felices, triumphales; nam color albus felicitatem, victoriam, lætitiam deſignabat,

ater

38. Impia colluvies hominum simul occidet omnis,
Et simul ex ipsâ stirpe recisa ruet.
39. Una salus justo Deus est; hôc pendet ab uno
Vir pius, hôc clypeo seque suosque tegit.
40. Muniet hôc pectus, scelerataque tela retundet:
Hanc sibi mercedem vendicat alma fides.

ANNOTATIONES.

ater vero ærumnas et infortunium: ut apud Virgilium:

Quos dulcis vitæ exsortes et ab ubere raptos
Abstulit atra dies, *et funere mersit acerbo*, Æn. vi. 428.

Et apud Tibullum:

Sis felix, et sint candida *fata tua*, Lib. iii. Eleg. vi. 30.

38. *Colluvies hominum*] De hac voce *colluvies* vide supra ad Psal. xvii. 14. *Colluvies.*

40. *Tela*] Vide hac voce Psal. iii. 6. *Tela.*

Retundet] *Retundere* proprie cuspidem vel aciem alicujus rei usu nimio vel alio casu hebetare. Per Translationem, *repellere, rejicere.* Exemplo sit Cicero: *Iidemque gladios in rempublicam districtos* retudimus, *Catil.* iii. 2.

Alma fides] De voce *almus* vide Psal. xii. 1. *Alma.*

XXXVIII.

NE famulum reprehende, Deus! dum fervidus iram
Colligis, et justus ventilat arma furor.
2. Tu mea lethiferis fixisti pectora telis,
Et gravis afflictum jam tua dextra premit.
3. Fax iræ violenta tuæ depascitur artus,
Nec locus est plagis vulneribusque novis:
Ossa quatis luxasque mihi, compage solutâ;
Scilicet hæc sonti debita pœna fuit.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *optativus*, et constat ex tribus partibus, *Exordio*, versu primo; *Narratione*, ad versum vicesimum; et *Conclusione*, inde ad finem Psalmi.

1. *Fervidus*] Dixit *fervidus* pro *fervidè*: adjectivo nempe adverbialiter posito, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

Ventilat arma] Consule Not. in Psal. xxiv. 8. *Ventilat.*

2. *Pectora*] Est pluralis numerus pro singulari, ut supra Psal. ii. 6. *Sceptra.*

Telis] De Etymologia hujus vocis *telum* vide Not. in Psal. iii. 6. *Tela.*

4. Obruor illuvie ſcelerum, ceu vortice ſorptus;
Quoque premor nimiùm, prò dolor! urget onus.
5. Vulnera tabe fluunt, et ſpargitur undique virus;
Stultitiæ merces juſtaque pœna meæ.
6. Curvus in inviſam defigo lumina terram,
Lumina perpetuo quæ mihi rore madent.
7. Ulcere corroſos urunt incendia renes;
Nullaque pars morbo, nulla dolore vacat.
8. His fractus merſuſque malis, ululatibus, unum
Quod ſupereſt, terras laſſo polumque meis.
9. Telluris cœlique Sator! tibi nuncupo vota:
Tu mala quæ patior vix toleranda vides.
10. Cor trepidat, languent tremuli ſine viribus artus:
Nox oculis, acie deficiente, natat.
11. Me fugiunt, quos junxit amor vel ſanguis, amici,
Et ſpectatores non levis horror habet.
12. Imminet et jugulo ſtrictis manus impia telis,
Et petor opprobriis, compoſitiſque dolis.
13. Aſt ego ſurdus ad hæc, ceu qui ſtupet auribus orbus;
Et, ceu nulla foret vox mihi, mutus eram.
15. Nempe, Parens rerum! ſpes in te noſtra recumbit:
Suſcipies famuli tu pia vota tui.
16. Annue, dicebam, votis, ne fortè vacillem,
Hoſtibus et fiam fabula læta meis:
Annue, ne noſtrâ quiſquam de clade triumphet,
Et proclinatus prociduuſque premar.
17. Succiduo jam penè miſer ſum poplite; præſens
Semper et ærumnæ triſtis imago meæ eſt.

ANNOTATIONES.

6. *Lumina — lumina*] Eſt *Anaphora*, de quâ Figurâ vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi: Sceptra.*

8. *Ululatibus*] De propria ſignificatione vocis *ululatus* vide Pſali xxii. 1. *Ululatibus.*

Polumque] *Polus* hîc ponitur pro toto cœlo, ut ſupra in Pſal. xviii. 12. *Polus.*

10. *Nox oculis natat*] i. e. *Nox* vel tenebræ obducuntur oculis meis in ſignum appropinquantis mortis; umbræ enim ſive imagines ante oculos morientium volitare, ſive *natare* ſolent.

12. *Jugulo*] De hac voce vide Not. in Pſal. vii. 1. *Jugulo.*

Telis] Vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela.*

18. Judice

18. Judice te coram, vitæ delicta fatebor;
Et tepido cernes imbre madere genas.
19. Hostica sed numero superans, et robore pollens
Turba, meis vivit læta vigetque malis.
20. Insontem premit hæc odiis, benefactaque pœnis
Compensat, studiis semper iniqua piis.
21. Ne me linque, Deus! nec te mihi subtrahe; vitæ
Sed columen! famulo porrige promptus opem.

ANNOTATIONES.

21. *Porrige promptus*] *Promptus* hîc pro *promptè*, Græcorum more, ut sæpius adnotavimus. Vide Not. in Psal. ii. 12. *Securus.*

XXXIX.

CAUTIUS incedam, dixi, ne fortè vacillans
Audeat effari lingua proterva nefas:
Os mihi compescam fræno, præsentibus illis
Quos juvat obliquo tramite prava sequi.
2. Lingua diu siluit, justas nec protulit iras:
Quod mihi majoris causa doloris erat.
3. Ignis ut inclusus tacitum cor arsit; in auras
Mox dolor erumpens talia dicta dedit:
4. Da, Deus! annorum numerum, momentaque vitæ
Futilis; extremum da mihi nôsse diem.
5. Vita brevis, tecum si confers, æmula palmi est;
Et nihil, et nihilo si quid in orbe minus.
6. Horret iter tenebris; curarum mole gravatur
Pectus, et hæredem nescit avarus opum.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *Optativi*, ut prior, ejusque partes sunt duæ, *narratio* altera, ad versum quartum; altera *precatio*, ad finem usque.

2. *Justas iras*] Plurali numero utitur pro singulari, ut iræ magnitudinem exprimat.

4. *Futilis*] Vanus, vel inutilis: *futiles* dicuntur, qui silere tacenda nequeunt, sed ea *effundunt*. Sic et vasa *futilia* a *fundendo* vocata.

7. Quid

7. Quid mihi reſtat opis? Te fido, maxime rerum!
Ancora tu noſtræ, cum furit unda, rati es.
8. Eripe me noxæ; nævos, Pater! elue; lædi
Ludibrio ſtolidi ne patiare gregis.
9. Cura fuit rigidis linguam frænare lupatis;
Tu quia fortunæ, quâ premor, autor eras.
10. Tolle quod infeſtat; moderatiùs exige pœnas:
Ah! perii plagis, vulneribuſque tuis.
11. Crimina dum plectis, formam, ceu tinea, rodis:
Ah! quàm mortales lubrica turba ſumus!
12. Suſcipe vota; meis aures adverte querelis;
Nec tetricus, lacrymas dum tibi fundo, ſile:
Scilicet extorrem patriis me cernis ab oris;
Et proavis tellus hæc peregrina fuit.
13. Pone tuas iras, et fractum robore pectus
Inſtrue, ſupremum funeris ante diem.

ANNOTATIONES.

7. *Anchora*] Vel potius *Ancora*, a voce Græca ἄγκυρα, eſt dens ferreus quo firmantur ac retinentur naves; inde Metaphoricè ſignificat, refugium, præſidium, firmamentum; ut apud Ovidium:

Quò ferar? unde petam lapſis ſolatia rebus?
Ancora *jam noſtram non tenet ulla* ratem,
Triſt. v. ii. 41.

8. *Gregis*] De hac voce vide Not. in Pſal. i. 1. *Grege.*

11. *Ceu tinea*] Alii legunt:
Ceu tinea erodis formam, dum crimina plectis:
Tinea vermiculus eſt, qui, ex pulvere ac ſitu aut putredine interdum naſcens, veſtes aut libros abrodit:

— *Aut* tineas *paſces taciturnus inertes,*
Hor. i. Ep. xx. 12.

12. *Tetricus*] Eſt hîc adjectivum adverbialiter ſumptum, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

XL. SPE

XL.

SPE mihi non vanâ mentem fulcivit, et aures
Indulsit precibus qui regit astra meis.
2. Illius ex imâ bonitas me traxit abysso,
Jussit et in solidâ figere rupe pedem.
3. Ille novos numeros famulo dictabit et hymnos,
Facta quibus superi sunt celebranda Patris:
Audiet hos mundi gemino sub cardine tellus;
Fidet et autori, tacta timore, suo.
4. O felix, Domino quisquis spe firmiter hærens
Despicit elatos, artificesque doli!
5. Quis mirâcla, Deus! tua quis benefacta retexat?
Mens hebet hæc versans; promere lingua nequit.
6. Nec tibi cæsa placent, nec tosta piamina flammis:
Hoc tacitè vulsâ me, Pater! aure mones.
7. En, Deus! en! adsum, dixi, quò jusseris ibo:
In tabulis prostant nomina nostra tuis.
8. Mens jubet obsequium rerum præbere Parenti:
Æternúmque animo lex tua fixa manet.

9. Jus-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *optativus*, constans ex duabus partibus; *Propositione*, ad versum undecimum; et *Petitione*, inde ad finem usque.

1. *Indulsit*] De hujus vocis propriâ significatione, vide Psal. iii. 8. *Indulges*.

Qui regit astra] i. e. *Qui regit cœlos*, per *Synecdochen*.

2. *Abysso*] De significatione et Etymologiâ vocis *abyssus*, vide Psal. xviii. 15. *Abyssus*.

3. *Ille novos numeros*] De *numeris* in hoc sensu vide Psal. v. 11 *Numeris*.

Gemino sub cardine] *Cardo* proprie est id quo vertuntur fores: quia est earum quasi *cor*, vel quasi hamus ex quo suspenduntur, est autem *hamus* Græcis κράδη. Hîc ponitur pro cœli vertice, vel *polo*, quo cœli verti finguntur.

5. *Miracla*] Ponitur hîc, per *Syncopen*, pro *miracula*.

6. *Tosta piamina*] *Piamen* seu *piamentum* id erat quo in expiando utebantur; a *pio*, purgo. Est vero *piamen* dictio Poetica magis, quam oratoria.

Vulsa me, pater, aure mones] Respicere videtur ad illud Virgilii:

Quum canerem reges, et prælia, *Cynthius* aurem
Vellit, *et admonuit*,
Ecl. vi. 3.

Hæc dictio *vellere aurem* trahi videtur a more præceptorum, qui dum pueros suos admonent alicujus rei, *aurem vellunt* ac trahunt

I

9. Justitiæ monumenta tuæ cantata per orbem
Sunt mihi; nec, memini, vox taciturna fuit.
10. Tu mihi testis ades, non hæc ego pectore clausi;
Sed fidei et partæ præco salutis eram:
Non ego celavi populum benefacta, nec illa
Fœdera, quæ nullo sunt violanda die.
11. Ne mihi te subduc, sed, dum nitet ignibus æther,
Hinc tua me bonitas protegat, inde fides.
12. Obruor ærumnis, scelerum dum perfero pœnas;
Lumina nec fas est tollere victa malis:
Verticis ista pilos superant tormenta crucesque;
Liquitur et nimiis mens superata vadis.
13. Sit vitæ tibi cura meæ, dulcissime rerum!
Et pede, ne peream, mox properante veni.
14. Omnibus opprobrio sit, qui mihi dura minatur,
Hostis et obscœnæ det citò terga fugæ.
15. Opprimat hunc clades, qui dentem dente fatigans
Nequiter, ah! risu me petulante petit.
16. Gestiat exsultans, te qui sibi quærit amicum;
Signaque lætitiæ det manifesta suæ:

Annotationes.

trahunt, ut in mentem revocent.

12. *Crucesque*] *Crux* proprie est gabalus vel patibulum cui affigebantur malefici; sed etiam quicquid nos cruciat, torquet et affligit, dicitur *crux*; ut apud Terentium: *Et illis* crucibus, *quæ nos, nostramque adolescentiam habent despicatam,*
Eun. ii. iii. 91.

Superata vadis] *Vadum* est locus in flumine, lacu, mari, et quacunque aqua, per quem *vadere* licet, quum sit minus profundus. Et quoniam ejusmodi loca sint navibus periculosa, inde *vada* per *Metaphoram* significat *pericula, mala.* Exemplo est Cicero: *Sed quoniam emersisse jam e* vadis, *et scopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur,* Pro Cœlio 51.

14. *Obscœnæ fugæ*] *Obscœnus* vox est auguralis, cujus Etymon est vel *ob* et *cano*, id est *contra cano:* quod quando pulli in auguriis captandis faciebant, funestissimum erat: vel potius ab *ob* et *cœnum, lutum,* quod *sordidum* notat.

Det citò terga] *Terga* est *Heterosis* pluralis numeri pro singulari.

15. *Petulante*] Vide Not. in Psal. vii. 13. *Petulante.*

16. *Io*] De hac voce supra dictum ad Psal. xiii. 4.

Quisqnis

Quisquis et auxilium te poscit, voce canorâ
Dicat, Io! Domino sit sua laus et honos.
17. Sum miser, ah! fateor; tamen est tibi cura clientis:
Lenis ades, segnes ducere parce moras.

ANNOTATIONES.

17. *Cura clientis*] De voce *cliente* vide supra ad Psal. xxviii. 11. *Cliente.*

Lenis ades] *Lenis* hîc est adjectivum, per *Enallagen*, sumptum pro adverbio; ut Psal. ii. 12. *Securus.*

Lenis ades, segnes ducere parce] Hîc reticetur copula per Figuram quam *Asyndeton* vocant, cujus est natura ut festinationem fere denotet. Vide supra Notam in Psal. vii. 9. *Justos erige, perde malos.*

XLI.

O FELIX, inopem trutinâ qui pensitat æquâ!
Huic feret afflicto Conditor orbis opem.
2. Hunc Deus incolumem rebus servabit in arctis,
Et dabit innubes et sine nocte dies:
3. Hostibus eripiet, viresque resarciet ægro;
Ponet et in molli languida membra toro.
4. Adfer opem, dixi, Deus! ablue vulnera mentis:
Heu! tua majestas crimine læsa meo est.
5. Me petit opprobriis fera gens, et, terminus illi
Ecquis, ait, vitæ, nominis ecquis erit?

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *mixti*, *optativus* scilicet et *laudativus*, constans ex tribus partibus; *Exordio*, ad versum quartum; *Narratione*, a versu quarto ad decimum; et *Petitione*, reliquis versibus.

1. *Trutina æqua*] *Trutina* est statera in qua rerum gravitates examinantur, et per *Metaphoram* significat *animi judicium*, teste Cicerone: *Ad ea probanda, quæ non artificis statera, sed quadam populari* trutina *examinantur*, De Orat. ii. 159.

3. *Viresque resarciet ægro*] *Ægro* hîc ponitur Poetice in dativo casu pro genitivo, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Molli toro] *Torus* lectus ab *intortus* herbis dictus; antiquis enim *torus* e stramento erat qualiter nunc etiam in castris, ut apud Virgilium:

— *Viridante* toro *consederat herbæ*, Æn. v. 388.

6. Mellea vox illi eſt, ægrum dum viſit: at, intus
Quæ coquit, abſcedens dira venena vomit.
7. Turba calens odiis inter ſe murmure cæco
Muſſat, et inſontem tollere fraude parat.
8. En! ait, ille jacet, morbo confectus acerbo:
Occidet, et nullâ reſtituetur ope.
9. Qui ſocius vitæque fuit menſæque, jacenti
Imminet, et ſtratum calce ſubinde ferit.
10. Fer, Deus! auxilium; da poſſe reſurgere; digna
Hoſtibus ut referam præmia, parque pari.
11. Hoc, ubi ſacrilegis ſpes intercepta triumphi eſt,
Quem mihi voviſti, pignus amoris erit.
12. Me mihi tu reddens cœleſti Numine fulcis,
Æternúmque tuo das, Pater! ore frui.
13. Tu, Deus Iſacidûm! tibi, quas decet, afferre laudes;
Sitque dies titulis nulla ſuprema tuis.

Annotationes.

7. *Turba calens odiis*] *Odiis* hîc eſt pluralis numerus pro ſingulari, quò odium violentius exprimat.

9. *Calce ferit*] Eſt Figura proverbialis, pro eo quod eſt omni contumeliæ genere afficere. Unde Cicero in *Oratione pro Sylla*, dicit quendam non ſolum verbis uti improbiſſimis ſolitum, verum etiam pugnis et *calcibus*.

10. *Referam par pari*] *Referre par pari* eſt proverbium apud optimos auctores occurrens, ut apud Terentium:

——*Denique*
Tu par pari referto, *quod eam remordeat*, Eun. iii. i. 54.

Qua monemur ut tales ſimus in alios, quales in nos illos experimur.

13. *Iſacidûm*] Dixit per *Syncopen*, pro *Iſacidarum*.

Titulis] De hac voce vide Not. in Pſal. xviii. 49. *Titulos*.

XLII.

CERVUS ut, in medio celſis de montibus æſtu
Actus, in algentes fertur anhelus aquas;

Sic

Annotationes.

Hujus Pſalmi partes ſunt duæ, una quâ Pſaltes expoſtulat de ſuo exilio, uſque ad verſum ſextum; altera quâ expoſtulat de ſuis calamitatibus: utraque vero *Concluſionem* habet *amœbæam*.

1. *Cervus*] Eâ naturâ eſt *cervus* ut in curſu agitatus omni tempore confugere ſoleat ad aquas

Sic mea vitali ſatiari Numinis undâ
Mens avet, et Domini languet amore ſui:
2. Gaudet, et optat amans, vitæ ſe jungere fonti:
His mihi deliciis quæ dabit hora frui?
3. Dum ſine fine petunt ubi ſis, cui ſervio, Numen!
Sunt miſero lachrymæ nocte dieque dapes.
4. Scandere me quoties memini penetralia ſacra,
Et longo populos ordine ponè ſequi;
Aurea dum recolo miſſas ad ſidera voces,
Et plauſum, feſtis quem decet eſſe choris:
In lachrymas totus miſer ut ſuſpiria ſolvor;
Inter et ærumnas eſt mihi dulce queri.
5. Cur ita turbaris? Cur te, mens! dejicis exſpes?
Cur ita me torques anxia? Fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus;
Et mihi materies unica laudis erit.
6. Dum queror, in mentem, liquidis Jordanis ab undis,
Sepoſitiſque jugis, tu mihi ſæpe redis.
7. Gurgitis eſt gurges, rauci comes æquoris æquor:
Fluctibus, infelix, obruor uſque novis.

ANNOTATIONES.

quas anhelus; maximè vero autumno, quo tempore propter æſtum eſt ſitis impatientiſſimus. Vide Ariſt. *de Hiſt. Animal. Lib.* vi. *c.* xxxix.

2. *Optat amans*] *Amans* hìc adverbialiter ponitur, ut de multis aliis jam obſervatum. Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Securus.*

4. *Penetralia ſacra*] De *penetralibus* vide ſupra Not. in Pſal. xx. 6. *Penetralibus.*

Aurea ſidera] Hoc epitheton *aureum* ſignificat *pulchrum*, vel *ſplendidum*. Idem uſurpavit Horatius:

Perambulavis aſtra ſidus aureum, *Epod.* xvii. 41.

Et Virgilius;

Per duodena regit mundi ſol aureus *aſtra*, Georg. i. 232.

Choris] Vide de hac voce Pſal. xviii. 10. *Chori.*

5. *Torques anxia*] *Anxia* hìc ponitur per *Enallagen* pro *anxiè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

6. *Jordanis*] *Jordanes* eſt fluvius nobilis Palæſtinæ, ex monte Libano oriens, et in plures rivulos ſe dividens.

7. *Æquor*] De hac voce vide ſupra Pſal. xviii. 22. *Nec in æquoris undas.*

Fluctibus] De Metaphoricâ hujus vocis ſignificatione jam dictum ad Pſal. ix. 13. *Adſpice fluctus.*

8. Luce sed in mediâ bonitas tua fulcit abyſſo :
Nocte, Parens vitæ! tu mihi carmen eris.
9. Tunc ego, cur, dicam, capiunt te oblivia noſtri?
Rerum Opifex! animæ portus et aura meæ!
Cur, propè confectum curis, lachrymiſque ſepultum,
Me ſinis immani durus ab hoſte premi?
10. Hic petit, inſultans, ubi ſis: ego vulneror inde;
Enſis et in morem permeat oſſa dolor.
11. Cur ita turbaris? Cur te, mens! dejicis exſpes?
Cur ita me torques anxia? Fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus;
Et mihi materies unica laudis erit.

ANNOTATIONES.

8. *Abyſſo*] Vide Not. in Pſal. xviii. 15. *Abyſſus*.

9. *Oblivia*] De hac voce poeticâ vid. Not. in Pſal. ix. 18. *Mergunt* oblivia.

Durus] Ponitur hîc adverbialiter pro *durè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

10. *Hic petit inſultans*] De propriâ et Metaphoricâ ſignificatione vocis *inſultare*, vide Pſal. xiii. 4. *Inſultet*.

11. *Anxia*] Vide Not. verſum quintum, *Torques* anxia.

XLIII.

SIS mihi tu judex, Deus! et crudelibus obſta;
Subdola ne me gens, ne ſcelerata premat.
2 Es mihi tu rupes: ah! me cur rebus in arctis
Ablegas? ah! cur victus ab hoſte gemo?
3. Prome jubar, quo cuncta foves; hôc dirige greſſus:
Scandere da templi limina ſancta tui.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt ejuſdem generis et argumenti cum ſuperiore, ac velut illius *epitome:* continens *Petitionem*, verſu primo; *Exornationem petitionis*, uſque ad verſum quintum; et *Concluſionem*, verſu quinto.

1. *Premat*] Vide Not. in Pſal. iii. 2. *Premet*.

2. *Me cur ablegas*] *Ablego* eſt propriè quempiam aliò mittere, qui nobis eſt tædio, aut impedimento. Dictum a *legatis*, qui cum legationibus mittuntur.

3. *Templi limina*] *Limen* eſt tranſverſum in janua lignum, inferius vel ſuperius; vel a *limes*, quia illic terminatur domus; vel a *limus*, id eſt, *obliquus* et *tranſverſus*; hîc ponitur, per *Synecdochen*, pro ipſis foribus.

4. Tum mea te referet chelys; et prosternar ad aras,
Lætitias animæ deliciasque meæ.
5. Cur ita dejecta es? Cur te, mens! anxia torques?
Cur gemis? Ætherei posce Parentis opem:
Huic ego festivo persolvam carmine grates;
Nec Deus hunc præter, quem sequar, alter erit.

ANNOTATIONES.

4. *Te referet chelys*] *Chelys* vox Græca χέλυς, testudo: capitur etiam pro *Lyra*, quod Mercurius Lyram primus ex *testudine* fecerit, quam Nilo decrescente in littore repererat.

5. *Anxia torques*] Vide Not. in Psal. xlii. 5.

XLIV.

ARRECTA, Deus! aure, tuæ miracula dextræ
Hausimus, antiqui quæ cecinêre patres.
2. Gentibus expulsis, simul et, te vindice, cæsis
Indigenis, tellus hostica cessit avis.
3. Non suus hos ensis felicibus intulit arvis;
Nec fuit humano robore parta salus:
Hos, Pater armorum! peperit tua dextra triumphos:
Dilectique gregis lux tua rexit iter.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *optativi*, constans ex tribus partibus, *Exordio*, a versu primo ad decimum usque: *Propositione*, a versu decimo ad vicesimum quartum; et *Conclusione petitoriâ*.

Cecinere patres] Verbum *Cano* tribuitur vatibus oraculisque: ut apud Virgilium de Sibylla:

(1) —— *Horrendas* canit *ambages*, Æn. vi. 99.

(2) *Atque hæc deinde* canit *divino ex ore sacerdos*, Æn. iii. 155.

Inde, qui sanctas et venerabiles res atque divinas docendo proponunt, augustiore veluti verbo, *canere* dicuntur, non *dicere*. Ita Boethius, cum libro tertio in finem usque disputationem Philosophiæ de Deo et ejus bonitate retulisset, quartum his verbis auspicatur: *Hæc cum Philosophia leniter suaviterque* cecinisset, etc.

2 *Cæsis indigenis*] *Indigena* dicitur qui non aliunde in aliquam patriam venit, sed ibi natus est; quasi *inde genitus*.

3. *Gregis*] Vide Notam in Psal. i. 1. *Grege*.

4. Te rerum Dominum, te regem agnoſcimus unum:
Fer, Deus! Iſacidis, quam potes unus, opem.
5. Te duce, cogemus ſubitò dare terga rebelles,
Et pedibus populos ſubdere colla truces.
6. Non ego vel gladio, levibus vel fido ſagittis:
Nil gladius, nil me miſſa ſagitta juvet.
7. Tu, Deus! hoſtiles fœdâſti pulvere vultus;
Imperioque tuo libera turba ſumus.
8. Ergò tuas laudes omni celebrabimus ævo,
Et fons tu noſtri carminis unus eris.
9. At, procul abſcedens, tu nos hoſtilibus offers
Opprobriis; ſolito more nec arma regis.
10. Terga fugæ trepidos nos cogis vertere: noſtris
Auctus et exuviis impius hoſtis ovat.
11. Præda ſumus, velut agna lupis: patriiſque relictis
Sedibus, in toto quærimus orbe fugam.
12. Et minimo venire jubes, et ſubjicis haſtæ
Captivos: lucri nil tamen inde legis.
13. Objicis opprobriis; et nos vicinia riſu
Excipit, indignis perſequiturque jocis:
14. Fabula ſic vulgi ſumus; et, dum nubila ſors eſt,
Vertice nos moto turba profana notat.
15. Nec modus eſt, vel meta malis; ſemperque fatiſcit
Obruta mens curis, turpat et ora pudor.

16. Stringit

Annotationes.

6. *Juvet*] Hîc ponitur loco futuri indicativi, qualia nonnulla exhibuimus exempla ad Pſal. xxxvii. 10. *Veſtiges.*

7. *Fœdaſti*] Dixit per *Syncopen* pro *fœdaviſti.*

10. *Auctus et exuviis*] *Exuviæ* ſunt ſpolia hoſtibus detracta ab *exeundo* dicta.

Ovat] De hac voce *ovare* vide Not. in Pſal. xxxv. 25. *Ovans.*

12. *Subjicis haſtæ*] i. e. *Nos venundas*; nam mos erat apud Romanos in auctionibus ponere haſtam, et ea quæ publice venundabant, *haſtæ* ſubjicere. Unde Cicero: Haſtâ poſitâ *pro æde Jovis ſtatoris, bona,* etc. *bona, inquam, Cn. Pompeii Magni voci acerbiſſimæ ſubjecta Præconis,* Phil. ii. 64.

15. *Nec modus eſt, vel meta malis*] *Meta* propriè eſt *extremitas, terminus,* ſive in agris, ſive in circo; vulgo e lapidibus oblongis, in acumen ac pyramidem erectis: dicta *meta* a *metiendo,* vel quia eſſet poſita in dimenſo ſpatio; vel quia eam *metiantur*

16. Stringit in insontem truculenta Calumnia dentes;
Armat et ultrices gens scelerata manus.
17. Hæc licèt infestent, animo tu firmiter hæres;
Et, tibi quam dedimus, stat sine labe fides.
18. Nec te deseruit mens, tot vexata procellis;
Nec, quod signâsti, devia liquit iter.
19. Hauserunt miseros habitata draconibus antra;
Mortis et ante oculos vallis opaca fuit.
20. Si tamen inde tui mens est oblita favoris;
Si cui, te præter, sunt data vota Deo:
21. Hocne tuos oculos fugiet scelus, intima cordis,
In tenebris, acie qui penetrante vides?
22. Te propter luimus; te propter jugiter, eheu!
Cædimur; imbelles sic laniantur oves.
23. Surge; quid ignavo conduntur lumina somno?
Evigila; miseris ne procul esse velis.
24. Cur fugis oppressos immani pondere? Nostræ
Immemor ærumnæ, cur, Deus! ora tegis?
25. Viribus extinctis, animas in pulvere mersas,
Membraque jam cernis tabida fixa solo.

Annotationes.

tiantur quadrigæ circumcurrentes. Inde, per Translationem, pro termino quocunque ac fine, ut apud Virgilium:

His ego nec metas *rerum, nec tempora pono,*
Æn. i. 282.

16. *Calumnia*] Hîc personaliter ponitur, ut supra in Psal. xxxv. 11. *Calumnia.*

18. *Signâsti*] Dixit per *Syncopen*, pro *signavisti.*

19. *Hauserunt miseros*] *Haurio* proprie est extrahere humorem et educere ex profundo aliquo loco; sed significat etiam *sorbere, devorare,* ut apud Ciceronem: *Quid eum sorbere animo, quid non* haurire *cogitatione, cujus sanguinem non bibere censeris?* Phil. ii. 10.

Habitata draconibus] *Draco* est genus animalis venenosi, dicti ἀπὸ τοῦ δερκεῖν, *videre.* Clarissimam enim habere dicitur oculorum aciem: qua ex causa incubantes eos thesauris finxerunt antiqui.

22. *Te propter — te propter*] Est *Anaphora*, de qua vide Notam in Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi: sceptra.*

24. *Ora*] Pro *vultus*, ut Ps. vii. 5. *Ora.*

26. Eripe te ſtratis; pacti memor, aſſere ſervos,
Et bonus hoſtili ſubtrahe colla jugo.

ANNOTATIONES.

26. *Eripe te ſtratis*] *Stratis* dixit in Plurali numero pro *ſtrato*, ut Pſal. ii. 6. *Sceptra.*

Bonus] Eſt adjectivum adverbialiter ſumptum, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

Subtrahe colla jugo] *Jugum* ſub quo ignominiæ gratia victi hoſtes mittebantur. Nam fixis in terram duabus haſtis, ſuper eas ligabatur tertia, et tunc victi hoſtes diſcingebantur, et ſub illa cogebantur tranſire inermes. Inde *ſubjugare* ſignificat debellare, ac ſubjicere.

XLV.

DICERE fert animus Regem; nova carmina Regi
Lingua parat; calamo par erit illa levi.
2. Forma viros ſuperans, affuſaque gratia labris
Te beat, et Domini non periturus amor.
3. Eia age, Rex! humeris apta ſtellantibus enſem,
Quem decus et bello partus adornat honos.
4. Macte novis titulis: niveos Clementia currus
Cingat, et auratas Faſque Fideſque rotas:
Sic tua perculſæ diſcent miracula gentes;
Intremet et gemini terra ſub axe poli.

ANNOTATIONES.

Eſt hoc Canticum *Epithalamium*, generis *laudativi*; cujus partes ſunt quatuor, *Exordium*, verſu primo; *Laudatio ſponſi*, a verſu ſecundo ad nonum uſque; *Laudatio ſponſæ*, a verſu nono ad decimum ſeptimum; et *Concluſio*, verſu decimo ſeptimo.

1. *Calamo*] *Calamus*, frutex aquaticus; qui et arundo dicitur: quamvis arundo proprie ſit quæ craſſior ac longior eſt; *calamus*, gracilis tenuiſque et tibiis fere ac ſcripturæ aptus. Inde ſumitur ut hîc pro inſtrumento quo ſcribimus, ut apud Ciceronem: *Quum inſtituiſſem ad te ſcribere* calamum*que ſumpſiſſem*, Att. vi. 8.

Eia age] De hac exclamatione vide Not. in Pſal. ii. 3. 10. *Eia*, et *eia agedum.*

4. *Macte novis titulis*] *Mactus*, quaſi *mauctus*, id eſt, *magis auctus*. Sic herba adulta dicta eſt a Catone *macta*, quia aucta: Hoſtiæ quoque *mactæ*, quia mola, vino, thure ſpargebantur, et quaſi cumulabantur, augebanturque ante ſacrificium; unde *mactare* pro cædere dictum fuit. Diis ipſis in ſacrificiis acclamabant: macte *hocce vino inferio eſto*, macte *hacce dape eſto*, quia ſacrificiis augeri eorum felicitatem

5. Hostica lethiferis transfiges corda sagittis:
Corruet et telis gens numerosa tuis.
6. Quoque sedes solium, stans nullo mobile sêclo,
Cuncta reget, populis et pia jura dabit.
7. Sunt tibi jus, et fas, et candida pectora cordi;
Impietas odio, mensque referta dolis:
Ergò tibi superûm Rector perfudit olivo
Tempora; præ sociis hic tibi cessit honos.
8. E thalamis quoties procedis lætus eburnis,
Myrrham, aloen, casiam regia vestis olet.

9 Re-

ANNOTATIONES.

tem putabant. Cicero dixit, Mactare *honoribus*, De Repub. vi. Plautus, Mactare *infortunio*, Curcul. iv. iii. 5. Hac formula vocativum *macte* adhiberi volunt pro nominativo *mactus*, more Attico: quemadmodum (1) apud Tibullum:

Sic venias hodierne,
Lib. i. vii. 53.

(2) apud Persium:

Stemmate quod Tusco ramum millesime *ducis*.

Reperitur etiam apud Plinium in plurali numero: macti *ingenii este cœli interpretes*.

Titulis] De hâc voce vide Not. in Psal. xviii. 42. *Titulos*.

Clementia—Fasque Fidesque] Hîc personaliter sumuntur.

Axe poli] *Axe* hîc ponitur eodem sensu quo apud Virgilium:

——*Nudoque sub ætheris* axe,
Æn. ii. 512.

ubi significare videtur *regione* vel *plaga*.

Poli] De hac voce vide Psal. xviii. 12. *Polus*.

5. *Telis*] De Etymologiâ hujus vocis vide Psal. iii. 6. *Tela*.

6. *Mobile sêclo*] *Seculum*, sive per *Syncopen seclum*, pro certo annorum spatio usurpari solet. Nunc spatium centum annorum, unde *Carmen seculare*, in quo scribuntur sacrificia quæ centesimo quoque anno fiebant; nunc spacium triginta annorum *seculum* dicitur, ut notat Servius in illud Virgilii:

Sed mihi tarda gelu, seclisque *effœta senectus*,
Æn. viii. 508.

Seculum a *sequendo* dictum, eo quod sequatur *se*, et in *se* revolvatur.

7. *Jus et fas, et candida pectora*] Redundat copula *et*, per Figuram quam *Polysyndeton* vocant. Ut Psal. vii. 17. *Justumque Deum, Dominumque potentem*.

Candida] De hujus vocis Etymologiâ et significatione vide Psal. iv. 1. *Candida*.

Superûm] Per *Syncopen* pro *superorum*.

8. *Myrrham*] *Myrrha* arbuscula est in Arabiâ præcipuè nascens. Ejus altitudo ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro et intorto, cortice levi, folio olivæ fere simili. Sudat autem sponte, priusquam incidatur, stacten dictam cui nulla præfertur; ea etiam est virtute ut corpora imputribilia reddat: Vide Plin.

9. Regia progenies te cingit, mille ministras
Inter honoratas, et tua jussa subit:
A dextris Regina sedet, spectabilis auro,
Quod legit in patriis gens Ophyræa jugis.
10. Tu mihi, purpureæ decus Heroina cohortis!
Ausculta, monitis obsequiosa meis:
Dele animo populosque tuos, charosque propinquos;
Nec patris, aut patrii sit tibi cura soli.
11. Blanda tuæ Regem succendat gratia formæ:
Hunc quoque tu Dominum relligiosa cole.

ANNOTATIONES.

Plin. *Lib.* xii. *c.* xv. et xvi. Unde condiendis cadaveribus, et imbuendis capillis aliisque ejusmodi deliciis adhibebatur. Teste Virgilio:

——*Crines*
Vibratos calido ferro, myrrhaque *madentes,*
Æn. xii. 100.

et Horatio:

Myrrheum *nodo cohibere crinem,* Carm. iii. Od. xiv. 22.

Aloen] *Aloe* herba est amarissimi succi. Unde, per *Metaphoram,* dixit Juvenalis:

Plus aloes *quàm mellis habet,* Sat. vi. 180. hoc est plus amaritudinis quàm dulcedinis. *Aloe,* inquit Plinius, *scillæ similitudinem habet, major, et pinguioribus foliis ex obliquo striata; est gravi odore, gustu amara, et laudatissima ex Indiâ affertur.*

Casiam] *Casia* frutex est salicis Amerinæ magnitudine. Tria præcipuè sunt *casiæ* genera, (1) Frutex cinnamomo affinis, odorato cortice: de quo Virgilius:

Nec casiâ *liquidi corrumpitur usus olivi,* Georg. ii. 466.

(2) Fistula cujus medulla medicinalis est. (3) Herba coronaria, de quâ idem Virgilius:

Tum casiâ, *atque aliis intexens suavioribus herbis,*
Ecl. ii. 49.

Casia hîc prioris speciei videtur intelligenda.

9. *Gens Ophyræa*] Varias conjecturas faciunt docti de Ophyræ situ, quas recensere nimis esset longum. Ad veritatem proxime accedere videntur qui eam inter insulas Indiæ ultra Gangem locant. Vide *Hist. univ. Tom.* ii. *p.* 800.

10. *Purpureæ*] De Poetico usu vocis *purpureus,* vide Psal. xix. 4. *Purpureum.*

Cohortis] Vide de hac voce Psal. xxxiii. 1. *Cohors.*

Populosque tuos, charosque propinquos] Copula *que* hic redundat per Figuram cui nomen est *Polysyndeton.* Vide supra Notam in Psal. vii. 17. *Justumque,* etc.

11. *Relligiosa*] Per *Enallagen* pro *religiose.* Vide supra Psal. ii. 12. *Securus.*

12. Se

12. Se tibi turba frequens populi prosternet; et ipsæ
Sponte ferent Tyriæ regia dona nurus.
13. Tota nites intus; vestis tibi texitur auro;
Pallaque Sidoniis ter saturata cadis.
14. Ibis in amplexum Regis, sine compare Virgo!
Cui niveus. Phrygiâ pingitur arte sinus.
15. Se jungent comites, Regum de stirpe puellæ;
Lætaque virgineis perstrepet aula choris.
16. Implebitque vicem soboles generosa parentum:
Omnibus hæc populis, te duce, jura dabit.
17. Ergò mihi nullo, Regina! taceberis ævo:
Concinet et laudes ultima terra tuas.

ANNOTATIONES.

12. *Tyriæ nurus*] *Nurus* propriè uxor filii est: sed ponitur hîc pro fœminis junioribus, ut etiam apud Virgilium:

Vidi Hecubam, centumque nurus, *Æn.* ii. 501.

Priamus enim non centum filios, atque adeo nec centum nurus habuit.

Tyriæ] *Tyriæ* a *Tyro*, quæ olim splendidissima urbs Phœniciæ, sita in insula circiter septingentorum millium passuum a mari remota, priusquam eam Alexander aggere immisso continenti annecteret. Τυρὸν Græci *caseum* dicunt, ut a re pecuaria florente *Tyrus* nomen habuerit.

13. *Pallaque*] *Palla* erat honestæ mulieris vestimentum, ad vestigia usque demissum. Dicta *palla* quasi tunicæ *pallium*; vel quòd palam et foris erat.

— *Pro longæ tegmine* pallæ
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent,
Virg. Æn. xi. 652.

Sidoniis ter saturata cadis] Per *Saturatam* pallam intelligit purpuram ter tinctam, quæ erat pretiosissima. Exemplo præivit Martialis:

Non quicunque capit saturatas *murice vestes*,
Lib. viii. Ep. xlviii.

Sidoniis cadis] *Sidon*, Phœniciæ in Syria, a Tyro remota ducentorum stadiorum intervallo. Utraque autem urbs Tyrus et Sidon erat celebris piscatu *muricis*, piscis sive conchæ marinæ, ex qua liquor profluit *ostrum* vocatus, quo lanæ purpureo colore tingebantur. Vestes ejusmodi apud antiquos summo pretio habitæ, atque regibus principibusque viris tantum concessæ erant. Præcipuè celebratur purpura Tyria sive Sidonia apud Virgilium:

—Tyrio *conspectus in* ostro,
Georg. iii. 17.

Modum vero eam conficiendi, sive ostro tingendi inter res deperditas numerat Pancirollus.

14. *Phrygia arte*] i. e. vestimentis Phrygiâ arte elaboratis, vel acu pictis; quam artem Phryges invenerunt. Unde ejusmodi ornatus *Phrygiones* appellati sunt Plin. *Lib.* viii. *c.* xlviii.

15. *Choris*] De propriâ significatione vocis *chorus* vide supra Psal. xviii. 10. *Chori.*

XLVI.

UNA Deus miſeris ſpes eſt, et ahenea turris;
Nec procul eſt, populi cùm fremit ira trucis.
2. Non ego formidem, tellus licèt ima dehiſcat;
Vaſta licèt montes obruat unda maris:
3. Nec trepidem pelagum ſpectans, dum murmure rauco
Inſultat ſcopulis, et juga ſumma quatit.
4. Urbs habitata Deo, jucundo flumine vitæ,
Sanctaque felici templa rigantur aquâ.
5. In medio Deus eſt, et, ne ruat, undique vallat;
Fertque citam, quoties ingruit hoſtis, opem.
6. Infremuêre truces populi; cœlumque tremiſcens
Intonuit, tellus et liquefacta fuit.
7. Sed Deus Iſacidûm, bello qui præſidet, arcis
Inſtar erat nobis, auxiliumque tulit.
8. Huc ades, et mecum ſpecta mirâcla Tonantis,
Regnaque cœleſti depopulata manu.
9. Bella Deus paſſim premit, et vi conterit arcus,
Telaque; falcatas perdit et igne rotas.

ANNOTATIONES.

Hoc Canticum eſt *didacticum*, ex duabus partibus conſtans: *Propoſitione*, ad verſum octavum; et *Hortatione*, inde ad finem uſque.

2. *Formidem*] Hîc ponitur loco futuri, ut ſupra in Pſal. xxxviii. 10. *Veſtiges*. Et in verſu ſequenti, *Trepidem*.

4. *Felici*] *Felix* hîc ſignificat *larga*, *luxurians*; ut Pſal. xxii. 5. *Succo felicis olivi*.

5. *Ingruit*] De hac voce conſule Not. in Pſal. xviii. 9. *Ingruit*.

7. *Iſacidûm*] Per *Syncopen* dixit pro *Iſacidarum*, ut etiam in ſequenti verſu undecimo.

8. *Mirâcla Tonantis*] *Mirâcla* pro *miracula*, per *Syncopen* fit more Poetico. Eſt vero *miraculum* quicquid admirationem afferre poteſt.

9. *Falcatas rotas*] *Rotæ* hîc ponuntur per *Synecdochen* pro curribus. Vox *falcatus* interdum ſignificat curvatus in modum falcis, ut apud Virgilium:

— Falcati *cominus enſes*,
Æn. vii. 732.

Hîc verò ſignificat *falcibus inſtructus*: cujuſmodi currus olim ad prœlia erant comparati; de quibus vide *Livium* xxxvii, xli.

10. Pone minas, inquit; Dominum me ſuſpice. faſces
Agnoſcent olim terra fretumque meos.
11. Sed Deus Iſacidûm, bello qui præſidet, arcis
Inſtar erit nobis, auxiliumque feret.

ANNOTATIONES.

Faſces] *Faſces* inſignia dicebantur conſulum Romanorum. Erant autem faſciculi colligati ex virgis ſeu bacillis de betula arbore, inter quas obligata ſecuris ita erat, ut ferrum in ſummo *faſce* emineret. Inde uſurpantur pro imperii inſignibus apud Virgilium:

—— *Primos attollere* faſces,
Regibus omen erat, ——
Æn. vii. 173.

Et pro ipſo imperio, ut hîc, apud Horatium:

——— *An ſuperbos*
Tarquinî faſces—— *memorem*,
1 Carm. xii. 35.

Fretumque] De propriâ ſignificatione vocis *fretum*, vide Pſal. xxx. 6. *Freta*.

XLVII.

PLAUDITE, mortales! rerum celebrate parentem;
Voxque triumphantis ter geminetur, Io.
2. Sedibus è ſuperis, nutu ſceptroque tremendo
Ille regit, veſper quidquid et ortus habet.
3. Ille feros populos, gemino ſub vertice cœli,
Antè triumphatos, ſub juga noſtra trahet.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *didacticus* in genere *laudativo*, continens partes duas; prima *Hortatio* ad laudes Dei, ad verſum quintum; ſecunda *Rationes* ſive *Argumenta* quibus iſta *Hortatio* ſuadetur, inde ad finem Pſalmi.

1. *Io*] Vide Not. in Pſal. xiii. 4 *Io*.

2. *Veſper*] De hac voce *veſper* prius dictum ad Pſal. xxii. 28. *Veſper*.

Gemino ſub vertice] i. e. *Ab utroque polo. Terra a* verticibus duobus, *quos appellavere polos, centrum cœli eſt*, Plin. Lib. ii. c. xv. Eodem modo loquitur Virgilius:

Hic vertex *nobis ſemper ſublimis; at illum*
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi,
Georg. i. 242.

Sub juga noſtra] *Romanis mos erat*, inquit Dionyſius, *quoties hoſtes traditis armis deditionem faciebant, duo tigna recta humi defigere, hiſque tertium tranſverſum ſuperimponere, et ſub eo captivos tranſmittere moxque dimittere liberos. Hoc ipſi* jugum *vocant*.

Juga] Dixit in plurali numero pro ſingulari per *Heteroſin*.

4. Et ſibi dilectæ donabit prædia genti:
Hoc domus Iſacidûm geſtit honore frui.
5. Ille triumphali ſuperûm palatia curru
Scandit, et adventûs ſigna dedêre tubæ.
6. Pſallite, mortales! et Io ter dicite Regi:
Plaudite victori terque quaterque Deo.
7. Illius occaſus ſolium veneratur et ortus:
Hunc celebret mentis quidquid et oris habes.
8. Illius imperio tellus obtemperat omnis:
Et ſolii pietas cingit utrumque latus.
9. Abramidûm populis junguntur fœdere reges;
Quos regit hic, quibus et præripit omne decus.

ANNOTATIONES.

4. *Prædia*] Hîc aptè autor ſelegit vocem *prædia*, eſt enim *prædium* a *præda*: eo quod capti ab hoſtibus agri militibus diſtribuebantur.

Iſacidûm] Per *Syncopen* pro *Iſacidarum*.

5. *Superûm*] Per *Syncopen* pro *Superorum*.

6. *Io*] Vide de hac Interjectione, Pſal. xiii. 4.

Terque quaterque] Id eſt *iteratis laudibus*; exemplo ſæpius præivit Virgilius,;

— *O* terque quaterque *beati*,
Queis ante ora Patrum —
Contigit oppetere! —

Æn. i. 98.

Vide Æn. iv. 589. et xii. 155.

8. *Pietas*] Vox *pietas* ſignificat animi amorem et benevolentiam quâ Parens amplectitur liberos: et propterea optime convenit Deo communi rerum Parenti.

9. *Abramidûm*] Per *Syncopen* dixit pro *Abramidarum*.

XLVIII.

MAJESTAS immenſa Dei eſt, venerabilis urbi
Quam colit, et ſacris ter celebranda jugis.
2. Alma Sion, Boream ſpectans, pulcherrima rerum eſt;
Et domus auguſti Regis, et orbis amor.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *laudativi* et *euchariſtici*, continens primo *Propoſitionem*, uſque ad verſum quartum; deinde *Narrationem*, uſque ad verſum nonum; poſtremo *Profeſſionem* fiduciæ in Deum, ad finem uſque.

2. *Alma*] Vide Notam in Pſal. xii. 1. *Alma*.

3. Om- *Sion*]

3. Omnibus hæc aperit portam, portumque ſalutis;
Nullus et in toto eſt tutior orbe locus.
4. Hâc conjurati viſâ ſtupuère tyranni,
Protinus et turpi terga dedêre fugæ.
6. Hos metus invaſit trepidus; luctuſque virorum
Æmulus angori parturientis erat:
7. Haud aliter puppes violentia diſſipat Euri,
Ægæum tumidis cùm mare ſervet aquis.
8. Hæc, quæ fama refert, in ſacrâ vidimus urbe,
Numinis invicti quæ ſtabilita manu eſt.
9. Alme Parens! feſtis quoties advolvimur aris,
Una tuæ cunctos ſpes bonitatis alit.
10. Par majeſtati laus eſt tua, neſcia metæ;
Sanctaque juſtitiæ dextera lance nitet.
11. Geſtiat alta Sion; celebrent et judicis æqui
Facta, Palæſtinæ quas habet ora, nurus.

12. Mœ-

ANNOTATIONES.

Sion] De hac voce ſupra dictum ad Pſal. ii. 6. *Sioni.*

Boream ſpectans] *Boreas* eſt ventus flans a ſeptentrione, frigidus et ſiccus, a Βοάω, *clamo*, quia ſonorus ſit et procelloſus. Vocatus et Aquilo a vehementiore flatu et volatu: quaſi *aquila* inquit Feſtus.

Pulcherrima rerum] Accommodavit Sioni, quod Virgilius dixit de Roma:

Scilicet et rerum *facta eſt* pulcherrima *Roma*,
Georg. ii. 524.

4. *Tyranni*] De hac voce jam dictum ad Pſal. vii. 2. *Impune* Tyranni.

6. *Metus trepidus*] *Trepidus* vox eſt ambigua, vel enim ſignificat *tremulus, pavidus*, vel *feſtinus*, quòd qui timent, feſtinent greſſus: In hoc poſteriori ſenſu occurrit, ut hîc, apud Virgilium:

Hic me, dum trepidi *crudelia limina linquunt.*
Æn. iii. 616.

7. *Euri*] *Eurus* eſt ventus ab oriente brumali flans, violentus, atrox et rapidus.

Ægæum mare] *Ægæum mare*, nunc *Archipelagus* dictum, Græciam a minore Aſia ſeparavit: nomen habuit ab *Ægeo*, Rege Athenienſium, qui eò ſe præcipitavit. Ibi magna inſularum multitudo, unde fervet mare, et æſtuant fluctus, ubi ſævior ingruit ventus.

10. *Neſcia metæ*] De *meta* vide ſupra Pſal. xliv. 15. *Meta.*

11. *Sion*] Vide Notam in Pſal. ii. 6. *Sioni.*

Palæſtinæ] *Palæſtina* interdum latiori ſignificatione pro tota Terra Sancta, ſed ſtrictè loquendo erat anguſta illius regionis portio ſecundùm oram maritimam porrecta, quæ ab

12. Mœnia circumiens Solymæ, quam ſuſpicis, hoſpes !
Dinumera turres, quas habet ille locus:
13. Adſpice ſupremis inſertas nubibus arces;
Quæque vides ſoboli regia tecta refer.
14. Qui colit hanc, dum luce fruar, dum ſtabit et orbis
Machina, dux nobis et Deus unus erit.

ANNOTATIONES.

oriente tribu *Judæ* et Simeontis erat clauſa, ab occidente mari Mediterraneo, a Septentrione Amaleci finibus, et a Meridie cum tribu Danis ſe immiſcebat. Quinque oppidis præcipue inclaruit, quorum nomina ſunt *Gaza*, *Aſcalon*, *Gath*, *Aſhdod*, et *Ekron*, unde tota terra *Pentapolis* nonnunquam appellata.

Nurus] De hac Poetica ſignificatione vocis *nurus* ſupra dictum ad Pſal. xlv. 12. *Nurus*.

12. *Mœnia*] De diſcrimine inter *muros* et *mœnia* vide Not. in Pſal. ix. 6. *Mœnia*.

Solymæ] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam*.

Suſpicis] De hujus vocis propriâ et Metaphoricâ ſignificatione vide Notam in Pſal. ix. 1. *Suſpicienda*.

XLIX.

PANDE meis aurem monitis, quicunque virorum
Incolis Eoas, Heſperiaſve plagas!
2. Auſcultent clari proceres, et futile vulgus ;
Et qui divitiis pollet, et æris inops.
3. Quæ loquar, arcanos referans Sapientia fontes
Suggeret: hæc animo volvere dulce mihi eſt.
4. Seria res agitur ; vates oracula plectro
Perſequar, intentus cantibus ipſe meis.

5. Cur

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *didacticus*, tres partes continens: *Exordium*, uſque ad verſum quintum ; *Propoſitionem*, a verſu quinto ad decimum ſeptimum ; et *Concluſionem*, inde ad finem uſque.

1. *Incolis eoas*] De voce *Eous* jam dictum ad Pſal. xix. 5. *Eoo*.

Heſperiaſve] De voce *Heſperias* vide Pſal. xix. 6. *Littus in* Heſperium.

3. *Sapientia*] Hîc ſumitur perſonaliter, Poetarum more, quo etiam modo ſæpius occurrit in ſacris litteris.

4. *Oracula*] *Oraculum* ab *ore* dicitur, eſtque propriè Deorum reſponſum. Oracula *enim*, inquit Cicero, *ex eo ipſo appellata* ſunt, *quod ineſt his Deorum* oratio. *Sed* Oraculum *eſt etiam, dictum alicujus celebre et veluti divinum :* unde dicimus Oraculum *Catonis*.

Plectro] *Plectrum* eſt inſtrumentum

5. Cur ego formidem, cùm fluctibus undique vastis
Cingor, et a tergo vindicis ense premor.
6. Spem locat in loculis animus mortalia curans,
Jactat et ingentes ambitiosus opes:
7. Non tamen his frater prævertit funera fratris;
Nec pretio flecti Numinis ira potest.
8. Vita nequit gazis redimi; pernicibus alis
Illa fugit, nulla restituenda die.
9. Ære nec oblato seros mercaberis annos;
Dona nec admittit mortis avara manus.
10. Cum fatuo prudens moritur, cum paupere dives;
Nec mora, quos linquunt, occupat alter agros.
11. Nemo sibi non spondet opes titulosque perennes:
Sed titulos et opes mors inopina rapit.
12. Est fugitivus honos; et quotquot nascimur Adæ
Semine, quadrupedum more perire vides.
13. Vana sequi gens stulta solet; patrumque nefanda
Dicta probat soboles improba, pejor avis.
14. Strata jacent, ritu pecudum, sub mole sepulchri
Agmina, lethali depopulata manu:

Vir

ANNOTATIONES.

mentum quo Citharœdi fides *plectunt*, id est, percutiunt. Hîc autem ponitur per *Synecdochen* pro ipsâ citharâ, ut etiam apud Horatium:

Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro *dura navis,*
Carm. ii. Od. xiii. 27.

5. *Fluctibus*] De Metaphoricâ hujus vocis significatione vide Not. in Psal. ix. 13. *Adspice fluctus.*

6. *In loculis*] De hac voce *loculis,* consule Notam in Psal. xvii. 14. *Succedit* loculis.

Jactat] Vide Not. in Psal. x. 3. *Jactat.*

Ambitiosus] Hîc ponitur adverbialiter pro *ambitiose,* ut Psal. ii. 12. *Securus.*

8. *Gazis redimi*] *Gaza,* dictio Persica, significat opes, supellectilem, et generaliter quicquid possidemus, ut apud Virgilium:

— *Tabulæque et Troïa* gaza
per undas, Æn. i. 123.

10. *Nec mora*] De hac locutione vide Not. in Psal. xxx. 2.

11. *Titulosque perennes*] De voce *Titulus* in hac significatione jam dictum ad Psal. xviii. 49. *Tuos* titulos.

Opes titulosque—titulos et opes] Est elegans *Anaphora,* de quâ Figurâ vide Not. in Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi: Sceptra.*

14. *Eos*] Est vox Græca ἠώς, *Aurora,* inde *eous* matutinus, vel orientalis: de quâ voce vide Psal, xix. 5. *Thalamo* eoo.

Lari]

Vir pius hæc rectique tenax, cùm desuper Eos
Fulserit, imperio vim prohibente premet :
Ora venusta priùs cernet manantia tabo,
Junctaque marmoreo fœda sepulchra lari.
15. At mihi vim lethi depellet Rector Olympi ;
Et dabit ut secum gaudia lætus agam.
16 Ne trepida, gazas subitò si congerit alter,
Et domus auratas explicat alta trabes.
17. Nudus opum busto tegitur ; nec gaza, nec auro
Dives ad inferna: pompa sequetur aquas.
18. Ille cutem curat, fugitivaque gaudia vivus
Captat ; et hunc laudat quem juvat illa sequi.
19. Mors tamen hunc addet proavis ; quæ messuit illos,
Non sinet hunc vitæ perpete flore frui.
20. Hei mihi ! gens hominum, dum tangit vertice cœlum,
Se pecudum nescit claudere more diem.

L. AR-

ANNOTATIONES.

Lari] Vide Not. in Psal. xviii. 45. *Sepositique lares.*

15. *Lethi*] De hujus vocis Etymologiâ vide Not. in Psal. vi. 3. Lethum *passurus.*

Rector Olympi] Montes duodecim hoc nomine *Olympi* insigniti sunt. Præcipuus in ea parte Thessaliæ, quæ ad Macedoniam vergit : cujus vertex ita editus, ut nubes penetrare, et ad cœlum usque pertinere dicatur ; immo et pro cœlo sumatur a Poetis. Dictus *Olympus* quasi ὁλολαμπὴς, *totus lucidus*, quia nubes excedit, et sole semper illustratur.

Lætus] Pro *lætè*, per *Enallagen*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

17. *Busto tegitur*] De *busto* vide Not. in Psal. xxviii. 1. *Busta.*

Pompa sequetur] *Pompa* vocatur omne spectaculum et apparatus solennis, cum ostentatione et specie quadam triumphi, idque in adversis, ut hic, non minus quam in prosperis et lætis. Inde passim legitur in autoribus, nuptiarum *pompa*, *pompa* sacrorum, *pompa* funerum.

13. *Ille cutem curat*] *Curare cutem est genio indulgere, voluptatibus inservire.* Exemplo præivit Juvenalis:

Et curare cutem *summi constantia civis*, Sat. ii. 105.

Et Horatius:

Me pinguem et nitidum bene
curatâ cute *vises*,
Cùm ridere voles, Epicuri de
grege porcum,
1 Epist. iv. 15.

20. *Tangit vertice cœlum*] i. e. *Evecta ad honoris fastigium* ; ad exemplum Poetarum, apud quos passim reperies, *ad sidera tollere. cœlum ferire*, et similia. Huic dictioni autoris præcipue respondet illud Horatianum:

Sublimi feriam sidera vertice,
1 *Carm.* i. 36.

L.

ARBITER æthereus, cui ſervit purpura regum,
Perculit, os pandens, orbis utrumque latus:
Ætheris excelſi ſolio te ſiſtere juſſit
Regna, rubens quotquot veſper et ortus habet.
2. Ille Sionææ roſeo de vertice rupis
Fulſit, et auratum protulit inde jubar.
3. Hinc aderit, nec verba premet: præcurret euntem
Flamma vorax, circùm vaſta procella ruet.
4. Æthera teſtatus, terramque ſub ætheris axe,
Diſcutiet populi facta ſiniſtra ſui.
5. Confluat huc, dicet, mihi gens dilecta, juvencis
Fœdera quam mecum pacta litare jubent.
6. Sidera juſtitiam narrabunt Numinis; ipſe
Nam Deus officium judicis æquus obit.
7. Eloquar; Iſacidæ! trepidas advertite mentes:
Vos ego cœleſti poſtulo voce reos;
Vos Deus appello; Dominum me prædicat orbis;
Et ſacra gens priſco fœdere juncta mihi es.
8. Non ego, quod noſtras rarò pecus imbuat aras,
Parciùs offerri non holocauſta queror.

9. Nec

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *didacticus*, ex duabus partibus conſtans: *Narratione*, ad verſum ſeptimum; et *Propoſitione*, inde ad finem uſque.

1. *Purpura regum*] Virgilium eſt imitatus:

Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit——Georg. ii. 495.

Veſper] Conſule Notam in Pſal. xxii. 28. *Veſper*.

2. *Roſeo de vertice*] De uſu Poetico hujus epitheti *roſeo* vide Not. in Pſal. i. 2. *Roſeo*.

4. *Sub ætheris axe*] Sub nudo et aperto cœlo, inquit Servius in Virg.

Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe,
Æn. ii. 512.

5. *Litare*] De diſcrimine inter *litare* et *ſacrificare* vide Not. in Pſal. xvi. 4. *Litet*.

6. *Sidera*] Ponitur hîc *ſidera*, per *Synecdochen*, pro *cœlis*.

8. *Imbuat aras*] Ita Virgilius:

——*Illius* aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet *agnus*, Ecl. i. 7.

Holocauſta] *Holocauſtum*, Græcè ὁλοκαυστὸν erat hoſtia quæ, detractis extis, integra aræ imponebatur, quaſi ὅλον καυστὸν, hoc eſt, *totum combuſtum*, aut *totum igne*

9. Nec caper è caulis, nec me, ſpectante popello,
Vilibus è ſtabulis tracta juvenca juvat.
10. Quidquid habent campi pecudum, ſaltuſque profundi,
Quidquid alunt rupes et juga mille, meum eſt.
11. Suntque mihi notæ volucres in montibus altis,
Meque colit Dominum quidquid inerrat agris.
12. Si premar eſurie, non vos ſolatia poſcam:
Me penes eſt, tellus quidquid et æther habet.
13. An mihi toſta famem depellant viſcera tauri?
An levet hircini ſanguinis unda ſitim?
14. Solve tuo grates potiùs Dominoque Deoque,
Votaque, me quiſquis ſimplice mente colis!
15. Tempeſtas cùm ſævit, opem me poſce Parentem:
Hanc ego depellam; tu mea facta refer.
16. Crimina ſed ſpectans, his te, gens impia! judex
Arguet æthereus corripietque modis:
Quid tibi nobiſcum eſt? cur tu mea fœdera pandis?
Cur memorat leges improba lingua meas?
17. Tu mihi reclamas; legum tu ſpernis habenas;
Et, te cùm moneo, das mea verba Notis.
18. Tu prædatori comitem te jungere gaudes:
Te quoque conſortem turpis adulter habet.
19. Ore paras fraudes; utero conceptus eodem
Te timet, et linguæ ſpicula ſæva tuæ.

ANNOTATIONES.

igne abſumptum.

12. *Solatia*] Eſt *ſolatia* pro *ſolatium*, per *Heteroſin* pluralis numeri pro ſingulari, ut Pſal. ii. 6. *Sceptra.*

14. *Dominoque Deoque*] Eſt exemplum Figuræ quam vocant *Polyſyndeton*, per quam copula *que* redundat. Vide Not. in Pſal. vii. 17. *Juſtumque* Deum, Dominumque *potentem.*

17. *Tu mihi reclamas*] *Reclamare* eſt quaſi clamando adverſari, repugnare, refragari, ut apud Ciceronem: Reclamat *Sicilia tota, propter cœlati argenti cupiditatem, reos fieri rerum capitalium,* 6 Verr. xli.

Das mea verba Notis] De hac loquendi formula vide Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere* Noti.

Notis] De hujus vocis propriâ ſignificatione et Etymologiâ vide ibid Pſal. xviii. 22. et Not. in Pſal. i. 4. *Notus.*

LI. ME,

21. Ad tua quòd tacitus connivi crimina, rides;
Meque tui fimilem, gens fcelerata! putas:
At mihi tu meritas fcelerum dabis, improba! pœnas;
Nam tua funt digitis facta notata meis.
22. Numinis immemores! monitis advertite facris:
Ne mea vos, nullo vindice, dextra terat.
23. Me colit hic, qui laude litat: fectator et æqui
Pars erit electi, me tribuente, gregis.

ANNOTATIONES.

21. *Tacitus connivi*] *Tacitus* hîc ponitur pro *tacitè* per *Enallagen* adjectivi loco adverbii. Vide Not. in Pfal. ii. 12. *Securus.*

22. *Vindice*] De hac fignificatione vocis *vindex*, vide Not. in Pfal. xxii. 4. *Te* vindice.

Gregis] Vide Not. in Pfal. i. 1. *Grege.*

LI.

ME, Deus! exaudi facilis; patriique favoris
Adfpiret famulo mollior aura tuo:
Quique reis toties veniam totiefque benignus
Indulges, fcelerum me quoque fafce leva.
2. Turpe nefas dele; fœdam, Pater! elue noxam
Obverfantem oculis nocte dieque meis.
3. In te deliqui; te folum crimine læfi:
Ut fcelus ulcifci jus tibi fafque foret.

ANNOTATIONES.

Hic Pfalmus eft *optativus*, conftans ex duabus partibus; *Petitione fingulari*, a verfu primo ad vigefimum; et *Petitione communi*, inde ad finem.

1. *Exaudi facilis*] *Facilis* hîc fumitur adverbaliter pro *facilè*, ut Pfal. ii. 12. *Securus.*

Adfpiret famulo] De propriâ et Metaphoricâ fignificatione verbi *adfpirare*, vide Not. in Pfal. i. 3. *Adfpirans.*

Indulges] De hoc verbo vide Not. in Pfal. iii. 8. *Indulges.*

Fafce leva] *Fafcis* proprie lignorum aut alterius cujufcunque rei ligata congeries, quam ligando facimus: inde fignificat *onus*, quod *fafces* lignorum feu aliarum rerum graves funt portantibus. Exemplo eft Virgilius:

—*Ego hoc te* fafce *levabo,*
Ecl. ix. 65.

5. Polluit

5. Polluit auspicium vitæ mihi fœda libido;
Primaque lux miseræ conscia labis erat:
Luce carens, ipsâ contraxi matris in alvo
Triste rudimentum, seminiumque mali.
6. Sed te pura juvat mens; quam tu, nube remotâ,
Erudies, leges discat ut illa tuas.
7. Hyssopi me fronde, sacro me flumine lustra:
Sic ego mundus ero, candidiorque nive.
8. Mitte salutiferæ qui gaudia nuntiet horæ:
Ut redeat fracto priscus in ossa vigor.
9. Parce meo puros in crimine figere vultus:
De medio potiùs flebile tolle nefas.
10. Redde, quod amisi, pectus sine crimine; mentem
In restaurato pectore finge novam.
11. Nec me adytis disclude sacris; et Spiritus olim
Quas tuus accendit, ne mihi deme faces.

ANNOTATIONES.

5. *Polluit auspicium*] *Auspicium* hîc significat *initium:* quia veteres, gravissimarum rerum initio, captare omina, *auspicia* et auguria solebant; unde *auspicari* dicimus, pro, *initium* capere, et incipere; et *inaugurari*, pro, *in dignitatem aliquam assumi.* Inde Virgilius usurpavit *omen* eodem sensu, quo autor noster *auspicium:*

— *Et primos attollere fasces*
Regibus omen *erat*,
Æn. vii. 173.

Seminiumque mali] *Seminium* idem est quod *semen*, sive illud quod ex semine ortum est. Quo sensu Varro De re rustica: *E quo seminio ego procreavi pullos:* et Lucretius, quem præcipuè respexisse Jonstonus videtur:

Denique cur acris violentia triste Leonum
Seminium *sequitur*,
Lib. iii. 741.

7. *Hyssopi*] *Hyssopus* est herba purgatoria satis nota. Hîc Psaltes respicit ritum illum cæremonialem, de quo vide *Lev.* xiv. 6, 7. et *Num.* xix. 6. ubi præceptum traditur legis Mosaicæ, de *hyssopo* aspergendis lepro affectis aliisque impuris, in signum purificationis.

Flumine lustra] De hujus ritûs significatione vide Not. in Psal. xxvi. 6. *Lustravi.*

Lustra] De hujus verbi significatione vide Not. in Psal. xiv. 2. Lustravitque *genus mortale.*

9. *Tuos vultus*] Est pluralis numerus pro singulari. Vide Not. in Psal. ii. 6. *Sceptra.*

11. *Adytis*] De hujus vocis significatione et Etymologiâ vide Not. in Psal. xx. 2. *Adytis.*

12. Redde

12. Redde mihi vitæ ſpirantes gaudia vultus:
Meque regat promptâ Spiritus ille manu.
13. Indicio tum verſa meo gens devia greſſus
Diriget, et Solymæ figet in æde pedem.
14. Autor opis, vitæque parens! ne cæde madentem
Lethifer in pœnas poſce; ſed abde nefas:
15. Tunc ego te lætus tollam ſuper aſtra: reclude
Vocis iter, laudes ut canat alta tuas.
16. Nec te thuris odor, nec victima cæſa, nec, ultrò
Quam tibi libarem, bucula toſta juvat.
17. Mens ſcelerum ſub mole gemens, fraudeſque peroſa,
Una placet, numen placat et una tuum.
18. Adſpice, ſed facilis, turres, Pater alme! Sionis;
Et Solymæ memori mœnia conde manu.
19. Tum tibi placato pecudum cruor imbuet aras;
Et cadet in ſacros hoſtia grata focos.

ANNOTATIONES.

12. *Vultus*] In plurali numero dixit pro *vultum* in ſingulari.

13. *Solymæ*] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

15. *Lætus tollam*] *Lætus* hîc adverbialiter ponitur pro *lætè*, ut ſupra dictum ad Pſal. ii. 12. *Securus*; idem quoque hîc dicendum de *alta*, ſcilicet pro *altè*.

Thuris odor] De *Thure* vide Not. in Pſal. xxvi. 6. *Thura.*

Quam tibi libarem] *Libo* a Græco λείβειν, leviter deguſtare, et primis veluti vix *labris* attingere, quod de apibus propriè dicitur, ut apud Virgilium:

Purpureoſque metunt flores, et flumina libant, *Georg.* iv. 54.

Præcipuè hoc verbo uſi ſunt veteres, quum de *primitiis* Diis oblatis ſermo eſſet (illæ enim de frugibus delibabantur, aut decerpebantur) vel quum inter epulas, in honorem alicujus Dei in menſam, vel inter ſacra in aram aliquid vini de paterâ defundebant. Ut apud eundem Virgilium:

Dixit, et in menſa laticum libavit *honorem*, Æn. i. 740.

Inde, per *Synecdochen*, *libare* ponitur pro *ſacrificare*: ex eadem auctoritate,

——*Nunc pateras* libate *Jovi*, Æn. viii. 133.

18. *Sed facilis*] *Facilis* hîc, per *Enallagen*, ſumitur adverbialiter pro *facilè*. Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Securus.*

Pater alme] De ſignificatione et Etymologiâ vocis *almus* vide Not. in Pſal. xii. 1. *Alma.*

Sionis] Vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sioni.*

Solymæ] De *Solymâ* conſule Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

19. *Imbuet aras*] Vide Not. in Pſal. l. 8. *Imbuat aras.*

LII.

TURBA potens! ecquid ſtolidè tua crimina jactas?
Numinis eſt conſtans, nec periturus amor.
2. Impia lingua tibi eſt, quam nulla novacula, lævi
Cote nitens, acies vincere nulla poteſt.
3. Prava piis ſtudiis præfers, mendacia vero;
Oſque meras fraudes, perniciemque parat.
5. Te Deus exſcindet vindex; vitâque, boniſque
Exuet; et patriis ſedibus exul ages.
6 Vir pius hæc ſpectans, Dominum venerabitur orbis;
Illudenſque reis talia dicta dabit:
7. Divinam qui riſit opem, cui copia rerum,
Et mala mens olim dux fuit, ecce jacet.
8. Aſt ego, qui Domino fidi conſtanter, olivæ
Inſtar, in illius luxuriabor agro.
9. Te, Deus! obſervans Dominum, tua dulce putabo
Jugiter in ſacro pandere facta choro.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *didactici*, conſtans ex tribus partibus; *Reprehenſione*, ad verſum ſeptimum; *Prædicatione lætitiæ*, ad nonum uſque; ac poſtremo *Glorificatione fidei*, duobus ultimis verſibus.

1. *Jactas*] De hoc verbo vide Not. in Pſal. x. 3. *Jactat*.

2. *Nulla novacula*] *Novacula* eſt culter raſorius, a *novo*, *novas*, quod *novare*, id eſt, novum facere videatur. Porro veteres *novare* pro *radere* dicebant, ut Scaliger in *Ætnam Severi*, ℣ 57. obſervat.

8. *Olivæ*] *Olivam* Plinius numerat inter illas arbores quarum folia nunquam decidunt.

9. *Obſervans Dominum*] Emphaticè uſus eſt hac voce *obſervans*; *obſervare* enim eſt cuſtodire aliquid oculis animoque in modum ſpeculatoris, ne nos ſilentio, tacitéque prætereat: poteſt etiam accipi hîc pro *venerari*, ſive *admirari*, quo ſenſu occurrit apud Virgilium:

Præterea Regem non ſic Ægyptus, et ingens
Lydi, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant — *Georg.* iv. 211.

Sacro choro] De voce *Choro* vide Pſal. xviii. 10. *Chori*.

LIII.

STULTUS ait secum, non est Deus: inquinat omne
Cor scelus; et recto tramite nemo meat.
2. Despiciens terras Deus inquisivit, an orbem
Incoleret prudens, et pietatis amans.
3. Omnia pestis erant, omnes involverat error;
Virque pius toto nullus in orbe fuit.
4. Cæcane perversis mens est, ait? impete facto,
Glubere qui populum non metuêre meum:
Ceu dape, dilectæ pascuntur sanguine gentis:
Nemo mihi toto de grege vota facit.
5. His, ubi nulla fuit justæ Formidinis umbra,
Vidimus imbelli corda timore quati:
Et, sacra cùm telis cinxerunt castra, per agros
Vindicis his spargi vidimus ossa manu:
Texit et ora pudor populo, quem Conditor orbis
Spreverat; et trepidæ sunt data terga fugæ.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *didactici*, et ejusdem argumenti cum Psalmo decimo quarto, qui plurimâ ex parte cum hoc consonat.

4. *Perversis*] Est casus tertius pro secundo, per *Antiptosin*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Glubere] *Glubere* proprie est *corticem*, sive *pellem detrahere*; inde significat *denudare* seu *spoliare.*

Grege] Vide Not. in Psal. i. 1. *Grege.*

5. *His corda — quati*] Pro *horum* corda quati, per *Antiptosin*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Formidinis umbra] *Umbra* est *aer carens sole:* quod fit alicujus corporis objectu, præsertim nubium; inde sumitur pro imagine rei; cui opponitur solida et expressa effigies, ut apud Ciceronem: *Sed nos —— germanæ justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus*; umbra *et imaginibus utimur*, Off. iii. 69. Hîc observare est, quod etiam prius annotavimus, virtutes, nempe, vitia et affectus animi, ut voluptatem, dolorem, formidinem personali forma sæpius depingi.

Telis] Vide de hac voce Not. in Psal. iii. 6. *Tela.*

His spargi ossa] Pro *horum spargi ossa*, per *Antiptosin*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Texit ora populo] Per eandem Figuram dixit pro *ora populi.*

Trepidæ fugæ] De ambiguâ significatione vocis *trepidus* vide Not. in Psal. xi. 1. Trepido *metu.*

6. Illa dies, lux illa! veni, de rupe Sionis
Isacidis cœli quâ feret autor opem:
Tum domus Abramidûm celebrabit gaudia, duro
Cùm sacra gens cernet colla soluta jugo.

Annotationes.

6. *Sionis*] Vide Not. in Psal. ii. 6. *Sioni.*

Abramidûm] Dixit per *Syncopen*, pro *Abramidarum.*

Jugo] De *jugo* apud Romanos vide Not. in Psal. xliv. 26. *Jugo.*

LIV.

ME, fidei pactique memor, Deus! assere; judex
Tu mihi, quâ polles, ne premar, adfer opem.
2. Alme Parens! mœstis aures adverte querelis;
Et memori gemitus pectore conde meos.
3. Me fera Barbaries premit, et violenta Tyrannis,
Et majestati gens inimica tuæ.
4. Sed mihi tu præsens, Deus! es: tutaris et illos
Quorum ego consilio subsidioque juvor.
5. Impia gens pœnas te pendet vindice; tandem
Ah! tua subverso luceat hoste fides.
6. Tunc ego thura ferens, ultrò prosternar ad aras;
Teque colam, quo nil mitius orbis habet.

Annotationes.

Hic Psalmus est generis *optativi*, constans ex duabus partibus; *Petitione*, usque ad versum sextum, et *Conclusione votivâ*, versu ultimo.

2. *Alme parens*] De significatione et Etymologiâ vocis *almus* vide Psal. xii. 1. *Alma.*

3. *Barbaries —— et violenta Tyrannis*] *Barbaries* et *Tyrannis* hîc personaliter accipiuntur pro *hominibus tyrannicis* et *barbaris. Barbaries* a *barbarus*, quod derivant nonnulli ex Chaldaico *Bar*, quod *extra*, *foras* significat; vel ab Arabicâ voce *Bar*, quæ *Desertum* significat. *Barbari* vero antiquitus dicebantur omnes populi, exceptis Græcis.

Tyrannis] Significat sævum ac violentum imperium, a *Tyranno*, de qua voce vide Psal. vii. 2. *Impune* tyranni.

6. *Thura*] De hac voce vide Not. in Psal. xxvi. 6. Thura *dabo.*

Prosternar ad aras] Consule de hujus ritûs significatione Not. in Psal. v. 7. *Illustres* sternar *et ante pedes.*

7. Nam-

7. Namque, tuo ductu, venti securus et undæ,
Sacrilegi vidi naufraga vela gregis.

ANNOTATIONES.

7. *Venti securus*] Vide Notam in Psal. xxxii 6. Secura *ruinæ*.

Gregis] De hac voce vide Not. in Psal. i. 1. *Grege*.

LV.

DUM precor, exaudi, rerum Pater optime! questus
Dum gemino, vultûs ne jubar abde tui.
2. Supplicis ausculta precibus, votisque benignus
Annue; dum querulis astra fatigo modis.
3. Ah! fremit, ah! odiis fera gens me vexat et iris;
Prô dolor! et famam dente proterva petit.
4. Cor micat; et piceis Mors dum circumvolat alis,
Horrifico nimiùm concutit ossa metu.
6. Obrutus his, dixi, misero trepidoque columbæ
O mihi quis pennas remigiumque dabit?
7. His ego libratis fugerem procul, otia quærens
Saltibus in mediis, sepositisque jugis.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *didacticus*, constans ex duabus partibus; prior est forma *Orationis*, usque ad versum decimum quintum; posterior *Doctrina prophetica*, ad finem usque.

2. *Benignus*] Est hîc adjectivum adverbialiter sumptum, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

Astra fatigo] Audax hæc Poetica Figura quæ sensum et perceptionem etiam rebus inanimatis attribuit. Hîc Poeta inducit Stellas mœstum animi statum spectantes, et tristes querimonias audiendo defatigatas. Ita ipse Virgilius:

— *Quin aspera Juno*
Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigant,
Æn. i. 283.
Olli remigio noctemque diemque fatigant, Æn. viii. 94.

4. *Cor micat*] *Micare* propriè est subinde, et per intervalla, ut *micæ* faciunt, resplendere; inde dicitur de motu quovis celeri flammas imitante.

6. *Remigiumque dabit*] *Remigium* est ipsa remorum agitatio et remigatio, unde ad aves transfertur, quoniam alis veluti remis quibusdam ad diffindendam aerem utuntur. Ita Virgilius:

— *Volat ille per aera magnum*
Remigio *alarum*, Æn. i. 300.

8. Ocyùs hinc celerans, tumidis, quibus obruor infons,
Fluctibus eriperer, nimbiferisque Notis.
9. Perde, Deus! lita labra dolis, et divide linguas,
Ne possint sociis consona verba loqui:
Litibus, heu! sacram lacerari vidimus urbem;
Junctaque litigiis vis truculenta fuit.
10. Pallida seu nox est, seu lux micat aurea, muros
Occupat, et mediâ regnat in urbe nefas.
11. Incolit hanc Rabies, et Vis, et dira Libido;
Cernis et infandis compita plena dolis.
12. Non mihi vel linguis hostes nocuêre vel armis;
Proba pati poteram, tela cavere fugâ.
13. Tu mihi causa mali es, nimiùm dilecte sodalis!
Duxque viæ, vitæ deliciumque meæ!
14. Usus eram, memini, te consultore; mihique
Templa Dei tecum visere dulce fuit.
15. Mors domet hunc, vivumque foret telluris hiatus,
Impia cui mens est et scelerata manus.

16. Ast

ANNOTATIONES.

8. *Fluctibus*] De Metaphoricâ significatione vocis *fluctus* vide Not. in Psal. ix. 13. *Adspice fluctus.*

Nimbiferisque Notis] *Notus*, sive Auster, est ventus a meridie flans, magnos humores colligens, ut supra dictum. Unde appellatur *humidus*, *nimbosus*, sive *nimbifer*; ut apud Virgilium:

—— *Quid cogitet* humidus Auster, Georg. i. 462.

10. *Pallida seu nox est, seu lux micat aurea*] Est elegans hic *Periphrasis* et *Amplificatio*, pro omnibus horis: ut Psal. i. 2.

Seu nox est, *roseo* seu micat axe *dies*.

Lux micat aurea] *Aurea*, id est *pulchra*, *splendida*, ut supra adnotavimus ad Psal. vii. 7. *Aureus*. De voce *micare* vide versum quartum hujus Psalmi.

11. *Rabies, Vis, Libido*] Hîc personaliter sumuntur more Poetico.

Compita plena dolis] *Compita*, id est, quadrivia, quæ *compita* appellantur, ab eo quod multæ viæ in unam *competant*, id est *confluant*.

12. *Tela*] Vide Not in Psal. iii. 6. *Tela*.

13. *Nimium dilecte*] Id est admodum vel summopere *dilecte*; ut vox *nimium* sæpius usurpatur. Vide Psal. ii. 12. *Felicem* nimium.

14. *Te consultore*] *Consultor* a verbo *Consulo*, is dicitur qui consilium capit, ut apud Ciceronem: *Vigilas tu de nocte, ut* consultoribus *tuis respondeas*, De Muræna, xxii. *Consultor* etiam ille dicitur, qui dat consilium

teste

16. Aſt ego thure Deo, ſupplex, votiſque litabo;
Meque ſalutiferâ proteget ille manu.
17. Audiet ille preces quas fundam, lucida cœli
Limina, vel medias ſole tenente vias.
18. Mille triumphantes acies mihi miſit ab alto;
Inter et ipſa dedit ſpicula pace frui.
19. Me Deus, æternis orbem qui frænat habenis,
Audiet; et pœnas hoſtica turba luet:
Dum luces ſine nube fluunt, et mollia veris
Tempora, deponit Numinis illa metum.
20. Aurea tranquillæ violavit vincula pacis:
Fœderis et rupti menſque manuſque rea eſt.
21. Balſama vox ſpirans, ſuperabat acumine ferrum;
Verbaque fundebat lactea pectus atrox.
22. Tu Domino te crede: pios ſufflaminat ille;
Et, ne vacillent, dirigit ille pedes.

16. Ante

ANNOTATIONES.

teſte Salluſtio: *Simul ab eo petiit, ut fautor* conſultorque *ei adſit*, De Bell. Jugur.

16. *Thure*] De hac voce vide Not. in Pſal. xxvi. 6. Thura *dabo*.

Deo—litabo] De propriâ ſignificatione vocis *litare* vide Pſal. xvi. 4. *Litet*.

17. *Lucida cœli limina*, etc.] Eſt *Periphraſis* pro tempore matutino et meridiano.

20. *Menſque manuſque*] Hîc copula *que* geminatur et redundat, per Figuram quam *Polyſyndeton* vocant; ut Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem*.

21. *Balſama vox ſpirans*] *Balſamum* arbuſcula eſt odoratiſſima, in Judæa ſolum naſcens; de qua vide Plin. *Lib.* xii. *c.* xxv. componitur ex *Baal* et *Schemen*, quaſi Dominus olei, ſive aromatum; propriè quidem de arbore, ſed ſæpius etiam, ut hîc, de ſucco arboris dicitur. I'. j ſtinus: *Arbores cpobalſ(.ni certo anni tempore* balſamum *ſudant*, Lib. xxxvi. *c.* iii.

22. *Pios ſufflaminat ille*] *Sufflamen* eſt retinaculum rotæ decurrentis, ne velocius decurrat; eſt enim machinæ genus, quo, in deſcenſu vel procurſu nimio, rota ſolet retineri. Inde verbum *ſufflamino*, quod propriè ſignificat, *ſufflamine* comprimere et retinere; et eleganter hîc dicitur de providentiâ divinâ quæ pios ſublevat et ſuffulcit.

Et ne vacillent] Licet obſervare Poetam hîc loci, et in Pſalmo decimo ſeptimo, verſiculo quinto, *ne pede vacillem*, ſyllabam *va* producere, quam tamen in aliis ubique locis corripuit: in ea verò *producenda* nequit in dubium vocari quin amplâ ſatis auctoritate fuerit ſuffultus, aliter enim in promptu

 ptu

23. Ante diem sed fraudis amans cædisque peribit,
Et petit infernas mœstus uterque domos:
Ast ego te fidam, Deus, autor et arbiter æqui!
Anchora tu vitæ, spesque salutis eris.

Annotationes.

tu habuit pedibus *titubare* loco *vacillare*; quâ etiam dictione in specimine suo usus est noster: itaque si magis placeat, licitum est in hoc Psalmo legere,

Ne titubent, dubios dirigit ille pedes,

Et in altero,

Ne pedibus titubem, Tu, Deus! usque præi.

Nihil dico de Psal. xxxvii. 31. *Hæc* error est Typographi: Scripsit certe Noster, (ut ipsa auris admonet)

Illa *vacillantes sustinet una pedes.*

23. *Ante diem—peribit*] *Perire ante diem* dicuntur, qui non præfixo juxta communem naturæ ordinem tempore; sed violentâ, aut fortuitâ, aut immaturâ morte intereunt. Ita Virgilius de Didone:

—Meritâ nec morte peribat;
Sed misera ante diem,
Æn. iv. 696.

Anchora] Vide Psal. xxxix. 7. *Anchora.*

LVI.

Me, Deus! adspecta facilis, quem viribus hostis
Obruit, et miserum nocte dieque premit.
2. Nocte dieque premit miserum; nec terminus iræ est;
Nec claudi numero gens inimica potest.
3. Corda metu quoties trepidabunt, porta salutis
Tu, Deus! et vitæ spes mihi solus eris.
4. Vox tua laudanda est; te nitor vindice: temnam
Te duce, mortali spicula missa manu.

Annotationes.

Hic Psalmus est partim *optativus*, partim *laudativus*, et propterea duabus partibus constans; *Precatione* scilicet, et *Laudatione*, ordine amœbæo constructis; et *Conclusione*, versu ultimo.

1. *Facilis*] Hîc adverbialiter sumitur pro *facilè*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

2. *Nocte dieque*] Est elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ vid. Not. in Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, Sceptra.*

3. *Corda*] Est pluralis numerus pro singulari.

5. Quæ

5. Quæ loquor infelix, interpres adulterat effrons;
Dum coquit hostiles mens scelerata dolos.
6. Clam coit, insidias meditans, et, noctis in umbrâ;
Observat gressus impia turba meos.
7. Fraude suâ fidens tutam se somniat: iræ,
Hanc, Deus! incusso fulmine, dede neci.
8. Tu tabulis gemitus, lachrymas tu colligis urnâ;
Et numeras nostræ tædia longa fugæ.
9. Terga dabunt hostes, quoties te posco salutem:
Nota loquor, famulo tu quia dexter ades.
10. Vox tua laudanda est; te nitor vindice: temnam,
Te duce, mortali spicula missa manu.
12. Sum tibi, dum spiro, devinctus perpete voto;
Teque piis hymnis et tua facta canam.
13. Vindice te, vivo; mihi tu vestigia firmas;
Quâque feror, vitæ lux tua monstrat iter.

ANNOTATIONES.

5. *Interpres adulterat effrons*] *Adultero*, verbum a nomine *Adulter* derivatum, significat adulterio stuprare. Hinc, per *Metaphoram*, pro arte aliquâ quidpiam pro vero assimulare, atque ita rem sinceram corrumpere. Ut apud Ciceronem: Adulterare *tabulas*, Pro Roscio. Et de Amic. xciv. *Quum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri atque* adulterat) *tum amicitiæ repugnat maxime.*

Effrons, quasi sine *fronte*, id est, modestiâ; nam templum Pudoris est *frons*: Unde pro ipso pudore ponitur apud Persium:

Navem si poscat sibi peronatus arator,
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perîsse
Frontem *de rebus*,
Sat. v. 102.

9. *Dexter ades*] *Dexter* propitius, cui opponitur *lævus*, adversus. De utriusque vocis usu et ratione vide Not. in Psal. xvi. 4. *Nomina læva.*

10. *Vindice*] Vide Not. in Psal. xxv. 20. *Te vindice.*

LVII. DA

LVII.

DA mihi te facilem; famuli miserere precantis:
Tu, Deus! es vitæ ſpes ſine fine meæ:
Auſpiciis me credo tuis, et fortibus alis;
His tegar, undoſi dum cadat ira maris.
2. Vota tibi fundam ſupplex, qui fœdera ſervas;
Cujus et inceptum dextra coronat opus.
3. Ocyùs accurrens, tu, ne vorer, obvius hoſti
Ibis: erunt comites Candor et alma Salus.
4. Cædibus aſſueti, cingunt mihi tecta Leones;
Turbaque ferales quæ vomit ore faces:
Lingua refert gladium, telum penetrabile dentes;
Nec magis his jaculum, nec magis haſta ferit.
5. Quâ, Deus! effulges, effer ſuper æthera lucem;
Terraque ſit radiis tota coruſca tuis.
6. Hoſtis iter ſtravit laqueis; me perculit horror:
Objecit foveas, captus at ipſe dolo eſt.
7. Obſequioſa mihi mens eſt, tibi firmiter hæret:
Te mea vox Dominum, te mea plectra canent.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt, ut ita dicam, *deprecatorius* mortis et perditionis. Sunt autem ejus partes in univerſum duæ, *Petitio*, verſu primo; et *Petitionis Argumenta*, ad finem Pſalmi.

1. *Tuis Auſpiciis*] De voce *auſpicia* vide Pſal. xxxvii. 6. *Illius auſpiciis.*

2. *Fundam ſupplex*] *Supplex* hîc ponitur adverbialiter pro ſuppliciter; ut in Pſal. ii. 12. *Securus.*

3. *Candor et Salus*] Hîc perſonaliter ſumuntur more poetico. De Etymologiâ vocis *Candor* vide Not. in Pſal. iv. 1. *Candida.*

4. *Telum penetrabile*] *Penetrabile* paſſivè vulgò ſignificat, quod facilè penetrari poteſt; hîc vero activè, pro eo quod vim habet *penetrandi.* Quo modo hac voce etiam uſus eſt Virgilius:

—Penetrabile *frigus adurat,*
Geor. i. 93.
Aſpice, num mage ſit noſtrum
penetrabile *telum,*
Æn. x. 481.

7. *Mea plectra canent*] De voce *plectro* vide Pſal. xlix. 4. Ponitur hîc per *Synecdochen,* pro citharâ, eſtque pluralis numerus pro ſingulari.

8. Excute

8. Excute ſegnitiem, numeris cane, lingua! decoris:
Pſallite vocali nablia juncta lyræ!
9. Mane novo, ſuper aſtra, Deus! te carmine tollam;
Et tua per populos grandia facta feram.
10. Magne Parens! æquat tua te clementia cœlo;
Tranſvolat et nubes intemerata fides.
11. Quâ, Deus! effulges, effer ſuper æthera lucem;
Terraque ſit radiis tota coruſca tuis.

ANNOTATIONES.

8. *Numeris*] De hac ſignificatione vocis *numerus*, vide Pſal. v. 11. *Numeris*.

Nablia] De *Nablio* vide Not. in Pſal. xxxiii. 2. *Nablia*.

Lyræ] *Lyra* inſtrumentum muſicum, *ἀπὸ τοῦ λύρειν, canere*. Vulgo conſtabat viginti quatuor chordis, et per digitos variis vocibus, tinnuliſque ictibus in diverſis modis concitabatur: Conſtat autem multiplices fuiſſe diſtinctaſque *lyrarum* ſpecies.

LVIII.

PURPUREI proceres! jus qui libratis et æquum
Voſne putem fari juſta, vel æqua ſequi?
2. Quiſque neces animo verſat, bellumque minatur
Sævus; et innocuo terra cruore rubet.
3. Quiſque dolos ſecum maternâ traxit ab alvo,
A teneris omnes devius error agit.
4. Virus ineſt colubri, magicis qui cantibus aures
Subtrahit, et vinci callidus arte nequit.

6. His

ANNOTATIONES.

In hoc Pſalmo *David* deprecatur periculum quod ſibi a *Saule* impendere videbatur. Ejus partes ſunt tres; prima eſt *Reprehenſio* adverſariorum, ad verſum ſeptimum; ſecunda, *Imprecatio* contra illos, ad verſum decimum: et *Concluſio*, duobus ultimis verſibus.

2. *Sævus*] Hîc ponitur adverbialiter, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

3. *A teneris*] Subauditur *annis*. Ita Virgilius:

—*Adeo in teneris conſueſcere multum eſt*, Georg. ii. 272.

4. *Virus ineſt colubri*] *Coluber* eſt ſerpens in aqua vivens, ſecundum *Plin.* xxxii. 5. Vel potius anguis latitans in umbra ſylvarum, ut exiſtimant alii: Quibus favet illud Virgilii:

Qualis ubi in lucem Coluber *mala gramina paſtus*,
Æn. ii. 471.

Aut

6. His malas, denteſque, Deus! confringe; leonum
Contere ſanguineis ora cruenta lupis.
7. More fluant fugientis aquæ; ſit inutilis illis
Arcus; et ultrici ſpicula frange manu.
8. Limacum vel more liqua, fœtûſque tenelli,
Lumina cui ſolis mors rapit ante diem.
9. Diſſipet hos turbo, flammas dum concipis, ante
Fervere ſubjectis quàm queat olla rubis.
10. Geſtiet, hæc ſpectans, vir juſtus; et, hoſte perempto,
Sanguineo niveos abluet amne pedes.
11. Utilis eſt pietas, tum dicet conſcia tellus;
Eſt quoque, qui toto regnat in orbe, Deus.

ANNOTATIONES.

Aut tecto aſſuetus Coluber *ſuccedere et umbræ,*
Georg. iii. 418.

Magicis qui cantibus] De arte captandi ſerpentes per magicas incantationes vid. Philoſtratum in *vita Apollonii*, lib. iii. c. 2.

Aures ſubtrahit] Tradunt Phyſici nonnulli hoc genus ſerpentum, cum ſit alterâ aure ſurdum naturâ, alteram ſuâ arte claudere, quo ſe obfirmet contra vim incantationum.

6. *His malas confringe*] Pro *horum malas confringe*, dativo ſcilicet uſus, more poetico, pro genitivo.

8. *Ante diem*] De hac locutione vide Not. in Pſal. lv. 23.

9. *Fervere ſubjectis*, etc.] *Fervere* hîc eſt penultimâ brevi, ut ſemper ſe habet apud Virgilium:
Omnia tunc pariter vento nimbiſque videbis
Fervere—Georg. i. 456. Vid. Æn. iv. 409, 567.

LIX.

ERIPE me telis; populum, Pater alme! rebellem
Protere, cui mens eſt prava, cruenta manus.
3. En! petor inſidiis inſons, en! agmine facto,
Turba potens in me nocte dieque ruit.

ANNOTATIONES.

In hoc cantico *David* deprecatur imminens ſibi a *Saule* malum: conſtat autem Pſalmus ex tribus partibus; *Propoſitione*, verſu primo et ſecundo; *Narratione*, ad verſum decimum ſextum; et *Concluſione eucharistica*, duobus ultimis verſiculis.

1. *Telis*] Vide de hujus vocis Etymologiâ Not. in Pſal. iii. 6. *Tela*.

4. Undi-

4. Undique conſpirans in me, nil tale merentem,
Vim parat; hæc ſpectans, fer, Pater orbis! opem.
5. Ocyùs evigila, belli paciſque ſequeſter!
Quo domus Iſacidûm vindice ſoſpes erat:
Quos regis adſpecta populos; nec parce profanis,
Per ſcelus audaci qui pede jura premunt.
6. Diſcurrunt, cinguntque feris ululatibus urbem,
More canum, ſolis lux ubi merſa latet.
7. Enſis ineſt labiis; comes eſt jactantia linguæ:
Seque putant, nullo teſte, nefanda loqui.
8. His, Deus! illudes; et, qui mihi ſæva minatur,
Materies riſûs devius orbis erit.
9. Viribus hoſtis ovat, ſed te ſequar, optime rerum!
Ne peream, vindex tu mihi ſemper ades.
10. Me tua prævertet levibus clementia pennis;
Dulcibus et votis, hoſte cadente, fruar.
11. Ne tamen hoſtiles acies ſimul obrue, nacti
Otia dediſcant ne tua facta pii:
Sparge ſed obſtantes, et ſparſas demete ſenſim;
Soſpite me, clypei quem tegit umbo tui.
12. Has meruit Faſtus ſimul, et Perjuria pœnas,
Linguaque felle tumens, et lita Labra dolis.

ANNOTATIONES.

5. *Vindice*] Conſule Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

6. *Feris ululatibus*] De propriâ et ſtrictâ ſignificatione hujus vocis *ululatibus*, vide Not. ad Pſal. xxii. 1. *Ululatibus.*

Solis lux, etc.] Eſt hæc *Periphraſis* pro nocturno tempore.

8. *Devius orbis*] Id eſt, *Pagani*, quos *devius* error ſeducit a recto tramite; a via ſcilicet virtutis et veritatis.

9. *Hoſtis ovat*] De voce *ovare* vide Not. in Pſal. xxxv. 25. *Ovans.*

Vindex] Vide Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

11. *Tegit umbo*] De voce *umbo*, vide quæ annotavimus in Pſal. iii. 3. *Umbo.*

12. *Faſtus—Perjuria—Lingua—Labra*] Hæc omnia more poetico perſonaliter ſumuntur. Ut de aliis ſæpius dictum.

Felle tumens] De propriâ et Metaphoricâ ſignificatione vocis *Felle*, vide Not. in Pſal. xv. 3. *Felle caret.*

13. Hos furor extinguat tuus, ut tibi ſubdita diſcant
Sceptra Palæſtinæ, quotquot et orbis habet.
14. Diſcurrant, cingantque feris ululatibus urbem,
More canum, ſolis lux ubi merſa latet.
15. Diſcurrant, quærantque dapes; cogantur at atram,
Dum redeat terris lux nova, ferre famem.
16. Tu mihi mane novo, Deus! et cantabere fortis,
Et bonus; afflicto tu quia lenis ades.
17. Tu mihi carmen eris, mea vis et ahenea turris!
Es mea tu rupes, unus et autor opis.

ANNOTATIONES.

13. *Palæſtinæ*] De *Palæſtina* vide Not. in Pſal. xlviii. 11. *Palæſtinæ.*
14. *Ululatibus*] Conſule de hac voce quæ jam dicta ſunt ad Pſal. xxii. 1. *Ululatibus.*

15. *Atram famem*] Vide Not. in Pſal. xxxvii. 19. *Atra fames.*
16. *Lenis ades*] Eſt adjectivum per *Enallagen* adverbialiter ſumptum, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

LX.

EN, Deus! extorres peregrinæ gentis in oris
Spargimur: hæc iræ ſunt documenta tuæ.
2. Redde jubar ſolitum: Tellus tremit ima dehiſcens;
Tu quaſſam repara; ſtringe quod intus hiat.
3. Turbârunt miſeras a te data pocula mentes:
Senſimus et nimio pondere colla premi.
4. Nunc, fidei pactique memor, vexilla piorum
Erigis; et populi ſignifer ipſe tui es.
5. Tu tibi dilectum, ſuperis de ſedibus, audi;
Dumque vibrant hoſtes ſpicula, tende manum:
6. Vox hilarat me ſacra Dei; quo vate, Sucothi
Metiar, et Sichemæ partiar urbis agros.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *optativus*, ex tribus partibus conſtans: *Expoſtulatione*, a verſu primo ad quintum; *Petitione*, a verſu quinto ad decimum ſecundum; et *Concluſione*, verſu ultimo.

3. *Turbarunt*] Dixit per *Syncopen* pro *turbaverunt.*
6. *Sucothi*] *Sucothus* urbs ſita inter rivulum Jabocum et flumen Jordanem; a Jacobo Patriarcha olim condita, nomen habet a *tuguriis*

7. Cùm Giliadæis subdam mihi rura Manassæ,
Juda dabit leges, gens Ephraïma viros.
8. Juncta Moabæis populis, juga dives Idume
Induet, imperiis obsequiosa meis:
Quæque Palæstinæ pingues gens incolit oras,
Victa gravi bello nostra tropæa canet.
9. Quo duce munitæ succedam mœnibus urbis?
Gentis Idumææ quo duce regna petam?
10. Qui, priùs exosas, acies educere bello
Jure recusâsti, tu, Deus! arma reges.

ANNOTATIONES.

tuguriis quæ ibi extruxerat ille, post celebre illud colloquium quod habuit cum fratre Esao; nam *Sucoth* Hebraice significat *Tuguria*, ut videre est Gen. xxxiii. 17.

Sichemæ] *Sichema* urbs non procul a Samaria, satis celebris ex confabulatione quam Christus ibi habuit cum fœminâ Samaritanâ. Per *Sichemam* et *Sucothum* hîc intelligi videtur totum regnum Samaritanum.

7. *Cum Giliadæis*] Giliadæi incolebant regionem circa *Gilead* montem in terrâ Palæstinâ, et urbem a Jacobo conditam, quam nominavit *Gilead*, id est *Cumulum*; ibi enim extruxerat cumulum lapidum ut esset monumentum fœderis icti cum Labane, de quo legitur Gen. cap. xxxi. Totum Basanis regnum sub hoc nomine videtur hîc loci comprehendi.

Rura Manassæ] *Manassa*, *Juda* et *Ephraima* sunt nomina tribuum satis nota, a capite familiæ quæque deducta.

8. *Juncta Moabæis*] *Moabæi* erant posteri Moabi quem Lotus genuit ex sua filia majore natu: horum erat regio nomine *Moabitis*, quæ occidente claudebatur montibus et flumine Jordane; a septentrione, Ammonæorum finibus; a meridie rivulo *Zered*, qui in Mare Mortuum influit; et ab oriente, Arabiæ desertis.

Dives Idume] *Idume* terra opulenta ab Edomo sive Esaö dicta; quæ a septentrione pertinebat ad fines Chananæorum et lacum Asphaltitem; a septentrione, ad regionem Midianitarum; a meridie vergebat ad finum Arabicum, et ab occidente, ad fines Amalecenses.

Juga] Vid. Not. in Psal. xlvii. 3. *Juga.*

Nostra tropæa] De *Tropæis*, vide Not. in Psal. xx. 5. *Læta tropæa.*

9. *Gentis Idumææ*] Vide Not. in versiculum octavum, *Dives Idume.*

Regna petam] *Regna* hîc ponitur in plurali numero pro singulari, ut Psal. ii. 6. *Sceptra.*

10. *Recusâsti*] Per *Syncopen* dicitur pro *recusavisti.*

11. Fer bonus auxilium, nos dum ferus obsidet hostis:
Te, Deus! excluso, nemo ministret opem.
12. Numinis auspiciis pugnabitur: hostica pubes
Concidet, et pedibus colla premenda dabit.

ANNOTATIONES.

12. *Auspiciis*] De hac voce vide Not. in Psal. xxxvii. 6. *Auspiciis*.

LXI.

ÆTHERIS aurati Rector! mea suscipe vota;
Et placidus pronâ quæ loquar aure trahe.
2. Orbis ab extremo te poscam limite; pectus
Dum miser, ah! curis sentio mille premi:
Tende manum fesso; securam scandere rupem
Da mihi, semotam quam nimis esse queror.
3. Tu mihi portus eras, fureret cùm fluctibus æquor,
Inter et hostiles turris ahena minas.
4. Æternùm loca sancta colam, te fretus; et alis,
Rebus in angustis, protegar usque tuis.
5. Audîsti miseri gemitus et vota; piisque
Debitus hæredis jam mihi cessit honos.
6. Aurea tu regi produces tempora vitæ;
Multaque pro paucis vivere sêcla dabis.
7. Hic tua templa colet, dum vescitur æthere: custos
Hinc tua sit Bonitas, cingat et inde Fides.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *votivus*, ex tribus partibus constans; *Petitione singulari*, ad versum quintum; *Petitione publica*, ad versum octavum; et *Conclusione votiva*, versu ultimo.

1. *Placidus trahe*] *Placidus* hîc adverbialiter sumitur pro *placidè*: ut Psal. ii. 12. *Securus*.

3. *Æquor*] De hujus vocis Etymologiâ et propriâ significatione, vide Not. in Psal. xviii. 22. *Æquoris*.

5. *Audîsti*] Per *Syncopen* dicitur, pro *audivisti*.

6. *Aurea tempora*] Id est, *felicissima*, nam res sui generis optimæ, et maxime desiderabiles vocantur *aureæ*; quia aurum inter homines plurimi æstimatur et summis votis appetitur. Inde *aurea ætas* significat *seculum felicissimum*.

Sêcla] Hîc dicitur per *Syncopen* pro *secula*: vide de hac voce Not. in Psal. xlv. 6. *Sêclo*.

7. *Vescitur æthere*] De hac dictione

8. Ergò tuas referam laudes, et debita ſolvam
Vota, mihi donec ſpiritus oſſa reget.

ANNOTATIONES.

dictione vide Not. in Pſalm. xvi. 3. *Veſcitur aura.*

LXII.

MENTE Deum tacitâ veneror; ſpes omnis in illo eſt:
Ille ſalutiferam fert mihi promptus opem.
2. Arx Deus eſt, clypeuſque mihi, portuſque ſalutis
Unicus: incutient nulla perîcla metum.
3. Ecquis erit tandem ſcelerum modus? Ecqua malorum
Meta, quibus nimiùm nocte dieque premor?
Mox ruet in præceps meus hoſtis, ut ariete pulſa
Mœnia, vel putri ſaxa ſoluta ſitu.
4. Deturbare gradu me dum parat æmulus, aſtu
Rem gerit, et fraudes nectere dulce putat:
Calli-

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *didacticus*, ex quatuor partibus conſtans: *Exordio*, verſiculo primo et ſecundo; *Reprehenſione*, verſu tertio et quarto; *Doctrina*, a verſu quinto ad decimum primum; et *doctrinæ confirmatione*, duobus ultimis verſiculis.

1. *Fert promptus*] *Promptus* hîc adverbialiter ponitur pro *promptè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

2. *Perîcla*] Hîc ponitur per *Syncopen*, pro *pericula*.

3. *Malorum meta*] De ſignificatione et Etymologiâ vocis *meta* vide Not. in Pſal. xliv. 15. *Meta.*

Ut ariete pulſa] *Aries* bellica machina, de qua ſic Veget. lib. iv. c. xiv. *Materia ac tabulatis teſtudo contexitur: quæ ne exuratur incendio, corio vel ciliciis centonibuſque veſtitur. Hæc intrinſecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro quod falx vocatur, ab eo quod incurvata eſt, ut de muro lapides extrabat. Aut certe ipſius caput ferro veſtitur, et* aries *appellatur: vel quòd habet duriſſimam frontem qua ſubruat muros: vel quòd more arietum retro cedit, ut cum impetu vehementiùs feriat. Hæc machina prius dicebatur Equus.* Plin. lib. vii. c. lvi.

Mœnia] De diſcrimine inter *Muros* et *Mœnia* vid. Not. in Pſal. ix. 6. *Mœnia.*

4. *Deturbare gradu*] Id eſt, de conſtantiâ et animi magnitudine dejicere: dictio ſatis elegans et optimis auctoribus familiaris. *Fortis verò animi et conſtantis eſt, non peturbari in rebus*

Callidus incauto blanditur; et ore precatur
Prospera, dum diras pectore mille tegit.
5. Tu tamen has inter Dominum, mens! suspice turbas:
Spes ope cœlesti sustinet ille meas.
6. Arx Deus est, clypeusque mihi, portusque salutis
Unicus: incutient nulla perîcla metum.
7. Ille meæ rupes, et fons, et gloria vitæ est;
Illius arbitrio res ego credo meas.
8. Fidite, mortales! Domino, mentisque recessus
Pandite: spe mentes erigit ille pias.
9. Futile deprêndes, nimiúmque volatile vulgus;
Estque paludati purpura vana chori:
Lancibus impositos trutina ventosque virosque;
Gens hominum certè plus levitatis habet.
10. Nec populi spoliis, rebus nec fide caducis;
Nec jacta nimias ambitiosus opes.
11. Non semel est rerum Dominus, me teste, professus,
Cuncta suo nutu consilioque regi.
12. Hunc penes est bonitas; hoc jus dicente viritim,
Digna suis meritis præmia quisque refert.

ANNOTATIONES.

rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, *ut dicitur, sed præsenti animo uti et consilio.* Cic. de Off. lib. i. c. 80.

7. *Et fons, et gloria*] Copula *et* hîc geminatur per Figuram quam vocant *Polysyndeton,* de qua vide Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum, etc.*

9. *Deprêndes*] Per *Syncopen* dicitur, pro *deprehendes.*

Nimiumque] De hoc adverbio vid. Not. in Psal. ii. 12. *Nimium.*

Paludati] *Paludatus* propriè, qui vel imperatorium chlamydem, vel alia ejusmodi ornamenta militaria gestat; sic dictus a *paludamento* insigni ac ornamento militari, præcipuè tamen Imperatorum.

Chori] Vide de hac voce, Not. in Psal. xviii. 10. *Chori.*

10. *Jacta*] De hoc verbo vid. Not. in Psal. x. 3. *Jactat.*

Ambitiosus] Hîc dicitur adverbialiter pro *ambitiosè.*

LXIII.

TU mihi, rerum Opifex! Deus es; te in vota vocabo,
Sol ubi purpureo reddit ab axe diem:
Te ſitio; te membra fame tabentia poſcunt,
Hîc ubi nec ſeges eſt, unda nec apta ſiti.
2. Inter teſqua, tuas mens optat cernere vires,
Liminis et ſancti luce priore frui.
3. Dulcior hic vitâ favor eſt tuus: Ergò rotundo,
Montibus in mediis, te, Deus! ore canam.
4. Ad tua devotas attollens atria palmas,
Te recolam, terræ dum vagus hoſpes ero.
5. Hîc ego, te ſpectans, epulis ſaturabor opimis;
Geſtiet hîc laudes tollere lingua tuas.
6. Tu mihi carmen eris, furvâ ſeu noctis in umbrâ
Excubo, tranquillâ ſive quiete fruor.
7. Me quia juviſti pridem, Pater alme! ſub alis
Blanda tuis poſthac otia lætus agam.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *mixti* generis, *votivus* ſcilicet et *didacticus*, conſtans ex tribus partibus; *Petitione*, ad verſum ſextum; *Narratione*, inde ad verſum nonum; et *Vaticinio*, ad finem uſque.

1. *In vota vocabo*] Ita Virgilius:

Fudiſſetque preces, Divoſque in vota vocâſſet, Æn. v. 234.

Purpureo axe] De poetico uſu vocis *purpureo* vid. Not. in Pſal. xix. 4. *Purpureum jubar.*

De *axe* vide Pſal. i. 2.

Seu nox eſt, roſeo ſeu micat axe *dies.*

Unda nec apta ſiti] Id eſt, *unda*, ſive aqua apta ad ſitim extinguendam.

2. *Teſqua*] De voce *Teſqua* vid. Pſal. xxix. 8. *Teſquaque.*

Liminis] *Limen* propriè ſignificat tranſverſum in janua lignum; inferius vel ſuperius, ut ſupra dictum ad Pſal. xliii. 3. Hîc verò ponitur per *Synecdochen* pro ipſo templo.

3. *Rotundo ore*] Id eſt, *pleno ore*, quia os aperit ſe in figuram rotundam. Hac locutione alio ſenſu uſus eſt Horatius:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui——i. e. politè, eleganter, et compoſitè, *Art. Poet.* 323.

7. *Alme*] Vid. Not. in Pſal. xii. 1. *Alma.*

Lætus agam] *Lætus* hîc ponitur adverbialiter, per *Enallagen*, pro *lætè*, ut in Pſal. ii. 12. *Securus.*

8. Te quoque ponè ſequar; mens te mea deperit unum;
Me tua nam validâ dextera fulcit ope.
9. At mihi quæ fraudem ſtruit, et metuenda minatur,
Hoſtica gens imâ ſorpta peribit humo.
10. Agminis infeſti vindex latus hauriet enſis;
Membraque diſcerpent ſanguinolenta feræ.
11. Geſtiet interea Domino rex fretus; et illum
Pectore ſincero quiſquis et ore colit:
Sed Deus his linguam compeſcet perpete fræno,
Quos certare dolis et dare verba juvat.

ANNOTATIONES.

10. *Latus hauriet enſis*] Exemplo præivit Virgilius:

—— *Huic gladio, perque ænea ſuta,*
Per tunicam ſqualentem auro, latus haurit *apertum*,
Æn. x. 314.

11. *His linguam compeſcet*] Eſt *Antiptoſis* dativi pro genitivo, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis.*

Dare verba] *Dare verba* eſt decipere, qui enim rem expectat, et nihil præter verba invenit, deceptus eſt. Exemplo præivit Cicero: *Vel* verba *mihi* dari *facilè patior in hoc, neque libenter præbeo credulum.* Att. xv, xvi.

LXIV.

ME, Deus! exaudi, precibus dum ſidera pulſo;
Tu mihi de trepido pectore pelle metum.
2. Dexter ades, ſeu clam conſpirat callidus hoſtis,
Impia ſeu demens explicat arma Furor.
3. Enſibus aſſimiles acuit gens effera linguas;
Et lita mordaci ſpicula felle vibrat.
4. Clam pia lethifero recludit pectora ferro;
Nec tamen ætherei vindicis arma timet.
5. Dum coëunt, certantque dolis, animantque ſodales
In ſcelus; his, aiunt, conſcius ecquis erit?

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt ejuſdem generis cum ſuperiore, conſtans *Petitione*, uſque ad verſum ſeptimum; et *Doctrinâ propheticâ*, inde ad finem Pſalmi.

2. *Dexter ades*] De ratione et uſu hujus vocis *Dexter* jam dictum ad Pſal. xvi. 4. *Nomina læva.*

6. Invenêre novas, excuſſo pectore, technas;
Fixa nec eſt tacitis meta modusve dolis:
7. Sed Deus his ſubito figet præcordia telo;
Claudet et extremum mors properata diem.
8. Ipſa bibet gens hæc ſua toxica: turba popelli,
Illius aſpectu territa, vertet iter.
9. Conſcia tum tellus cœleſtis fulmina dextræ
Efferet, ultorem diſcet et eſſe Deum.
10. Eriget his et ſe pia mens; et, Numine freta,
Geſtiet exſultim, lætitiâque fremet.

ANNOTATIONES.

6. *Excuſſo pectore*] *Excutere* inter alia ſignificat diligenter ſcrutari et inquirere, cùm enim rem abditam et multum deſideratam recuperare velimus, omnes ſinus et receſſus explicamus et *excutimus*.

Technas] De voce *Technas* vide ſupra Not. in Pſal. v. 10. *Technis*

Meta] Conſule Not. in Pſal. xliv. 15. *Meta*.

7. *His figet præcordia*] Eſt *Antiptoſis* dativi *his* pro genitivo *horum*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*.

Telo] Vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela*.

10. *Lætitiâque fremet*] Ad exemplum Poetarum Principis:
Lætitiâque fremunt, *animoſque ad ſidera tollunt*,
Æn. ix. 637.

LXV.

TE laudes, Pater alme! manent in rupe Sionis:
Huc tibi, quæ vovit, munera quiſque feret.
2. Confluet huc gemino populus de cardine mundi:
Tu quia de ſacro colle vocatus ades.
3. Me malè tranſactæ preſſerunt crimina vitæ:
Sed tuus hæc vitæ crimina tollet amor.
4. Felices nimiùm, rerum quos ſeligis Autor;
Quoſque ſequeſtratos ad tua ſacra vocas!

Sancta

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *laudativus*, ex tribus partibus conſtans, prima eſt *Laudatio a beneficiis Dei ſingularibus*, uſque ad verſiculum ſextum; ſecunda, a *communi rerum adminiſtratione*, uſque ad verſum nonum; tertia, *a divinâ Numinis in populum ſuum indulgentiâ*, ad finem uſque Pſalmi.

2. *Gemino ſub cardine mundi*] De hac locutione vide Not. in Pſal. xl. 3.

4. *Felices nimium*] De hoc adverbio

Sancta Sionæi gens hæc colet atria templi :
Mille voluptates adferet illa domus.
5. Autor opis, vitæque Parens! dum concipis iras,
Justitiæ promis tristia signa tuæ :
Numine te fidit, te suspicit ultima tellus ;
Quisquis et extremum trans mare tecta colit.
6. Tu valido munis et firmas robore montes :
Tu maris et populi murmura vasta premis.
8. Cùm tua de cœlo funduntur spicula, passim
Ultima terrarum quassa pavore tremunt :
Tu simul Hesperium recreas et littus Eoum,
Solis ubi supero fundis ab axe jubar.
9. Tu bonus arva rigas, et ditas flumine pleno ;
Surgit et imperio messis ubique tuo.
10. Tu, Deus! humectas valles; saturataque vernis
Imbribus, assiduo germine ridet humus.
11. Aureus annus erit, te fœcundante novales ;
Farraque sub pedibus fundet opimus ager.

12. It

ANNOTATIONES.

adverbio *nimium* vid. Not. in Psal. ii. 12. *Nimium.*

Sequestratos] Consule Not. in Psal. xxi. 12. *Sequestratam.*

5. *Dum concipis iras*] *Iras* hîc ponitur in plurali numero pro singulari, ut Psal. x. 13. *Iras.*

Suspicit] De hujus verbi Etymologiâ et propriâ significatione vid. Not. in Psal. ix. 1. *Suspicienda.*

6. *Tu valido munis —Tu maris et populi*] Notetur *Anaphora* vocis *Tu.*

Murmura vasta premis] Ita Virgilius :

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit —Æn. i. 58.

8. *Ultima terrarum*] Quo modo supra dixit, *opaca viarum*, Psal. x. 8.

Hesperium — et littus Eoum] De his Epithetis, *Hesperium* nempe et *Eoum*, jam dictum ad Psal. xix. 5, 6.

Axe] Axis hîc ponitur pro cœlo, ut Psal. xix. 4.

10. *Ridet humus*] *Ridere* dicitur quicquid hilaritate nobis adblanditur, ut Virg.

Omnia nunc rident ——
Ecl. vii. 55.
Angulus mihi ridet.
Hor. ii. carm. vi. 13.
Æquora Ponti tibi rident,
Lucret. lib. i. 8.

11. *Aureus annus*] Res sui generis optimæ et excellentissimæ dicuntur *aureæ*, quia *aurum* plurimi inter homines æstimatur. Inde Horatius :

— Aurea *fruges*
Italia pleno diffudit Copia cornu, 1 Epist. xii. 28.

Novales

12. It comes Ubertas, et pleno Copia cornu,
Arida quæ læto pascua rore beat.
13. Tu gregibus colles operis; in vallibus imis
Tu segetum culmos luxuriare jubes:
Te sata, te Domino lætantur mollia prata:
Laudibus hîc cernas omnia plena tuis.

ANNOTATIONES.

Novales] *Novalis, is*, f. vel *Novale, is*, n. est ager *novus* relictus sementi, vel qui alternis sive pluribus annis intermittitur. Teste Virgilio:

Alternis idem tonsas cessare novales, Georg. i. 71.
Impius hæc tam culta novalia *miles habebit?* Ecl. i. 71.

Farraque sub pedibus fundet opimus ager] Hîc ut alibi ad Virgilium respicere videtur:

Fundet *humo facilem victum justissima tellus*,
Geo. ii. 460.

12. *Pleno Copia cornu*] Hæc formula loquendi Latinis Scriptoribus est satis familiaris. Exemplo sit Horatius:

— *Hinc tibi* copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu,
1 Carm. Od. xvii. 14.

Alludit ad Copiæ vel Amaltheæ cornu fabulosum, de quo vide *Ovid. Met.* lib. ix. 85. et *Fast.* v. 3.

13. *Tu gregibus—tu segetum—te sata, te Domino*] Notetur hîc elegans *Anaphora*.

Laudibus hîc cernas omnia plena tuis] In hoc loco noster respexisse etiam videtur ad Virgilium:

Huc, Pater O Lenæe: Tuis hîc omnia plena
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager, spumat plenis *vindemia labris*,
Geor. ii. 5.

Ubi eandem cernis repetitionem vocis *plenus* quæ in hoc et præcedenti versu occurrit.

LXVI.

EIA age, læta Deum celebra, gens incola terræ!
Factaque supremi fer super astra Patris.
3. Dic, Deus, o quantis orbem terroribus imples!
Robore quàm valido colla proterva domas!

ANNOTATIONES.

Hic est Psalmus *laudativus* et *eucharisticus*, ex tribus partibus constans; *Propositione*, usque ad versum decimum tertium; *Confirmatione*, inde ad versum vicesimum; et *Conclusione*, versu ultimo.

Eia age] Vid. Not. in Psal. xxxi. 2. *Eia age*.

4. Te canat, et Domino ſupplex tibi ſerviat Eos,
Solis et occiduis ſubdita terra rotis.
5. Diſcite, mortales! ſuperi miracula Regis,
Tota quibus rerum machina teſtis erit.
6. Illius imperio refugi maris aruit unda,
Preſſaque ſunt hilari flumina ſicca pede.
7. Deſpicit hic terras, et mundi ſceptra gubernat;
Altaque ſidereo ſub pede colla premit.
8. Voce Deo clarâ, mortales! ſolvite grates:
Soſpitat ille animas, dirigit ille pedes.
10. Sorte, Pater! variâ, tua nos exercuit olim
Dextera; ſic aurum ſeptima flamma probat.
11. Pes hæſit laqueo; cinxerunt vincula lumbos;
Hoſtis et immiſſis tempora preſſit equis:
12. Nec vada, nec flammæ deerant: poſt mille perîcla,
Tu tamen optatâ das ſtatione frui.
13. Ergo tuis, magni Rex et Pater ætheris! aris,
Vota ſoluturus, debita dona feram.
14. Dona feram promiſſa priùs, ſors aſpera vitam
Dum quateret, miſeris obrueretque modis.
15. Agna tibi vitulúſque cadent, et corniger hircus;
Nec deerunt ſacris maſcula thura focis.
16. Huc ades, ætherei quiſquis colis atria Regis!
Accipe quàm rebus conſulat ille meis.

17. Hunc

Annotationes.

4. *Supplex tibi ſerviat*] *Supplex* hîc ponitur adverbialiter pro *ſuppliciter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

Eos] Vid. Not. in Pſal. xix. 5. *Eoo*.

11. *Tempora*] De hujus vocis Etymologia vid. Not. in Pſal. xlv. 7. *Tempora*.

12. *Nec vada*] Vide Not. in Pſal. xxvi. 9. *Vadis*.

Optatâ das ſtatione frui] Eſt *Metaphora* ſumpta a navi, quæ diu ventis et undis vexata, tandem in portum devehitur.

13. *Dona feram--dona feram*] Notetur hîc duplex *Anaphora*, de qua Figurâ, vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi: Sceptra*.

15. *Maſcula thura*] Ita Virgilius:

Verbenaſque adole pingues, et maſcula thura, Ecl. viii. 65.

Thus verò *maſculum* dicitur bonitate, non ſexu, nullum enim eſt fœmineum.

16. *Accipe*] *Dare* et *accipere* ſumuntur apud optimos autores, pro *dicere* et *audire*. Exemplo

ſit

17. Hunc ego compellans laudavi voce canorâ,
Impia qui mandat vota ferenda Notis.
19. Audiit ille preces, et verba carentia fuco;
Et captus voti ſimplicitate fuit.
20. Laudibus hunc omnes celebrent; favet ille precanti:
Nec tetricus famulo ferre recuſat opem.

ANNOTATIONES.

ſit Virgilius:

Sed tamen, ille Deus qui ſit, da, *Tityre, nobis,*
Ecl. i. 19.
Accipite hæc, *meritumque malis advertite Numen,*
Æn. iv. 611.

17. *Vota ferenda Notis*] De hac proverbiali formulâ loquendi vide Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulêre* Noti.

19. *Audiit*] Per *Syncopen* dicitur, pro *audivit.*

Fuco] De propriâ ſignificatione vocis *fucus,* vide Not. in Pſal. iv. 5. *Fuco.*

20. *Tetricus*] Hîc accipitur adverbialiter, per *Enallagen,* pro *tetricè.*

LXVII.

MITIS ades, cœptiſque fave; mentiſque tenebras,
Alme Parens! vultûs diſcute luce tui.
2. Nos tua ſecuros duc per veſtigia: tutum
Omnibus et populis pande ſalutis iter.
3. Te plebs, te proceres, ſexus te prædicet omnis;
Et puer impubes, invaliduſque ſenex.
4. Dicat Io populus: juſtus tu jura gubernas;
Paret et imperio terra fretumque tuo.

5. Te

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *votivus,* quo Pſaltes poſtulat adventum regni Dei: ſunt autem poſtulata tria; primum, *ut Deus benefaciat populo ſuo,* verſiculo primo; ſecundum, *ut iiſdem beneficiis alios populos proſequatur,* a verſu ſecundo ad quintum; tertium, *pro bonis externis, utque homines agnoſcant Deum omnium bonorum fontem, et autorem,* inde ad finem Pſalmi.

1. *Mitis ades*] *Mitis* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen,* ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

3. *Te plebs, te proceres, ſexus te prædicet*] Repetitio vocis *te* in hoc loco miram habet ſuavitatem et elegantiam: Felix eſt imitatio Virgilii:

Te *dulcis conjux,* te *ſolo in littore ſecum,*
Te *veniente die,* te *decedente canebat,* Georg. iv. 465.

Fretumque] De propriâ ſignificatione vocis *Fretum* vid. Not. in

N

5. Te plebs, te proceres, ſexus te prædicet omnis;
Et puer impubes, invalidusque ſenex.
6. Auſpice te, felix omnis dabit omnia tellus;
Audiet et domini vota benignus ager.
7. Nos, Deus! adſpicies placidus: tremet ultimus orbis;
Omnibus et populis tu venerandus eris.

ANNOTATIONES.

in Pſal. xxx. 6. *Freta.*

6. *Felix*] Hic adverbialiter ſumitur, et idem ſignificat quod *fœcundè*, vel affatim, ut in Pſal. xxiii. 5. *Succo felicis olivæ.*

Omnis dabit omnia tellus] Eſt imitatio Virgilii:

—— Omnis *feret* omnia tellus, Ecl. iv. 39.

7. *Adſpicies placidus*] *Placidus* hîc ſumitur adverbialiter, pro *placidè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

LXVIII.

ÆTHERIS exſurgat Dominus, turbentur et hoſtes;
Et citò dent trepidæ turpia terga fugæ.
2. Impius, hoc coram, vaneſcet; fumus in auras
Sic abit, et minimo cera calore fluit.
3. Gaudia ſed verſans animo, vaga ſidera cantu,
Et pede feſtivo gens pia pulſet humum.
4. Efferet exſultans tellus venerabile Numen
Judicis, auratis qui premit aſtra rotis.
5. Patribus hic orbam ſobolem, viduaſque maritis
Providus e cœli protegit arce nurus.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *laudativus*, ex quinque partibus conſtans: *Exordio*, a verſu primo ad quartum; *Propoſitione*, a quarto ad ſeptimum; *Confirmatione*, a ſeptimo ad viceſimum quartum; *Oratione*, a verſu viceſimo quarto, ad trigeſimum ſecundum; et poſtremo *Concluſione*, inde ad finem Pſalmi.

4. *Auratis — rotis*] Id eſt, *auratis curribus*, per *Synecdochen.*

5. *Nurus*] De hujus vocis poetîco uſu, vide Pſal. xlv. 12. *Nurus.*

6. Prole

6. Prole beat ſteriles; captivis vincula demit;
Et premit hirſutis hoſtica tecta rubis.
7. Tu, Deus! Iſacidis olim per inhoſpita teſqua,
Invia tu, memini, per loca Ductor eras.
8. Intremuit tellus; ſudârunt ſidera; Sinæ
Ardua nutârunt culmina, tacta metu.
9. Gentis at electæ ditâſti rura quotannis;
Dulcis et in ſiccos depluit imber agros.
10. Has tibi dilectus populus nunc incolit oras:
Hîc bonus afflictis hoſpita tecta paras.
11. Hîc tua matronæ cecinerunt bella pudicæ;
Armaque virgineus vexit in aſtra chorus.
12. Fœda paludati verterunt terga tyranni;
Dives et imbelli præda fuêre gregi.
13. Membra tuo piceâ quamvìs fuligine tincta
Sint populo, veniet priſcus in ora nitor:
Sic micat argenti radians candore columba,
Aurea quam, jaculis ocyùs, ala rapit.
14. Hîc, ubi cœleſtis diſperſit dextera reges,
Par nivibus rupes ſacra Sionis erat.
15. Non ita Salmonis candent juga, tempore brumæ;
Non ita Bazanis ſidera lambit apex.

16. Quid

ANNOTATIONES.

7. *Teſqua*] De hac voce vid. Not. in Pſal. xxix. 8. *Teſquaque.*

8. *Sudârunt*] Per *Syncopen* dicitur, pro *ſudaverunt*; ut etiam in proximè ſequentibus *nutârunt* pro *nutaverunt*.

Sinæ] *Sina* mons Petrææ Arabiæ, ubi Deus legem promulgavit. Quidam montem *Sinai* vocant. *Juſtinus* lib. xxxvi. appellat *Sinæum*. Nomen habet a vepribus et dumetis quibus ſeptus eſt. Hebræis enim *Senab* eſt *arbor ſpinoſa*.

9. *Ditâſti*] Per *Syncopen* dicitur, pro *ditaviſti*.

11. *Virgineus Chorus*] *Chorus* hîc ſumitur ſtrictè, et ſuo proprio ſenſu. Vid. Pſal. xviii. 10.

11. *Chorus*] De hac voce, vide Not. in Pſal. xviii. 10. *Chori*.

12. *Paludati tyranni*] De *paludatus* vide ſupra Pſal. lxii. 9. *Deque* tyranno, Pſal. vii. 2.

13. *Argenti candore*] *Candor* eſt vox quæ optime huic loco convenit, exprimit enim tum albedinem, tum ſplendorem.

14. *Sionis*] Vide Notam in Pſal. ii. 6. *Sioni*.

15. *Salmonis juga*] *Salmon* nomen montis altiſſimi in Terrâ Sanctâ, cis Jordanem ſitus, in finibus tribûs Ephraimæ.

Bazanis apex] *Bazan*, contra, erat ultra Jordanem ſitus,

 mons

16. Quid, juga! turgetis? Deus unâ rupe Sionis
Gaudet, et hîc figet tempus in omne larem.
17. Mille Deo parent cœli ſtellantis alumni;
Cùm lubet, innumeris imperat ille rotis:
Cingitur his Dominus, quà fert veſtigia; Sinæ
Non ſecùs in ſacris conſtitit ante jugis.
18. Ille triumphali ſcandit ſacraria pompâ,
Ponè catenatos juſſit et ire duces:
Munera nec pompæ deerant; ex hoſte receptas
Exuvias adytis intulit ille ſacris.
19. Rerum opifex, opiferque Deus tollatur in aſtra:
Nos cumulat donis jugiter ille ſuis.
20. Protegit ille pias cœleſti Numine mentes:
Ille tuas claudit, Mors! aperitque fores.
21. Hoſtîca ſed certo transfiget tempora ferro;
Gentis et impuræ ſanguine tela linet.
22. Rurſus, ait, populum ſpatioſa per æquora ducam;
Arvaque, quæ parent legibus, Oge! tuis.
23. Crura triumphantes ſua tingent ſanguine regum;
Et lambent avidi vulnera cruda canes.

24. Vi-

ANNOTATIONES.

mons uſque adeo dives et fœcundus, ut a LXXII. Interpretibus dicatur πίον ὄρος, *mons pinguis*, et ὄρος τετυρωμένον, *mons ferens copiam butyri et preſſi lactis.*

Tempore brumæ] *Bruma* propriè dicitur Dies Solſtitii hiemalis, qui eſt poſt idus Decembris: Hîc verò ponitur pro ipſo hieme, ut etiam apud Virgilium:

Frigida ſub terrâ tumidum quem bruma *tegebat*,
Æn. ii. 472.

Sidera lambit] Ita Virgilius de Ætna:

Attollitque globos flammarum, et ſidera lambit,
Æn. iii. 574.

16. *Larem*] Vid. Not. in Pſal. xviii. 45. *Sepoſitoſque Lares.*

17. *Rotis*] Hîc ponitur per *Synecdochen*, pro curribus.

18. *Triumphali—pompa*] De *pompa* vide Not. in Pſal. xlix. 17. *Pompa.*

Adytis] Vid. Not. in Pſal. xx. 2. *Adytis.*

20. *Mors*] Ponitur hîc *Mors* perſonaliter more poetico, ut etiam ſupra in Pſal. xviii. 5. *Hæſi, mors truculenta.*

21. *Certo ferro*] *Ferrum* eſt *certum* quod non aberrat a ſcopo. Ita Virgilius:

—— certam *quatit improbus haſtam*, Æn. xi. 767.

Et ita Horatius:

Nec te metuende certâ,
Phæbe, ſagittâ,
1 Car. xii. 23.

Tela] De hac voce vide Not. in

24. Vidit, et obſtupuit populus, comitante catervâ;
Cùm peteres niveis aurea templa rotis.
25. Cantores præeunt, ſequitur lyra tinnula; pulſant
In medio teneræ tympana tenta nurus.
26. Quiſquis ab Iſacidis generis primordia ducis,
Numinis in ſacro pande tropæa choro!
27. Hæc quoque Benjamini referent, Judæque nepotes,
Et Sabolonæi Nephthalidæque duces.
28. Hæc tua, Rex ſuperûm! ſtabilivit dextera: forti
Macte animo, et dextræ facta tuere tuæ.
29. Ex adytis vim prome ſacris, opulenta tyranni
Ut tibi, curvato poplite, dona ferant.
30. Perde truces acies, quas paſſim, robore vaſto,
Triſtibus et jaculis, ſternere cuncta vides:
Hos dele, qui bella crepant; argentea coge
Hos tibi ſubmiſſo munera ferre genu.
31. Æthiopum tunc ora tuas venerabitur aras;
Et vectigalis barbara Memphis erit.

32. Tol-

ANNOTATIONES.

in Pſal. iii. 6. *Tela.*

24. *Rotis*] Ponitur hîc per *Synecdochen*, pro curribus.

25. *Lyra tinnula*] De lyra vide Not. in Pſal. lvii. 8. *Lyræ.*

Tympana tenta] Exemplo præivit *Lucretius:*

Tympana tenta *tonant palmis*, Lib. ii. 618.

Tympana] *Tympanum eſt pellis ſive corium, ligno extenſum:* pulſabatur apud veteres manibus ac digitis, a τύπτειν, *verberare.*

Nurus] Vide Not. in Pſal. xlv. 12. *Nurus.*

26. *Numinis tropæa*] De voce *tropæa* vide Pſal. lx. 8. *Tropæa.*

Choro] Vid. Not. in Pſalm. xviii. 10. *Chori.*

28. *Macte animo*] De voce *Macte* ſupra dictum ad Pſal. xlv. 4.

29. *Ex adytis*] De Etymologiâ et propriâ ſignificatione vocis *Adyta* vide Pſal. xx. 2.

30. *Qui bella crepant*] *Crepare*, ut plurimum, eſt verbum neutrum, et ſignificat *ſonare*; interdum vero activè ſumitur, ut hîc, et ſignificat *prædicare:* ut apud Horatium:

Quis poſt vina gravem militiam aut pauperiem crepet?
1 Carm. xviii. 5.

Et crepat *antiquum genus et pietate repletum*,
Lucret. lib. ii. 1166.

31. *Æthiopum ora*] *Æthiopia* pars Africæ, Torridæ Zonæ ſubjecta, inter Arabiam et Ægyptum ſita. Sic dicta ab Æthiope Vulcani filio.

Memphis] Urbs antiquæ Ægypti longe præclariſſima, perquam opportunè ſita in eo loco ubi Nilus in plures ſciſſus partes efficit formam literæ Δ; ejus ambitus erat ſtadiorum centum

32. Tollite Rectorem cœli super æthera, Reges!
Quæque decet, Domino solvite vota Deo.
33. Ille triumphali transcendit sidera curru;
Et prior est seclis, et sola voce quatit.
34. Cuncta Dei vires celebrent: his nubila cœli
Frænat, et Isacidûm protegit ille domum.
35. Rupe sedens sacrâ, quàm formidabilis orbi
Est Deus Isacidûm, Cœlicolûmque Parens!
Ille suo populo fons est et roboris autor;
Illius, excluso fine, perennet honos.

ANNOTATIONES.

et quinquaginta. Hîc ponitur pro totâ Ægypto.

33. *Et prior est seclis*] *Seclis* hîc dicitur per *Syncopen*, pro *seculis:* De vocis *seculi* propriâ significatione vide Not. in Psal. xlv. 6. *Seclo.*

34. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum.* Ut etiam *Cœlicolûm* dicitur pro *Cœlicolarum.*

LXIX.

FER, Deus! auxilium; dum fluctibus obruor altis,
Deficit et medias spiritus inter aquas.
2. Verticis extremum gurges supereminet; hærent
Intricata putri crura, pedesque, luto.
3. Dum clamo, speroque miser meliora, fatiscit
Mens mihi, vox aret, lumina torpor habet.
4. Impia gens, odiis me quæ nil tale merentem
Opprimit, est numero verticis æqua pilis:
Viribus et superans, mihi nullo crimine partas,
Per scelus, extorquet barbarus hostis opes.
5. Simplicitas tibi nota mea est, delictaque vitæ,
Quidquid et in cæco pectore labis inest.

6. Ne

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *votivus*, continens *Petitionem*, a versu primo usque ad vicesimum nonum; et *Conclusionem laudativam*, inde ad finem usque.

1. *Fluctibus*] De hujus vocis Metaphoricâ significatione vid. Not. in Psal. ix. 13. *Adspice fluctus.*

3. *Fatiscit mens, vox aret, lumina torpor habet*] Hîc deest copula per Figuram quam vocant *Asyndeton*, quæ notat festinationem et animi peturbationem. Exemplo sit Virgilius:

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos, Æn. iv. 594.

6. Ne noſtri pudeat caſtæ pietatis amantes,
Da, Deus! Iſacidûm qui bonus arma regis.
7. Tu mihi cauſa mali es; te propter perfero clades;
Prô dolor! indignus turpat et ora pudor.
8. Me fratres odêre mei; peregrinus et illi,
Heu! videor, cui lac præbuit una parens.
9. Me populi, templique tui diſpendia torquent;
Quæque vibrant in te, me quoque tela petunt.
10. Fletibus indulſi; lachrymis jejunia junxi;
Opprobrii pietas ſed mihi cauſa fuit.
11. Lugubri quoties velavi corpus amictu,
Crudeli petiit me fera turba joco.
12. Me quoque qui leges dat in urbis limine judex,
Sibilat, et nimio rauca taberna mero.
13. Tempeſtiva, Deus! tibi fundo vota; precanti
Annue: te bonitas cingit et alma fides.
14. Pelle truces hoſtes; me, ne vorer, eripe cœno;
Et fer opem, vaſti dum furit ira maris.
15. Abſit ut infandæ tenebris involvar abyſſi,
Et peream, tumidas naufragus inter aquas.

Annotationes.

6. *Iſacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Iſacidarum*.

7. *Turpat ora*] *Ora* in plurali numero dicitur pro ſingulari; et etiam per *Synecdochen*, *ora* pro *vultus*.

8. *Cui lac præbuit una parens*] Eſt *Periphraſis* pro *Fratre*.

9. *Diſpendia*] *Diſpendium* propriè eſt quod incuriâ vel negligentiâ, aut immoderatè et inconſultè expendimus et inſumimus. Interdum idem ſignificat quod *Damnum*. Ut apud Terentium: *Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia, ſine ſumptu, ſine* Diſpendio, Eun. v. iv. 7. Et Virgilium:

Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia *tanti*,
Æn. iii. 453.

Tela] Vid. Not. in Pſal. ii. 6. *Tela*.

12. *Leges dat in urbis limine*] Judices ex antiquo Judæorum more ſedere ſolebant in portis urbium ad jus populo dicendum, ut ex multis Sacræ Scripturæ locis patet. Vide Deut. xxv. 7. Ruth iii. 11. vi. 1. Hîc igitur innuit David, ſe non modò vulgaribus ſcurris, et quiſquiliis hominum ludibrio fuiſſe; ſed viris etiam gravitate conſpicuis, ſenatoribus ac judicibus.

13. *Alma fides*] *Alma* hîc eſt *pura* ſive *pulchra*. Vide Pſalm. xii. 1. *Alma*.

15. *Abyſſi*] De Etymologiâ et ſignificatione vocis *Abyſſi* vide Pſalm. xviii. 15. *Abyſſus*.

16. Me

16. Me bonus exaudi propiùs; totiesque probatus,
Pristinus in tenero pectore perstet amor.
17. Rebus in afflictis, famulo ne tetricus ora
Subtrahe; sed positis suscipe vota moris.
18. Dexter ades, propiúsque veni; vitamque tuere
Ocyùs, hostiles dum timet illa manus.
19. Turpia, te coram, miscens opprobria sannis,
Cladibus insultat gens inimica meis.
20. Hæc mihi sexcentis lacerârunt pectora curis;
Hæc mihi tabifici causa doloris erant:
Quæsivi frustra, qui solarentur, amicos;
Nec socii nostris ingemuêre malis.
21. Inter et ærumnas quibus intricabar, aceto
Mixta propinârunt pocula, felle dapes.
22. Hæc, precor, implicitos epulis gens devoret hamos;
Et pereat gazis illaqueata suis.
23. Lumina, ne videant, piceâ caligine fusca;
Occupet et gelidus crura soluta tremor.

24. Quem

ANNOTATIONES.

17. *Tetricus*] Est Adjectivum adverbialiter sumptum, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

19. *Sannis*] De hac voce vid. Notam in Psal. i. 1. *Postica Sanna*.

Insultat] De hujus verbi propriâ et Metaphoricâ significatione vid. Not. in Psal. xiii. 4. *Insultet*.

20. *Sexcentis curis*] Definitus numerus hîc ponitur per *Synecdochen*, pro indefinito, ut sæpius fit apud omnes fere autores.

Lacerârunt] Per *Syncopen* dicitur, pro *laceraverunt*.

Pectora] In plurali numero dixit *pectora* pro *pectus*.

Nostris ingemuere malis] Ita Virgilius ubi Dido de Ænea queritur:

Num fletu ingemuit nostro? Æn. iv. 369.

21. *Propinârunt pocula*] *Propino*, Græcè προπίνω, propriè est prægustato levitèr vino poculum alteri offerre. Quæ consuetudo inde initium habuit, quòd Principes Græciæ solenni die, quem *Philotesiam* vocabant, miscere aureis atque argenteis poculis vina solebant, quæ e manu gestantium sumentes ori parumper admovebant, deinde alteri quem vellent offerebant, ingens hoc argumentum benevolentiæ existimantes.

Pocula] Hîc ponitur per *Metonymiam*, pro vino in poculo, *continens* scilicet pro *contento*.

23. *Gelidus tremor*] *Tremor* appellatur *gelidus*, per *Metonymiam*, quia *gelidos* efficit; effectu scilicet sumpto pro causa. Quo modo *Mors* dicitur *pallida* apud Horatium:

Pal-

24. Quem premis, indomiti fluctus effunde furoris;
Et semel ardescens nesciat ira modum.
25. In dominos everte lares, et prædia vasta;
Nullus et hæc hæres tecta vel arva colat.
26. Scilicet hi famulo, quem tu premis, acriùs instant;
Irritantque tuâ vulnera facta manu.
27. Crimina criminibus cumula; nec judice quisquam
Te speret placido propitioque frui.
28. Hos tabulis erade tuis, vitæque perennis
Absit in archivis nomina læva notes.
29. At, Pater! oppressum curis, et sorte malignâ,
Me tua cœlesti dextera servet ope.
30. Tunc ego de læto depromam pectore grates;
Et mihi tu, rerum Conditor! hymnus eris.
31. Gratius hoc certè est, vitulus quàm corniger aras
Ante cadens bifido dum pede pulsat humum.
32. Gestiet, hæc spectans, humilis, cœtusque piorum;
Omnibus et veniet priscus in ora vigor.
33. Est inopum tutela Deus; nec despicit illos,
Compede quos vinctos carcer opacus habet.
34. Illius attollant laudes polus, æquora, tellus;
Quidquid et arx cœli, cærula, terra fovent.

ANNOTATIONES.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
1 Carm. Od. iv. 13.

25. *Everte lares*] De *laribus* vide Not. ad Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

28. *In Archivis*] *Archivum*, ex Græco ἀρχεῖον, *Archium*, id est, *Magistratuum ædes.* Ex quo factum, ut *Archium*, et, interposito *v*, *Archivum* significet chartophylacium: quia *Archeia* vicina erant chartophylaciis, in quibus hodiè actuarii et scribæ acta publica condunt.

31. *Vitulus — aras ante cadens*] Est *Periphrasis* pro eo quod est *vitulus mactatus, immolatus.*

32 *Omnibus et veniet*] Est *Antiptosis* pro *omnium.*

34. *Polus*] *Polus* quid propriè significet vide Not. ad Psal. xviii. 12. *Micare polus.* Hîc ponitur per *Synecdochen* pro toto cœlo.

Cærula] Subauditur *Maria.* Ita etiam Virgilius:

Adnixi torquent spumas, et cærula *verrunt*,
Æn. iii. 208.

35. Ille manu forti reparabit mœnia Judæ:
Tecta Sionææ proteget ille domûs.
36. Hîc figet gens sancta larem, serique nepotes,
Qui pede devoto ponè sequuntur avos.

ANNOTATIONES.

35. *Mœnia*] De Discrimine inter *Mœnia* et *Muros* vide Not. in Psal. ix. 6. *Mœnia.*

36. *Larem*] De hac voce consule supra Not. in Psalm. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

LXX.

HUC, Deus! adproperans, me tutelaribus armis
Affere, nec patriam, quam peto, differ opem.
2. Terga, precor, vertat, qui vim, qui tela minatur;
Inquinet et turpis, dum fugit, ora pudor.
3. Huic fuga sit merces, me qui petulante cachinno
Excipit, et damnis pascitur usque meis.
4. Sed quisquis te poscit opem, te Numine fretus
Gestiat, in laudes solvat et ora tuas:
Quique tuæ fidit dextræ, speratque salutem,
Optet ut in terris sit tibi perpes honos.
5. Ah! premor adversis; te solo vindice nitor:
Nunc ades, invisas et mihi pelle moras.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *votivus*, eodem planè argumento et iisdem prope vocibus cum posteriori parte Psalmi quadragesimi, a versu decimo quarto ad finem usque.

2. *Terga vertat*] *Terga* dicitur hîc in plurali numero, per *Heterosin*, pro singulari; ut etiam in sequenti linea *ora* pro *os*.

Qui vim, qui tela] Notetur hîc *Anaphora*, de quâ Figurâ consule Not. in Psalm. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—sceptra.*

3. *Petulante cachinno*] *Cachinnus* est solutus risus et immoderatus: a sono factum vocabulum.

Pascitur usque meis] De hac Metaphoricâ significatione vocis *Pasco* vid. Not. in Psal. iv. 2. *Pascis mendacibus umbris.*

4. *Solvat ora*] *Ora* hîc ponitur pro *os*, per *Heterosin*, nempe pluralis numeri pro singulari.

5. *Vindice*] De hac peculiari significatione vocis *Vindex* vid. Not. in Psal. xxv. 20. *Te vindice.*

LXXI.

ALME Parens rerum! ſpes te mea reſpicit unum:
Ne mihi ſit Dominum te coluiſſe pudor.
2. Eripe me telis, qui jus tutaris et æquum;
Nec mea da rapidis vota ferenda Notis.
3. Sis mihi tu rupes, dum ſævit et ingruit hoſtis;
Sis, Deus! in mediis turris ahena malis:
Tu, quibus incolumis ſerver, mandata dediſti;
Arx quia tu vitæ præſidiumque meæ es.
4. Ah, Deus! ah! famulum populi trucis eripe dextris;
Et ſcelerum ſocios me procul eſſe jube.
5. Vindice te nitor, teneris qui ſemper ab annis
Unus eras vitæ portus, et una ſalus.
6. Matris ab uberibus ſervâſti: matris ab alvo
Me quia traxiſti, tu mihi carmen eris.
7. Me fugiunt ſocii, ceu formidabile monſtrum:
Spe tamen auxilii tu mea vota foves.
8. Da, Deus! ut cœlo meritis te laudibus æquem;
Sintque meo tituli ſemper in ore tui.
9. Ne mihi te ſubdue, capulo vicina ſenectus
Dum ſubit, et periit, qui fuit, oris honos.
10. Adſpicis ut, dentes acuens, conſpiret in unum,
Meque petat tacito gens inimica dolo.

11. Hunc

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt etiam *votivi* generis, ex duabus partibus conſtans; prior eſt *Petitio*, uſque ad verſum viceſimum ſecundum; poſterior, *votum laudis et gratiarum actionis*, inde ad finem uſque.

2. *Ferenda Notis*] De hâc proverbiali formâ loquendi vid. Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere Noti.*

3. *Ingruit hoſtis*] De propriâ ſignificatione et Etymo vocis *ingruo* vide Not. ad Pſal. xvii. 9. *Ingruit.*

5. *Vindice*] Conſule Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

6. *Servâſti*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſervaviſti.*

7. *Formidabile monſtrum*] *Monſtrum* eſt, quicquid contra rerum naturam accidit, et aliquid *monſtrat* ac ſignificat eventurum.

8. *Meritis te laudibus æquem*] Imitatus eſt Virgilium:

Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Æn. ix. 125.

Tituli] Vide Not. in Pſal. xviii. 49. *Tuos titulos.*

9. *Capulo vicina ſenectus*] *Capulus* vel *capulum* a *capiendo* dictum; eſt propriè manubrium gladii,

11. Hunc, ait, invisum Domino quin, impete facto,
Obruimus? Quis enim criminis ultor erit?
12. Sis mihi tu præstò; fer opem placatus; opemque
Dum, Pater! optatam fers mihi, rumpe moras.
13. O precor! ut pereat, me qui petit impius hostis;
Et pudor obscœnis inquinet ora notis.
14. Ast ego te nitar; vox te mea jugiter unum
Efferet, e cœlo viribus aucta novis.
15. Teque, tuamque fidem, benefactaque, limite nullo
Clausa, canam; terras dum rota solis obit.
16. Clara tuæ vates referam miracula dextræ;
Unius et solium fons mihi laudis erit.

Annotationes.

gladii, ut apud Virgilium:

Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem,
Æn. ii. 553.

Capulum etiam dicitur quicquid inter se aliquid *capit*; inde sarcophagum, id est, sepulchrum, *capulum* veteres dici voluerunt, quod corpora *capiat*, ut Plautus:

Perii misera, ut osculatur carnifex, capuli *decus*,
Asin. v. ii. 43.

Periit] Per *Syncopen* dixit pro *perivit*.

Oris Honos] *Honos* hîc est *decor, pulchritudo*, ut etiam apud Virgilium:

—— *Et lætos oculis afflârat* honores, Æn. i. 591.
Frigidus et silvis Aquilo decussit honorem,
Geor. ii. 404.

12. *Fer opem placatus*] *Placatus* hîc per *Enallagen* adverbialiter sumitur.

13. *Obscœnis notis*] De significatione et Etymo vocis *obscœnus* vide Not. in Psal. xl. 14. *Obscœnæ.*

Ora] Pluralis numerus pro singulari.

14. *Te unum efferet*] Observandum est Poetam nostrum sæpius usurpare vocem *unus* pro eo quod est *præcipuus:* quo more Virgilius:

Tum senior Nautes unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Æn. v. 704.
— *Cadit et Ripheus justissimus* unus, Æn. ii. 426.

15. *Teque, tuamque fidem, benefactaque*] Hîc copula *que* redundat per Figuram, quam Grammatici vocant *Polysyndeton*; quæ locum præcipuè habet ubi res sunt sigillatim notandæ.

Terras dum rota solis obit] Est *Periphrasis* pro *semper*. *Rota* hîc ponitur per *Synecdochen* pro *curru*.

Unius] Vid. Not. in ver. 14. *Te unum efferet.*

17. Hacte-

17. Hactenus hæc docui populos; fessusque senectâ
Jam cano quæ didici, te præeunte, puer.
18. Ne mihi te, vetulo solitum ne subtrahe vultum,
Dum tegar ingestâ, lumine cassus, humo:
Antè tuas populis fas sit mihi pandere laudes,
Ultima quas tellus posteritasque legat.
19. Justitiæ qui laude nites, et robore polles,
Magne Parens! ecquid par tibi mundus habet?
20. Me manus oppressit tua; sed clementia vitæ
Restituit, mediis eripuitque malis.
21. Auspice te, feriam sublimi vertice cœlum;
Et spes in dubiis tu mihi rebus eris.
22. Ergò tuam, Rex magne! fidem mea concinet usque
Barbitos, et teneræ nablia juncta lyræ.
23. Gaudia concipiet pectus; partâque salute
Gestiet in laudes lingua soluta tuas.
24. Justitiam lux nulla tuam non evehet, hostes
Namque mei totis erubuêre genis.

ANNOTATIONES.

18. *Ne mihi te—ne subtrahe*] Est elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ vid. Not. in Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—Sceptra.*

21. *Feriam sublimi vertice cœlum*] Id est ero felicissimus: Exemplo præivit Horatius:

Sublimi feriam sidera vertice,
Carm. i. i. 36.

22. *Barbitos*] *Barbitos* et *Barbiton*, Græce Βάρβιτος, non a barbaro deducitur, licet *barbarum*, hoc est *peregrinum* vocabulum sit: significat autem majorem lyram organo similem sono. Dicitur quasi Βαρύμιτον, a Βαρὺς, *gravis* et μίτος *filum*, quod citharæ genus sit gravius sonantis. A Lyra vero vix discrepâsse Anacreontis primum carmen ostendit.

Nablia] De *nablia* vide Not. in Psal. xxxiii. 2. *Nablia.*

Lyræ] De lyra vid. Not. in Psal. lvii. 8. *Lyræ.*

LXXII.

DA regi tua jura, Deus! da natus ut olim
Regius hæc possit, te præeunte, sequi.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *votivus*, ex tribus partibus constans: prima est *petitio*, tribus primis versibus: secunda est *descriptio regni Solomonis*, a versu quarto usque ad decimum septimum; tertia, *Laudatio*, ad finem usque.

2. Ille tuo populo leges feret, arbiter æquus:
Imperio tenues proteget ille suo.
3. Montibus ex ipsis, palmâ redimita capillos,
Pax aderit, populis et pia jura dabit.
4. Ille patrocinio legum defendet egenos,
Hostis et infensi colla proterva premet.
5. Omnia te metuent, illo sub principe, sêcla;
Orbita dum lunæ, solis et axis erit.
6. Ver dabit hic terris; sic, misto desuper imbre,
Prata simul rident, et modò tonsus ager.
7. Candida dum probitas florebit, et optima rerum
Pax; vario donec lumine luna nitet.
8. Huic vagus Euphrates, huic serviet æquor utrumque,
Imperii tellus ultima limes erit.

ANNOTATIONES.

2. *Tenues*] Vide Not. in Psal. x. 2. *Tenuem*,

3. *Palma redimita capillos*] *Redimita capillos* est Græca constructio per Figuram quam Grammatici vocant *Synecdochen*, κατὰ, i. e. *secundum*, subaudito. Qualia multa apud omnes fere autores occurrunt exempla; ita Virgilius:

— *Redimitus tempora quercu*,
Geor. i. 349.

Pax redimita] *Pax* hîc personam induit, ut de multis aliis supra dictum.

Palma] *Palma* est arbor nobilis, ita dicta quia ramos habeat in digitorum modum protensos. Non cedit ponderi, sed surgit adversus pondus. Ideo victoribus præmio data, quia non cesserint, sed pertinaces in bello perstiterint. Pax igitur hîc victrix, et triumphali habitu depingitur.

5. *Sêcla*] Per *Syncopen* dicitur pro *secula*; de quo vid. Not. in Psal. xlv. 6. *Seclo*.

Solis axis] *Axis* hîc pro *curru* ponitur per *Synecdochen*, ut supra Psal. i. 2.

— *Roseo seu micat axe dies*.

6. *Prata rident*] De hac dictione vide Not. in Psal. lxv. 10. *Ridet humus*.

7. *Candida*] De hujus vocis Etymo vid. Not. in Psal. iv. 1. *Candida*.

8. *Vagus Euphrates*] *Euphrates* fluvius Mesopotamiæ. Strabo scribit Euphratem ex Niphate monte Armeniæ, magnum, profundum et celerem nasci; exire autem in Mare Rubrum, prius tamen Babyloniam per medium dividere, et Tigri conjunctum Mesopotamiam facere. Ex longo et erratico cursu rite denominatur *vagus*.

Æquor utrumque] Id est, Mare Rubrum vel sinus Maris Ægyptiaci; et Mare Syriacum quod Mare Palæstinæ vocant: eam scilicet partem Maris Mediterranei quæ Palæstinam alluit.

9. Hunc

9. Hunc colet Æthiopum ſoboles; populuſque rebellis,
Hoc coram, nudo vertice verret humum.
10. Dona ferent Cilices, et gens circumdata ponti
Fluctibus; et ſitiens Indus, et uſtus Arabs.
11. Procumbent tumidi, ſubmiſſo poplite, reges;
Nullaque non illi terra tributa feret.
12. Fortibus hic armis teget et defendet egenos;
Et populum, cui ſpes nulla refulget opis.
13. Et parcet miſeris, tenues et muniet; enſes
Franget et hoſtiles, diſcutietque dolos.
14. Carus erit juſti ſanguis; feliciter ergò
Ducet inauratos, et ſine nube dies.
15. Dona dabunt Arabes; et fauſta precabitur orbis
Ultimus, et famæ præco perennis erit.
16. Montibus in ſummis, parcâ ſemente peractâ,
Naſcetur domino luxurioſa ſeges;

ANNOTATIONES.

9. *Æthiopum ſoboles*] De hoc populo vide ſupra Pſal. lxviii. 31. *Æthiopum.*

10. *Dona ferent Cilices*] *Cilices*, populus Ciliciæ; quæ eſt regio in Minori Aſia, Syriæ proxima; a Cilice Agenoris filio ſic appellata; vulgo dicitur Caramania: ab oriente Amano clauditur, a ſeptentrione Tauri jugis, ab occidente Pamphyliâ. Hujus metropolis eſt Tarſos, quam interſecat Cydnus amnis.

Gens circumdata ponti fluctibus] Eſt hæc *Periphraſis* pro *Inſulanis.*

Indus ſitiens] *Indus* qui eſt ex *India*, *India* verò eſt regio orientalis, Aſiæ terminus: ab oriente Sinâ clauditur, ab occidente Tartaro, a Septentrione Perſiâ, et a meridie Mari Indico. Tradunt in ea fuiſſe quinque millia oppidorum.

Uſtus Arabs] *Arabs* qui *Arabiam* incolit. Ea autem triplex eſt, *Petræa*, *Deſerta*, *Felix*. *Petræa*, ſic dicta a *Petra* vetuſtiſſimo oppido. Ægypto Judææque confinis eſt. *Arabia Deſerta* ſic dicta, quia gens vaga et ſine ædificiis in tentoriis habitet: hæc a meridie montibus Arabiæ Felicis cincta eſt, a ſeptentrione Meſopotamiam habet, ab occidente Petræam. *Arabia Felix*, meridiem verſus, inter duos ſinus, Arabicum nempe et Perſicum, veluti Peninſula excurrit.

Indus *ſitiens*, et Arabs *uſtus* dicitur quia habitat uterque inter Torridam Zonam cujus æſtus adurit corpora et ſitim creat.

13. *Tenues muniet*] De hac voce *Tenues* vid. Not. in Pſal. x. 2. *Tenuem.*

15. *Arabes*] Vide Not. in verſum decimum.

Sic Libani veſtitur apex conterminus aſtris,
Cùm levis aerias ventilat aura cedros :
Utque viret gramen pratis in mollibus, illi
Subdita florebunt oppida, fœta viris.
17. Illius in regnis fulgebit gloria, donec
Purpureo nitidum ſol vehet axe diem:
Audiet hic felix; felices reddet et urbes,
Et populos vaſtâ quos ditione tenet.
18. Ergò Dei, qui mira poteſt et perficit unus,
Creſcat in immenſum non fugiturus honos.
19. Qui regit Iſacidas, titulis illuſtribus orbem
Impleat, et famâ ſolis utramque domum.

ANNOTATIONES.

16. *Libani*] De monte *Libano* vid. Not. in Pſal. xxix. 5. *Libani.*

17. *Purpureo axe*] *Axis* hîc ponitur pro curru, ut ſupra Pſal. i. 2. *Roſeo ſeu micat axe dies.* De poetico uſu vocis *purpureus* vide Not. in Pſal. xix. 4. *Purpureum jubar.*

Sol vehet axe diem] Eſt elegans et poetica *Periphraſis* pro eo quod eſt fixum et perpetuum.

Audiet hic felix] Id eſt, *appellabitur* vel *dicetur felix*; quo modo ſcripſit Horatius :

—*Rexque, Paterque*
Audîſti *coram*——1 Ep. vii. 37.

Felix, felices] Eſt hæc Figura quam vocant Grammatici *Polyptoton*, ubi occurrunt varii caſus ejuſdem nominis.

19. *Titulis*] Vide Not. in Pſal. xviii. 19. *Tuos titulos.*

Solis utramque domum] Eſt *Periphraſis* pro oriente et occidente.

LXXIII.

QUAM favet Iſacidis Rex qui rotat ætheris orbes;
Ille ſacri quanto flagrat amore gregis!
2. Me tamen implicuit non extricabilis error ;
Peſque vacillavit; mens quoque cæca fuit.
3. Indolui, ſpectans ſcelerum florere miniſtros,
Et dare propitiis impia vela Notis.

4. His

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *didacticus*, continens *Propoſitionem*, verſu primo; *Confirmationem*, a verſu ſecundo ad verſum viceſimum tertium; et *Concluſionem*, inde ad finem uſque.

3. *Propitiis dare vela Notis*] Eſt *Metaaphora* a navigantibus, quibus feliciter procedit curſus, ventis ſecundis vela inflantibus.

Vid.

4. His ſuperant vires et inexpugnabile robur;
Et manet in ſenibus, qui fuit ante, vigor.
5. Dura premunt alios et nubila tempora: puri
His redeunt ſoles, et ſine fæce dies.
6. Corda tument faſtu; vis armat pectora; turgent
His oculi; nec mens, quas habet, æquat opes.
8. Excutit os frænum, ſpirans fraudeſque, neceſque;
Audet et in circo grandia verba loqui.
9. Nec ſcelerum modus eſt; acuunt in ſidera linguas
Nequiter; inque homines dira venena vomunt.
10. Hæc ſpectans, huc vertit iter, ſua caſtra relinquens,
Vir pius, irati quem rapit unda freti.
11. Ecquis, ait, ſuperâ Deus hæc deſpectat ab arce?
Ecquis in æthereo pectore ſenſus ineſt?
12. Ecce! Dei gens hæc cultum dum proterit omnem,
Floret, et immenſas, per ſcelus, auget opes.
13. Quid mea me juvit pietas? Quid pectus honeſtum
Profuit, aut inſons et ſine labe manus?
14. Undique me lethi ſepſit gravis horror, et omnis
Lux fuit in pœnas ingenioſa meas.
15. Hæc ego ſi promam, Pater orbis et Arbiter! aures
Offendet populi vox minùs æqua tui.

ANNOTATIONES.

Vid. Not. in Pſal. xxx. 6. *Cùm freta ſulcarem ventis felicibus. Noti* hîc pro ventis in genere, ut ſupra Pſal. i. 4. *Notus.*

Impia vela] Id eſt, *Impios dare vela*, quo modo Virgilius dixit *ſceleratas pœnas* pro *pœnas de ſcelerata fœmina:*

—*Subit ira cadentem*
Ulciſci patriam, et ſceleratas
ſumere pœnas, Æn. ii. 576.

4. *His ſuperant vires*] *Superant* hîc pro *ſuperſunt*, ut etiam apud Virgilium:

(1)—ſuperet *conjuxne Creüſa*, Æn. ii. 597.
(2)—*Et captæ* ſuperavimus *urbi*, Ibid. 643.

6. *Turgent his oculi*] *His* hîc dictum per *Antiptoſin* pro *horum.* Ut ſupra Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis.*

8. *Excutit frænum*] Vide de hac locutione notam in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans.*

Fraudeſque, neceſque] Hîc *que* redundat per *Polyſyndeton*; ut ſupra Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem.*

10. *Unda freti*] De voce *fretum* vide Not in Pſal. xxx. 6. *Freta.*

14. *Lethi*] De hujus vocis Etymo vide Not. in Pſal. vi. 3. *Lethum pulſurus.*

Lux] *Lux* ponitur hîc pro dies per *Metonymiam*; ut Pſal. xxxv. 21. *Optatâ luce.*

16. Ah! ego, dum rerum causas exquiro latentes,
    Deficio; et cassum lumine pectus hebet.
17. Tu tamen e sacris adytis, Pater ætheris alti;
    Me gregis istius fata futura doces.
18. In juga tu sontes duxisti lubrica; pronos
    In caput hinc volvi præcipitesque jubes.
19. Quàm gravis est lapsus! quàm tristis et aspera clades!
    Quámque repentino fulmine corda quatis!
Sors gregis istius vanescit, imaginis instar,
    Quæ fugit ignavus mox ubi somnus abit.
20. Tu, Deus! evigilans Fastum calcabis, et illas,
    Quas nimiùm jactat Fastus inanis, opes.
21. Antè miser tacitâ torquebar mente; cucurrit
    Et mihi tabificus fracta per ossa dolor:
22. Ast ego desipui, nec me levis error habebat:
    Mensque sub insipido pectore bruta fuit.
23. Te tamen assiduè fruor; et, ne fortè vacillet
    Pes dubius, dextrâ fulcior usque tuâ.
24. Consilio tu cæca tuo vestigia flectis;
    Et cinges posthàc perpete fronde comam.
25. Quis mihi, te præter, superâ succurret ab aulâ?
    Quid, quod amem, nisi te, summa vel ima dabunt?
26. Membra mihi quoties, animâ fugiente, fatiscunt,
    Tu vigor es vitæ deliciumque meæ.
27. Ibit in exitium tua quisquis signa relinquit,
    Gaudet et alterius transfuga castra sequi.

28. Ast

ANNOTATIONES.

17. *Sacris adytis*] De Etymologiâ et significatione vocis *adyta* vid. Not. in Psal. xx. 2. *Adytis.*

Fata] De hac voce vid. Not. in Psal. xxxi. 13. *In mea fata.*

18. *Præcipites*] De Etymologiâ et propriâ significatione vocis *præceps* vide Not. in Psal. ix. 7. Hîc verò sumitur pro *rapidus* sive *festinus*; ut a Virgilio:

Præcipites *atrâ ceu tempestate columbæ*, Æn. ii. 561.

20. *Jactat*] De primâ significatione verbi *jacto* vide Not. in Psal. x. 3. *Jactat.*

Fastus] Hîc sumitur personaliter per *Metonymiam* pro *fastuoso*, ut Psal. i. 1. *Impietas.*

24. *Vestigia flectis*] *Flectere* propriè significat *torquere, curvare*; et per translationen *regere, dirigere*: Ita Cicero, *Animos*

28. Aſt ego te ſolum ſectari dulce putabo;
Et tua, ſis cùm ſpes tu mea, facta canam.

ANNOTATIONES.

Animos omni ratione flectere *et commutare*, De Orat. ii.

Cinges perpete fronde] Alludit ad jus triumphantium, quorum erat laurum perpetuo geſtare.

Comam] *Coma* hîc ponitur pro toto capite, per *Synecdochen*.

LXXIV.

CUR, Deus! æternùm nos deſeris? Acribus iris
Cur tibi dilectas depopularis oves?
2. Te populi veteris, te ſacri cura peculî
Tangat; et ante oculos ſit tibi ſancta Sion.
3. Ocyùs adproperans, ſceleratas obrue gentes,
Sacrilegâ violant dum tua templa manu.
4. Prô pudor! in medio feralis buccina cœtu
Clangit; et in muris fixa tropæa vides.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, continens partes tres; *Exordium* ſive *Propoſitionem*, ad verſum quartum; *Narrationem*, a verſu quarto ad decimum; et *Petitionem*, inde ad finem uſque.

2. *Te populi—te ſacri*] Eſt *Anaphora* in voce *te*; de quâ Figurâ, vid. Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—Sceptra.*

Cura peculî] *Peculî*, per *Apocopen*, dixit pro *peculii*. *Peculium* autem juxta nonnullos, patrimonium univerſum ſignificat, a *pecu*, ſive *pecore* unde et *pecunia* dicta: quod omnia veterum bona olim in pecoribus conſiſterent. *Peculium* verò juxta alios eſt privata pecunia, quam ſervus, domini permiſſu, ſeparatim a domini rationibus comparabat, aut ad redimendam libertatem, aut alios in uſus. In priore ſenſu intelligendus autor, ut etiam illud Virgilii ad quod reſpexiſſe videor:

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculî, Ecl. i. 33.

Tangat] Vid. Not. in Pſalm. xvii. 6. *Tangent.*

Sancta Sion] Conſule Not. in Pſal. ii. 6. *Sanctæque Sioni.*

4. *Feralis buccina*] *Feralis* propriè quod mortuorum funeribus adhibetur.

Buccina, a *buccis*, inſtrumentum quo ſignum datur in hoſtes ad pugnam: *Buccinas* a Tubis nonnulli ſic diſtinguunt, quod illæ ex recurvis animalium cornibus; Tubæ verò ex ære argentove confici ſoleant, ad animos militum et equorum inflammandos. Sæpe tamen uſurpantur promiſcuè.

Fixa tropæa] De *Tropæis* vid. Not. in Pſal. xx. 5. *Læta tropæa.*

5. Claruit

5. Claruit hic olim, qui, cæſis undique ſylvis,
Intulit arboreas in tua tecta trabes:
6. Nunc operoſa ruit luxata bipennibus ædes,
Et cælaturæ nobilioris opus.
7. Ignibus injectis, fœdârunt atria templi
Quod colis; æquârunt culmina ſumma ſolo.
8. Fana quot his reſtant, dicebant, perdite, flammæ!
Cuncta ſimul juſſæ corripuêre faces.
9. Nulla, quibus fidam, ſuperant oracula; nemo
Cernitur hîc vates; nemo futura videt.
10. Quò, Deus! uſque truces acuet gens hoſtica dentes?
An tuus æternùm proſtituetur honos?
11. Cur tua ſe nobis ſubtraxit dextera? Vires
Exere, deque ſinu deſide prome manum.
12. Tu mihi rex olim, rerum et tutela mearum;
Tu populi columen, ſpeſque ſalutis eras.
13. Te Dominum agnoſcens, tumidum ſe diffidit æquor;
Obruit et Pharios unda reverſa duces.

ANNOTATIONES.

5. *Tua templa*] Eſt pluralis numerus pro ſingulari.

Operoſa ruit] *Operoſus* vulgò activè ſumitur, et ſignificat, *qui agit, et rebus gerendis operam dat:* hîc vero paſſivè accipitur, et ſignificat *magno artificio et opere fabricatum.* Ut apud Ovidium:

— *Mundi moles* operoſa *laboret,* Met. i. 258.

Bipennibus] Vide de hac voce Not. in Pſal. xxxv. 3. *Bipennem.*

7. *Fœdârunt*] Per *Syncopen* dicitur pro *fœdaverunt*; ut etiam *æquârunt* pro *æquaverunt.*

9. *Superant*] Hîc dicitur pro *ſuperſunt*; ut ſupra Pſal. lxxiii. 4. *Superant.*

Oracula] Vid. Not. in Pſal. xlix. 4. *Oracula.*

12. *Tu mihi rex — tu populi columen*] Notetur hîc *Anaphora*, de quâ Figurâ vid. Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi — Sceptra.*

13. *Æquor*] Vid. de hujus vocis Etymo Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas.*

Pharios duces] *Pharos* parva Ægypti inſula; quondam diei navigatione diſtans ab Ægypto, nunc Alexandriæ ponte juncta, Nili receſſu ſive exundatione. Ponitur interdum pro regno Ægyptio: unde *Pharius* Ægyptius, ut hîc et apud Tibullum:

——— *Tibi dicere laudes*
Inſignis turbâ debeat in Phariâ, 1 Lib. iii. 32.

14. Cautibus illisus periit cum milite ductor;
Et data sunt avidis ossa voranda feris.
15. Dura silex latices effudit; et alveus alti
Fluminis attonitas aruit inter aquas.
16. Tu jubar auratum solis diffundis in orbem,
Et stabili noctem lege diemque regis:
17. Imperioque tuo, medio stat in aëre tellus,
Septa vadis; æstas ardet, et alget hyems.
18. Adspice sacrilegi populi convitia, laudes
Qui premit et stulto deterit ore tuas.
19. Turturis, ah! vitam ne milvis objice; curam
Nec gregis afflicti deleat ulla dies.
20. Vive memor pacti: nequidquam quærimus umbras;
Scilicet hostilis regnat ubique furor.
21. Absit ut afflicto turpis pudor inquinet ora:
Da potiùs laudes ut canat ille tuas.
22. Evigila, causamque tuam ne desere; probri
Vive memor, quo nos stulta caterva premit.

ANNOTATIONES.

14. *Periit*] Per *Syncopen* dicitur pro *perivit.*

15. *Latices*] De hac voce vid. Not. in Psal. xxxvi. 9. *Vitales latices.*

17. *Septa vadis*] De propriâ significatione vocis *vada* vid. Not. in Psal. xxvi. 9. *Vadis.* Hîc verò sumitur pro mari sive aqua marina, ut apud Virgilium:

Littus ad Ausonium tot per
vada *cærula vexit?*
Æn. vii. 198.

19. *Turturis*] *Turtur* avis nota ex genere columbaceo minima, a sono vocis nomen habens.

Milvis] *Milvus* vel *Milvius* avis rapacissima: Anglice, a Kite. Nomen habet vel a molli volatu, vel a voce quam edit. De homine etiam rapaci dicitur, per Translationem. Ut apud Plautum:

Vidi petere Milvium, *etiam*
cum nihil auferret tamen,
Rud. iv.iv. 80.

Hinc et parasiti nomen apud Horatium:

Milvius *et scurræ, tibi non*
referenda precati,
Discedunt — 2 Sat. vii. 36.

Gregis] De hac voce vide Not. in Psal. i. 1. *Grege.*

21. *Afflicto*] Est *Antiptosis* dativi casûs pro genitivo, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Inquinet ora] *Ora* pro *vultus,* ut Psal. vii. 5.

23. Hos-

23. Hoſtiles expende minas; en! prurit in arma,
Inque dies creſcit ſeditioſa manus.

ANNOTATIONES.

23. *Prurit in arma*] Ita Martialis: *Vitulusque inermi fronte* prurit in pugnam, 3 Epig. lviii. 11.

LXXV.

LINGUA, Deus! te noſtra canet; tibi ſolvere grates
Perque tuas laudes barbitos ire parat:
Te tua præſentem monſtrant miracula terris;
Et tuus hinc orbi fit manifeſtus amor.
2. Mox, ait, aſſumam gentem mihi fœdere vinctam;
Legibus et ſanctis juſtitiâque regam.
3. Cum populis, luxata licèt liquefactaque tellus
Diffluat, illa meâ reſtituetur ope.
4. Vana cohors! dixi, ſcelerum quid fræna relaxas?
Stulta, quid elatis cornibus aſtra feris?
5. Deſine, gens exlex! cœlo, Dominoque minari;
Deſine præfracto gutture verba loqui.
6. Nec Notus, aut Boreas, dat opes, faſceſque; nec Eos;
Nec plaga ſe vitreis ſol ubi mergit aquis.

7. Jura

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt, ut ita dicam, *deprecativus*; conſtat autem ex duabus partibus: prima eſt *propoſitio*, a verſu primo ad nonum; ſecunda, *Petitio*, duobus ultimis.

1. *Barbitos*] Vide de hoc inſtrumento muſico Not. ad Pſal. lxxi. 22. *Barbitos*.

4. *Vana cohors*] De *cohorte* vide Not. in Pſal. xxxiii. 1. *Cohors*.

Fræna relaxas] De hac Metaphorâ vid. Not. in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans*.

5. *Præfracto gutture*] Ligna dicuntur *præfracta*, quæ in prima fronte, et in ſummo quaſi cortice franguntur, unde duriora fiunt: ex quo *præfracti* appellantur per tranſlationem, *duri*, *contumaces*, *pervicaces*.

6. *Nec Notus*, *aut Boreas*] De *Noto* vid. Not. in Pſal. i. 4. Et de *Borea* Pſal. xlviii. 2.

Faſceſque] De *Faſcibus* conſule Not. in Pſal. xlvi. 10. *Faſces*.

Eos] De voce *Eos* jam dictum ad Pſal. xix. 5. *Thalamo Eoo*.

Nec plaga, etc.] Eſt *Periphraſis* pro *plaga occidentali*; ad exemplum Virgilii:

Quid tantum Oceano *properent* ſe tingere *ſoles*,
Georg. ii. 481.

Vitreis] *Aqua* dicitur *vitrea*, quia eſt pellucida inſtar vitri.

Ut

7. Jura dat humanis divina potentia rebus:
Hunc levat; hunc pedibus, cùm lubet, illa premit.
8. Tu, Deus! undantem pateram fers vindice dextrâ;
Mixtaque purpureo ſunt aconita mero:
Hos, meritæ devota neci, gens impia ſuccos
Ebibet, et quidquid pocula fæcis habent.
9. Te, Pater Iſacidûm! ſublimi carmine tollam,
Dum ſtabilis tellus, mobilis æther erit.
10. Colla premam tumidis; ſed cultor juris et æqui
Surget humo, merito cinctus honore comas.

ANNOTATIONES.

Ut apud Virgilium:
Te nemus Angitiæ, vitreâ *te Fucinus undâ*,
Te liquidi flevere lacus—
Æn. vii. 759.

9. *Iſacidûm*] Per *Syncopen*, pro *Iſacidarum*.

Æther] Propriè aer puriſſimus, hîc verò ponitur pro cœlo, ut a Virgilio:
—*Famâ ſuper* æthera *notus*,
Æn. i. 383.

10. *Premam tumidis*] *Tumidis* eſt *Antiptoſis* pro *tumidorum*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*.

Cinctus comas] Eſt conſtructio Græca quam Grammatici *Synecdochen* vocant; ſubaudita præpoſitione *ſecundum* vel *quod ad*.

Comas] Per *Synecdochen* dicitur pro *capite*.

LXXVI.

SANCTA Deum Judæa colit: virtutis et ille
Iſacidûm populo dat documenta ſuæ.
2. Ille ſacro ſolio Solymam delegit amœnam:
Ille Sionæâ gaudet in æde coli.
3. Hîc clypeos, enſeſque ducum confregit, et arcus;
Et bellatrici tela vibrata manu.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *Eucharistici*, conſtans ex quatuor partibus: prima eſt *Exordium*, verſu primo et ſecundo; ſecunda eſt *Narratio*, a verſu tertio ad ſeptimum; tertia *Propoſitio*, inde ad verſum decimum ſecundum: quarta *Concluſio hortatoria*.

1. *Iſacidûm*] Per *Syncopen* dixit pro *Iſacidarum*.

2. *Solymam*] De *Solyma* vide Notam in Pſal. ix. 11. *Solymam*.

Tela] De hujus vocis Etymologiâ vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela*.

4. Tu,

4. Tu, Deus! immanes ſuperas virtute leones,
Quos tegit in tetricis ſylva remota jugis.
5. Hoſtibus obrepſit ſopor; et, te vindice, dextræ
Diriguêre metu; prædoque præda fuit.
6. Vox ſimul intonuit cœli de vertice, currus
Impetus, et volucres vis ſua liquit equos.
7. Te tremit accenſo tellus: ultricibus iris
Quis queat et telis obvius ire tuis?
8. Cùm tua de cœlo populis mandata dediſti,
Conticuit ſacro Terra retenta metu:
9. Vidit et obſtupuit, Rex cùm cœleſtis egenis
Attulit optatam, dum premerentur, opem.
10. Te canet, hoſtili nuper quæ ferbuit irâ,
Turba ferox: reliquis protinus ora premes.
11. Concipe vota Deo, qui terret fulmine terras;
Quodque voves poſito, gens pia! ſolve dolo:
12. Munera fer Domino, qui colla tumentia faſtu
Proterit, et regum ſceptra pavore quatit.

ANNOTATIONES.

5. *Prædoqûe prædâ fuit*] Eſt *Paronomaſia*; ut apud Virgilium:

Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves
Troja fidem——Æn. ii. 160.

7. *Ultricibus iris*] *Iris* dicitur in plurali numero pro ſingulari, ut Pſal. x. 13. *Iras.*

9. *Vidit et obſtupuit*] *Terra* hîc ut Perſona depingitur et humanis affectibus induitur; ut apud Virgilium:

—*Prima et* Tellus *et pronuba Juno*
Dant ſignum: fulſere ignes et conſcius æther
Connubii——Æn. iv. 167.

10. *Reliquis ora premes*] Per *Antiptoſin* dicitur pro *ora reliquorum*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis.*

12. *Sceptra regum quatit*] Per *Hendiadyoin* dixit pro *Sceptratos rages quatit.* Vide de hac Figura Not. in Pſal. ii. 9. *Sceptro ferroque.*

LXXVII. VOTA

LXXVII.

VOTA meo supplex fudi Dominoque, Deoque;
Audiit ingenuas impiger ille preces.
2. Æger opem petii; sed nocte recruduit atrox
Vulnus, et auxilium respuit omne dolor.
3. Sidera suspiciens, implevi questibus auras;
Et mens curarum mole sepulta fuit.
4. Tristibus ex oculis somnum, Deus! excutis omnem;
Et dolor infestus non semel ora premit.
5. Sæpe, quod exegi, subit irreparabile tempus,
Et pede qui volucri præteriêre dies.
6. Plectra miser recolo, longæ solamina noctis;
Et mecum vigili sic ego mente queror:

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, ex duabus partibus constans: *Prior pars* continetur a versu primo ad nonum; *Posterior*, inde ad finem usque.

1. *Dominoque Deoque*] Hîc copula *que* redundat per Figuram quam vocant *Polysyndeton*, ut Psal. vii. 17. *Justumque Deum, Dominumque potentem.*

Ingenuas preces] *Ingenuus* propriè nativus, et opponitur manu factis, ut apud Lucretium:

Unde mare ingenui *fontes*——
suppeditant? Lib. i. 130.

Deinde apud antiquos *ingenui* erant legitimè suscepti, et spuriis oppositi. Deinde liberi et ex liberis nati: qui opponuntur Libertinis. Refertur denique quasi per *Metaphoram* ad ingenium, et dicitur de eo qui liberalis et minimè servilis ingenii sit. Exemplo sit Juvenalis:

Ingenui *vultûs puer*, ingenuique *pudoris*, Sat. xi. 154.

Preces ingenuæ igitur sunt quæ ex animo *ingenuo* proferuntur.

Audiit] Per *Syncopen* dicitur pro *Audivit*.

Impiger] Hîc adverbialiter dicitur pro *impigrè*; ut Psal. ii. 12. *Securus*.

2. *Petii*] Dixit per *Syncopen* pro *Petivi*.

Recruduit] *Recrudesco* propriè de vulneribus dicitur, quæ agitatione nimiâ, vel male purgatâ, interdum pejora et crudeliora, id est, cruda et nova fiunt. Ut apud Ciceronem: *Nunc autem hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quæ consanuisse videbantur*, recrudescunt, *Fam.* iv. 6.

3. *Implevi questibus auras*] Dicitur *auras* pro *aere*, ut Psal. i. 3. *Felicibus auris*.

4. *Ora*] Dixit *ora* in plurali numero, per *Heterosin*, pro *os* in singulari.

6. *Plectra*] *Plectrum* hîc ponitur pro ipsa lyra, per *Metonymiam* ut Psal xlix. 4. *Plectro*.

Subtrahit ora] *Ora* dixit pro *vultum*, ut Psal. vii. 5. *Ora*.

7. An Deus afflictis æternùm subtrahit ora?
   An solitam posthàc ferre negabit opem?
8. Illius an sumptis fugit Clementia pennis?
   An data sunt agili vota ferenda Noto?
9. Priscus an ex animo favor est erasus? Amoris
   An teneri famulis obstruit ira fores?
10. Hæc ego; sed mentem querulo malus abstulit error:
   Nunc recolam dextræ facta priora tuæ:
11. Hæc mihi succurrent annalibus eruta priscis;
   Jugiter hæc repetet mens pia, lingua canet.
13. Sunt operum fideique tuæ sacraria testes:
   Nec tibi par superâ regnat in arce Deus.
14. Inclyta fulmineam comitant miracula dextram:
   Et majestatis conscia terra tuæ est.
15. Tu, Deus! Isacidis, invicto robore cinctus,
   Dempsisti Pharii barbara vincla soli.
16. Te mare conspecto tremuit, fluctusque profundi;
   Protinus et positis obstupuêre minis.

Annotationes.

8. *Clementia*] Ponitur hîc *Clementia* personaliter per *Prosopopœiam*, ut Psal. i. 1. *Impietas.*

Vota ferenda Noto] De hac proverbiali locutione vide Not. in Psal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere* Noti.

10. *Hæc ego*] Subauditur *dixi*, *sensi*, vel ejusmodi verbum. Qualia multa passim apud autores occurrunt exempla, ut apud Virgilium:

Hæc secum: mene incepto desistere victam? Æn. i. 41.
Cantando tu illum? Ecl. iii. 25.
Et tantos audetis tollere montes?
Quos ego —— *Æn.* i. 139.

11. *Annalibus*] *Annales* nomen ab *annuus* derivatum. Inter *Annales* et historiam hoc interest: Historia est eorum temporum quæ vel vidimus, vel videre potuimus; dicta ἀπὸ τȣ̃ ἱςορεῖν, id est, *videre.* *Annales* verò sunt eorum annorum et temporum quæ ætas nostra non novit. Alii volunt Historias esse rerum gestarum vel expositionem, vel demonstrationem, vel quo alio nomine id dicendum est: *Annales* verò esse, quum res gestæ plurium annorum, observato cujusque anni ordine, deinceps componuntur. Fatendum verò utramque vocem promiscuè usurpari.

15. *Pharii soli*] Id est, *Ægyptii soli*: ut supra dictum ad Psal. lxxiv. 13. *Pharios.*

Vincla] Per *Syncopen* pro *Vincula.*

17. Nubi-

17. Nubibus e ruptis, imbres cecidêre ſonori;
Actaque præcipiti turbine grando ruit.
18. Fulmina terrebant, et mixta tonitrua flammis;
Et tremuit ſubito concita terra metu.
19. Tu mare calcâſti; tua ſed veſtigia delens
Obruit hoſtiles unda reducta rotas.
20. Auſpice te, ſacras Moſes cum fratre phalanges
Duxit, ut errantes per juga paſtor oves.

ANNOTATIONES.

19. *Calcâſti*] Per *Syncopen* ponitur pro *Calcaviſti*.
Rotas] Per *Synecdochen* dicitur pro *Currus*.

20. *Phalanges*] De hac voce vide Not. in Pſal. iii. 1. *Phalanges*.

LXXVIII.

SACRA cohors! monitis reſera cœleſtibus aures;
Et memori voces mente reconde meas.
2. Merſa diu tenebris populis oracula pandam;
Omnibus et priſci temporis acta canam.
3. Auribus acceptas, et, quas bene novimus omnes,
Res loquar, et ſancti quæ memorâſtis avi!

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Didacticus*, cujus ſummæ partes ſunt quatuor; *Exordium*, quatuor primis verſibus; *Propoſitio*, inde ad verſum decimum ſecundum; *Narratio*, inde ad ſexageſimum octavum; et *Concluſio*, inde ad finem uſque.

1. *Sancta cohors*] De voce *Cohors*, vide Not. in Pſal xxxiii. 1.

2. *Oracula*] Conſule de hac voce Not. in Pſal. xlix. 4. *Oracula*.

Canam] *Canere* de vatibus et oraculis dicitur, et idem ſignificat quod *prædicere* vel divinare; ut apud Virgilium:

— *Gallos in limine adeſſe* canebat, *Æn.* viii. 656.

Et quia *cano* tribuitur vatibus oraculiſque, inde, qui ſanctas et venerabiles res atque divinas docendo proponunt, auguſtiore veluti verbo, *canere* dicuntur, non dicere. Ita Boethius cum *Lib.* iii. in finem uſque diſputationem philoſophiæ de Deo et ejus bonitate retuliſſet, quartum his verbis auſpicatur: *Hæc cum Philoſophia leniter ſuaviterque* ceciniſſet, etc.

3. *Memorâſtis*] Per *Syncopen* pro *memoraviſtis*.

4. Abſit ut hæc ſeros celemus facta nepotes,
Miraque pollenti parta tropæa manu.
5. Jura ſuo populo Dominus, legeſque perennes,
Pactaque perpetuò commemoranda dedit.
6. Juſſit ut hæc ſoboli pietas et cura parentum
Proderet, et ſêclis ſêcla priora novis.
7. Sic Deus agnoſci, ſic ſpem fulcire piorum,
Sic populum voluit, quò jubet ille, ſequi.
8. Cura fuit, legum detrectans fræna rebelles
Æmula poſteritas ne ſequeretur avos:
Mens illis diſtorta fuit, nec cura, nec ullus
Numinis in bruto pectore ſenſus erat.
9. Cur tribus Ephræmi, gravidis incincta pharetris,
Terga dedit, primæ cùm cecinêre tubæ?
10. Scilicet infandis violârat fœdera dextris,
Spreverat et Domini juſſa tremenda ſui:
11. Merſerat et tenebris ſuperi miracula Regis,
Totque triumphatos, hoc præeunte, duces.
12. Quem fugiunt, coram proavis, quæ Conditor orbis
Edidit, ad portas, barbare Nile! tuas?
13. Hic mare diſſecuit, cumulataque murmure ſacro
Æquora ſecurum pandere juſſit iter.
14. Sol jubar ut pandit, rexit veſtigia nubes;
Noctis et in tenebris prævia flamma fuit.

ANNOTATIONES.

4. *Tropæa*] De voce *Tropæa* vide Not. in Pſal. xx. 5.

6. *Sêclis ſêcla*] Per *Syncopen* pro *Seculis, ſecula.*

9. *Pharetris*] Vide Not. in Pſal. xxv. 19. *Pharetratas.*

10. *Violârat*] Per *Syncopen* dicitur pro *Violaverat.*

12. *Barbare Nile*] *Nilus* Ægypti fluvius, a novo inferendo luto ſic dictus, nam *Nilum* dici volunt quaſi νέαν ἰλὺν, hoc eſt, novum trahentem limum, quo oblimet Ægyptum et oppleat. Eſt ſeptem oſtiis celebris. Unde Virgilius:

Et ſeptem gemini *turbant trepida* oſtia Nili,
Æn. vi. 800.

Naſcitur in monte inferioris Mauritaniæ, deinde condit ſe itinere aliquot dierum, rurſumque erumpit in Mauritaniâ Cæſarienſi. Iterum arenis receptus per deſerta viginti dierum ſpatio fertur ad proximos Æthiopas, et denuo proſilit fonte, qui Niger dicitur. Denique ſeptem oſtiis fertur in Mare Ægyptium.

15. Fluxit et e silicum venis arentibus humor,
Cotis et e medio flumina dulcis aquæ:
17. Non tamen abstinuit scelerum gens impia, rupes
Inter inaccessas, et loca senta situ.
18. Mente nefas meditans, accendit Numinis iras;
Ingluvies epulas dum petit atra novas:
19. Inque Deum linguas acuens, in finibus istis,
Delicias populo quas, ait, ille dabit?
20. Elicuit saxis latices; an munera farris,
Et, quas appetimus, proferet ille dapes?
21. Talibus accensus rerum Deus Arbiter, iræ
Strinxit in Isacidas tela timenda suæ:
22. Scilicet hæc superûm gens est diffisa Parenti,
Illius et nihili perfida duxit opem.
23. Ille tamen nubes reseravit, et horrea cœli;
Unde pluit liquidis æmula manna favis.
24. Desuper irrorans messes suffecit Olympus;
Omnibus Angelicas præbuit ille dapes.
25. His epulis populum Dominus cumulavit ab alto:
Quæque ligurivit fercula quisque tulit.

26. Illius

ANNOTATIONES.

15. *Cotis*] *Cos* lapis quo cultri acuuntur; sed ponitur etiam pro quovis saxo aspero atque abrupto. Ita Virgilius:

Nunc scio quid sit amor. Duris in cotibus *illum*,
Ecl. viii. 43.

17. *Abstinuit scelerum*] Est constructio Græca, qualia multa passim occurrunt exempla, ut in *Horatio:*

—Desine *mollium tandem* querelarum, 2 Car. ix. 17.

Loca senta situ] Exemplo præivit Virgilius:

Per loca senta situ *cogunt noctemque profundam*,
Æn. vi. 462.

De voce *senta* vid. Not. in Psal. xvi. 11. *Loca senta. Situs* est caries, mucor, squalor, ex humore parietibus adhærescens.

18. *Numinis iras*] Est pluralis pro singulari, ut in Psal. x. 13.

Ingluvies atra] Consule Not. in Psal. x. 10. *Atram ingluviem.*

20. *Elicuit saxis latices*] De voce *latices* vid. Not. in Psal. xxxvi. 9. *Vitales latices.*

21. *Tela*] Vide Not. in Psal. iii. 6. *Tela.*

22. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Superorum.*

Perfida duxit] *Perfida* hîc ponitur per *Enallagen* pro *perfide.*

24. *Suffecit Olympus*] De *Olympo* pro cœlo vid. Not. in Psal. xlix. 15. *Rector Olympi.*

25. *Ligurivit*] *Ligurire* dicitur

citur

26. Illius imperio, volucres hinc impiger Eurus,
Ponè ruens, castris intulit, inde Notus :
27. Si numeres, non tot vallatur littus arenis ;
Plura nec æstivus corpora pulvis habet.
28. Agminis aligeri circùm tentoria nubes
Decidit, et patulas texit ubique vias.
29. Talibus ingluviem gens hæc devota saginæ
Pavit, et optatus venit in ora cibus.
30. Crescebat scelerata fames ; semesaque frusta
Faucibus hærebant, cùm Deus ultor adest.
31. Ille saginatos, odio stipulatus et irâ,
Obruit Isacidas, Isacidûmque duces.
32. Non tamen hæc populi mutant miracula mentes:
Nempe sacris monitis derogat ille fidem.
33. Ergò Dei jussu gens hæc evanuit omnis,
Inter et ærumnas concidit ante diem.
34. Tot mala perpessus rediit, vigilique labore
Divinam populus poscere cœpit opem :
35. Tum subiit, quoties, cœlesti tectus asylo,
Spreverit instantem depuleritque necem.
36. Impia sed blandæ demens mendacia linguæ ;
Verbaque fundebat byssina texta dolo.

37. Blan-

ANNOTATIONES.

citur, qui eleganter et more senum, multo fastidio suaviora quæque degustat ; *ἀπὸ τȣ͂ λιγυρȣ͂*, quod secundum Græcos *suave* intelligitur. *Ligurire* rem aliquam dicitur pro appetere. Ut videre est apud Ciceronem : *Itaque cum quidam de collegis nostris agrariam curationem* ligurirent. *Fam.* xi. 21.

26. *Notus*] Vide Not. in Ps. i. 4. *Notus.*

28. *Agminis aligeri*] Ita Virgilius :

——— *turbamque sonantem*
Agminis aligeri ——
Æn. xii. 629.

29. *Devota saginæ*] *Sagina* est cibus quo quis pinguis efficitur, teste Juvenale:

—— *genialis agatur*
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Sat. iv. 67.

31. *Isacidûm*] Dixit per *Syncopen* pro *Isacidârum.*

33. *Ante diem*] De hac locutione vide Not. in Psal. lv. 23. *Ante diem.*

36 *Demens — fundebat*] Est adjectivum per *Enallagen* adverbialiter sumptum.

Verba byssina] *Byssinum* ex *bysso* factum ; *byssus* autem genus lini subtilissimi et pretiosi. *Byssina verba* metaphoricè dicuntur

37. Blanditias inter medias mens nescia recti,
Immemor et sancti fœderis usque fuit.
38. His tamen ignovit Deus, et quas sumpserat iras
Exuit, ultrices abstinuitque manus:
39. Scilicet humanæ subiit sors lubrica vitæ,
Æmula quæ venti, non reditura, fugit.
40. Irritata Dei quoties patientia victa est,
Invia dum populus per loca ferret iter?
41. Crevit et impietas, brevibus comprendere metis
Cùm majestatem Numinis ausa fuit.
42. Mentibus exciderant superæ miracula dextræ,
Et libertatem quæ dedit alma dies.
43. Nec subeunt animos Phariis quæ nuper in oris,
Inque Soanæo gesta fuêre solo.
44. Hîc Pelusiaco manârunt sanguine rivi;
Nec latices usquam, qui biberentur, erant.
45. Alta venenatis squallebant atria muscis;
Scandit et auratos lurida rana toros.
46. Bruchus edax segetes, vastârant arva locustæ:
Deciderant uvæ grandine, mora gelu.

48. Gran-

ANNOTATIONES.

cuntur mollicula et blanda quæ facilè ferant delicaturæ aures, quales ferè sunt regum: qui ut *byssinis* et mollibus vestimentis induuntur, ita *verbis byssinis* compellari solent.

Texta dolo] *Metaphora* sumpta ab arte textoria; quo modo stamini trama, ita byssinis eorum verbis dolis intexitur.

38. *Sumpserat iras*] *Iras* in plurali numero dixit pro *iram* per *Heterosin*, ut Psal. x. 13. *Iras*.

39. *Subiit*] Per *Syncopen* dicitur pro *subivit*.

41. *Comprendere*] Dixit per *Syncopen* pro *comprehendere*.

Metis] Vide Not. in Psalm. xliv. 15. *Nec modus est vel meta malis*.

43. *Phariis in oris*] De voce *Pharius* vide Not. in Psal. lxxiv. 13. *Pharios*

Soanæo solo] Id est in Ægypto, sic dicta a Soane sive Zoane urbe Antiquæ Ægypti, de qua Num. xiii. 22.

44. *Pelusiaco sanguine*] Id est Ægyptio, a *Pelusio* uno ex ostiis Nili, et civitate in quadam Ægypti parte, quæ Augustanica est appellata, prope Thebaidem. Hanc urbem condidit Peleus pater Achillis.

Manârunt] Per *Syncopen* dicitur pro *manaverunt*.

Latices] Vide Not. in Psal. xxxvi. 9. *Vitales latices*.

46. *Bruchus edax*] *Bruchus* est vermiculus haud dissimilis locustæ, herbas erodens, sine a-
lis

48. Grandine percussi, validi cecidêre juvenci;
Fulmine lanigeri disperiêre greges.
49. Numinis incaluit furor, invisosque Canopi
Tristibus est Geniis depopulatus agros.
50. Ira ferox sibi fecit iter; discrimine nullo,
Omnibus erosit viscera pestis atrox.
51. Mors cita primitias sobolis, floremque juventæ
Abstulit, et vires, maxime Nile! tuas.
52. At Deus Isacidas Phariis eduxit ab oris;
Pandit et insolitas per loca sola vias:
Perdius et pernox, inter deserta ferarum,
Sic solet imbelles ducere pastor oves.
53. Carpsit iter tutum populus, formidine pulsâ;
Cùm Pelusiacos obruit unda duces.
54. Appulit huc tandem, sacras ubi cernimus aras,
Culminaque æthereâ sub juga missa manu.
55. Gentibus ejectis, Deus illi tecta, laresque,
Et, distincta suis finibus, arva dedit.
56. Illa tamen rursus tentavit Numinis iras,
Fallere jurati fœderis ausa fidem.

ANNOTATIONES.

lis tamen. Dicitur *Bruchus* παρὰ τὸ βρύκειν, a comedendo.

48. *Disperiere*] Dixit per *Syncopen* per *Disperivere.*

49. *Canopi*] *Canopus* parva insula est Mediterranei Maris, Nili ostio, quod Canopicum vocant, obvia. Hîc ponitur pro Ægypto, ut etiam apud Juvenalem:

Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi, *Sat.* i. 126.

50. *Omnibus erosit viscera*] Per *Heterosin* dixit pro *omnium*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

51. *Maxime Nile*] De Nilo in versu decimo secundo jam dictum.

52. *Phariis*] Vid. Not. in Psal. lxxiv. 13. *Pharios.*

Ducere pastor oves] Pastores antiquitus viam præibant ovibus; quæ eos sequebantur, ut milites ducem.

53. *Carpsit iter*] Consule Not. in Psal. i. 1. *Carpit iter.*

Pelusiacos duces] De hac voce *Pelusiacus* supra dictum ad versum quadragesimum quartum.

Obruit unda] *Unda* hîc ponitur pro *undæ* per *Heterosin*, numerus singularis nempe pro plurali.

54. *Sub juga missa*] De *jugo* vide Not. in Psal. xlvii. 3. *Juga.*

55. *Laresque*] Consule Not. in Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

56. *Iras*] Est numerus pluralis pro singulari, ut Psal. x. 13. *Iras.*

57. Rursus

57. Rursus ad ingenium rediit, moresque priores;
Turbaque perjuris æmula vixit avis:
Cornibus adductis oculos sic decipit arcus,
Et facies subitò, quæ fuit antè, redit.
58. Stulta Superstitio, celsis in collibus, aras
Struxerat, et pictos est venerata Deos.
59. His Deus incensus, populum sibi fœdere junctum
Odit; et exsuperans nesciit ira modum.
60. Nec mora, Silonis fugiens sacraria, dixit,
Chara priùs tellus, nunc odiosa, vale!
61. Numinis et testis locuples, et fœderis index,
Præda peregrinis arca sacrata fuit.
62. Dumque suam contra sobolem Deus asperat iras,
Telaque, sacrilego sanguine tinxit humum.
63. Ignibus extincti juvenes cecidêre; puellæ
Festa novis thalamis carmina nemo dedit.
64. Ense sacerdotes periêrunt: nulla superstes,
Funera quæ fleret conjugis, uxor erat.

ANNOTATIONES.

57. *Rediit*] Per *Syncopen* dicitur pro *redivit*, ut infra in versu 59, *nesciit* pro *nescivit*.

58. *Stulta superstitio*] A superstite *superstitio* dicta, vitium nempe anicularum, quæ multis per ætatem superstites sunt, et quæ rebus inanibus addictæ, dum volunt videri nimis religiosæ, *superstitiosæ* fiunt, et ita delirant. *Superstitio* hîc personaliter sumitur, ut etiam in illo celebri loco Lucretii:

—— Superstitio
Horribili super aspectu mortalibus instans, Lib. i. 66.

60. *Nec mora*] Vide Not. in Psal. xxx. 2.

Silonis sacraria] In *Silone* diuturna fuit statio Arcæ, illicque capta fuit a Palæstinis, ut videre est 1 *Sam.* iv. 11. et propterea *Silo* dicitur *Sacraria Dei.*

61. *Testis locuples*] Id est *testis* bonus et magnæ auctoritatis, quem ipse Cicero gravissimum etiam vocat. Testes ex censu et facultatibus spectantur, quòd homines tenues et egentes facilè pretio ad falsum dicendum adducantur; contra, opulentos homines, dignos quibus credatur putamus.

62. *Asperat iras*] Vide Not. in Psal. x. 13. *Iras.*

Telaque] De hac voce *tela* vid. Not. in Psal. iii. 6. *Tela.*

64. *Funera quæ fleret conjugis*] Quia ut *jugi*, sic matrimonii quoque onera pariter ferenda sunt; hinc factum ut *jugi* vocabulum, et ea quæ a *jugo* veniunt, ad matrimonium et ad res matrimoniales passim transferantur.

65. Mox

65. Mox Deus evigilans æstum convertit in hostes:
Sic fremit a nimio militis ira mero.
66. Fossaque sunt illis inhonesto vulnere terga;
Turpis et æternùm venit in ora pudor.
67. Non tamen indulsit Siloni fœderis arcam;
Sacra nec Ephræmo sceptra ferenda dedit.
68. Prætulit his Judæ sobolem, sanctæque Sionis
Culmina, divini captus amore loci.
69. Sic sibi templa Deus posuit contermina cœlo,
Et duraturo tecta coæva solo.
70. Jessiadenque legens famulum sibi, linquere caulas
Jussit, et hirsutos lanigerosque greges.
71. Protinus huic sceptrum tribuit; moderator ut esset,
Ductor et Abramidûm, qui modò pastor erat.
72. Præfuit hic regno; vigil et Prudentia fasces,
Et solii Candor cinxit utrumque latus.

Annotationes.

65. *Fremit——militis ira*] Id est, *fremit iratus miles*, per Figuram quæ dicitur *Hendiadyoin*, de qua vide Not. in Psal. ii. 9. *Sceptroferreque*.

66. *Fossa sunt illis*] *Illis* hîc dicitur pro *illorum* per *Antiptosin*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis*.

Ora] Per *Synecdochen* pro *vultus*, ut Psal. vii. 5. *Ora*.

67. *Indulsit*] De hoc verbo vide Not. in Psal. iii. 8. *Indulges*.

Sceptra] Pro *Sceptrum* per *Heterosin* pluralis numeri pro singulari; ut Psal. ii. 6. *Sceptra*.

68. *Sionis*] De *Sione* consule Not. in Psal. ii. 6. *Sioni*.

70. *Hirsutos lanigerasque greges*] Est Periphrasis pro hircis et ovibus.

71. *Abramidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Abramidarum*.

72. *Prudentia—Candor*] Per *Prosopopœiam* hîc personaliter sumuntur, ut Psal. i. 1. *Impietas*.

Fasces] Consule Not. in Psal. xlvi. 10. *Fasces*.

LXXIX.

TELLURIS, cœlique Parens, et Rector! agellum
En tibi devotum barbarus hostis habet!
En

Annotationes.

Hic Psalmus est *flebilis*, constans ex tribus partibus: *Narratione*, usque ad versum quintum; *Petitione*, ad versum decimum secundum; et *Conclusione*, inde ad finem usque.

1. *In-*

En tua flagitiis inceſtat templa nefandis!
Et ruit arx Solymes, et jacet æqua ſolo.
2. Ah! gregis electi depaſcitur ilia vultur;
Dantur et infeſtis membra voranda lupis.
3. Mœnia cæde madent; undat per compita ſanguis:
Oſſa legit nemo; ceſpite nemo tegit.
4. Interea noſtras ridet gens accola clades:
Orbis et opprobrium, ludibriumque ſumus.
5. Ecqua tuas, rerum Genitor! lux finiet iras?
Ignis an in morem perpetis uſque fremes?
6. Numinis ignaros, et te qui poſcere votis
Detrectant, iræ fac documenta tuæ.
7. Segregis in populi jugulum, manus impia ferrum
Merſit, et eſt ſacros depeculata lares.
8. Mille modis premitur: tu quæ patravimus olim
Dele animo, promptam lenis et adfer opem.
9. Aſſere ſemineces, et nævos elue; laudes
Nominis ut celebrent terra fretumque tui.
10. Cur mala progenies ſic ſecum muſſitat, illud,
Quod colit Abramidûm natio, numen ubi eſt?
Ultor ades, populoque tuo ſpectante, rebelles
Obrue, qui noſtro ſanguine tela linunt.
11. Suſcipe captivi gemitus, mortiſque propinquæ
Impia pollenti vincula ſolve manu.

ANNOTATIONES.

1. *Inceſtat templa*] Ita Virgilius:
— *totamque* inceſtat *funere claſſem*, Æn. vi. 150.

Solymes] De *Solyma* vel *Solyme* vid. Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

5. *Lux*] Ponitur hîc pro dies per *Metonymiam*: ut Pſal. xxxiv. 21. *Optata luce.*

Finiet iras] *Iras* hîc ponitur pro *iram* per *Heteroſin* pluralis numeri pro ſingulari, ut Pſal. x. 13.

7. *Depeculata*] *Depeculari* a *peculio* deductum verbum, ſignificat propriè, ea quæ ad rempublicam, ſive principem, ſive ſacra pertinent, furari.

Lares] Vide Not. in Pſal. xviii. 45. *Sepoſitoſque lares.*

8. *Lenis*] Hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *lene*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

9. *Fretumque*] De *freto* conſule ſupra Not. in Pſal. xxx. 6. *Freta.*

10. *Abramidûm*] Per *Syncopen* dixit pro *Abramidarum.*

Tela] Vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela.*

12. Te

12. Te quibus adſperſit ſacræ gens accola terræ
Probra, Parens rerum! multiplicata refer.
13. Hôc tibi ſolenne reddet pro munere grates
Grex pius, et laudes concinet uſque tuas.

ANNOTATIONES.

13. *Grex Pius*] De voce *Grex* vid. Not. in Pſal. i. 1. *Grege.*

LXXX.

ADFER opem, Solymæ Paſtor! cui luce coruſcî
Spiritus hinc ales cingit et inde latus.
2. Prome jubar, vireſque tuas, ſpectante Manaſſâ,
Et patris Ephræmi, Benjaminique tribu.
3. Arbiter armorum! palantes collige; vultum
Redde tuum; vitam protinus ille dabit.
4. Quò furor uſque tuus, belli, Pater optime, Præſes!
Noſtra dabit levibus vota ferenda Notis?
5. Tu lachrymis epulas, lachrymis tu mixta dediſti
Pocula; nec fuit his meta moduſve malis.
6. Impia, quas patimur, riſit vicinia clades;
Motaque de ſpoliis rixa moleſta fuit.

7. Ar-

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *votivus*, diſtinctus in tres partes; prima eſt *Propoſitio*, a verſu primo ad quartum; ſecunda, *Expoſtulatio*, a verſu quarto ad nonum; tertia *Petitio*, inde ad finem uſque.

1. *Solymæ*] Vid. Not. in Pſal. ix. 14. *Solymæ.*

Spiritus ales cingit] Alludit ad *Shechinah* ſive ſymbolum gloriæ divinæ ſuper arcam et propitiatorium exhibitum, inter effigies duorum principum angelici ordinis.

2. *Spectante Manaſſa*] In Iſraelitarum profectionibus, tribus Ephraimi, Manaſſæ, et Benjamini proximè ſequebantur arcam fœderis, *Num.* xi. ob quam cauſam de his ſolummodo hîc loci fit mentio.

4. *Vota ferenda Notis*] De hac locutione vide Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere Noti.*

5. *Tu lachrymis — lachrymis tu*] Notetur hîc Figura quæ dicitur *Epanalepſis* in voce *tu*, per quam prior vox ſententiæ in fine repetitur: ut in Virgilio:

Multa *ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa,*
Æn. i. 754.

Et etiam *Anaphora* in voce *Lachrymis.*

Pocula]

7. Arbiter armorum! palantes collige; vultum
Redde tuum; vitam protinus ille dabit.
8. Gentibus excisis, hîc vinea floruit, arvis
Quam tua de Phariis transtulit antè manus.
9. Auspice te, Solymæ radices fixit in oris
Altiùs, et multo palmite texit humum.
10. Pampinus apricis induxit collibus umbras:
Sic viret in Libani cedrus amœna jugis.
11. Hinc erat Euphratis gelidæ contermina ripæ;
Æquoreis illinc brachia junxit aquis.
12. Cur, Deus! hanc septis viduas? cur, sepibus altis
Orba, viatorum carpitur illa manu?
13. Sævus aper vites violavit dente novellas;
Et rabidis uvæ præda fuêre feris.
14. Ergò redi, vitesque tuas de sede supremâ
Protege, victrici qui regis arma manu.
15. Quam tua consevit, quam fovit dextera, curæ
Sit tibi votivo vinea fœta mero.
16. Hanc populant ignisque vorax, ferrumque: furoris
Præda sumus miseri materiesque tui.

ANNOTATIONES.

Pocula] Ponitur hîc *pocula* pro vino in *poculo*, per *Metonymiam*, *continens* nempe pro *contento*, ut Psal. xl. 3. *Pocula*.

Meta] Vid. Not. in Psal. xliv. 15. *Nec modus est vel meta malis*.

8. *Phariis arvis*] Vide supra Not. in Psal. lxxiv. 13. *Pharios*.

9. *Multo palmite*] *Palmes* propriè est vitis surculus: nempe lignum illud quod ex ipsa stirpe quotannis emergit, et gemmas producit, quæ deinde in virgulas abeunt, et palmæ cujusdam digitos faciunt.

10. *Pampinus*] Significat folium vitis, vel ramusculum virentem.

Libani] De monte *Libano* vid. Not. in Psal. xxix. 5. *Libani*.

Apricis] *Apricus* homo, aut *aprica* avis, est sole gaudens; *apricus* locus, sole calens, quod est opaco et abdito contrarium. *Apricus* dicitur a Græco φρίκη, quasi ἄνευ φρίκης, i. e. *sine horrore*, videlicet frigoris.

11. *Euphratis*] De *Euphrate* consule Not. in Psal. lxxii. 8. *Vagus Euphrates*.

12. *Cur, Deus——cur sepibus*] Est *Anaphora* in voce *cur*, ut etiam in versu decimo quinto in voce *quam*.

16. *Ignisque—ferrumque*] Copula *que* hîc geminatur, et quidem redundat, per Figuram quam vocant *Polysyndeton*, de qua vide Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum — Dominumque*.

17. Tu tibi ſelectos ultrici protege dextrâ,
Viribus invictis quos tuus auxit amor.
18. Redde tuis vitam : ſic, quò tu juſſeris, omnes
Ibimus ; et laudes vox canet una tuas.
19. Arbiter armorum ! palantes collige ; vultum
Redde tuum ; vitam protinus ille dabit.

LXXXI.

QUISQUIS es, autorem vitæ ſuper æthera lætus
Effer ; et Iſacidûm carmina pange Deo.
2. Sidera vox feriat ; jungantur nablia voci,
Et fidibus teneræ plectra canora lyræ.
3. Clange tubâ, dum luna ſilet contermina ſoli ;
Feſtus erat ſanctis patribus ille dies.
4. Hanc tulit Iſacidis legem Deus ipſe Sionis ;
Nec populo lux hâc ſanctior ulla fuit.
5. Illa dies indicta fuit, cùm ſancta propago
Liquiſſet Pharii barbara regna ſoli.

Annotationes.

Hic Pſalmus eſt generis *didactici*, continens primo *Exordium*, a verſu primo ad quartum ; deinde *Narrationem*, inde uſque ad verſum decimum tertium ; poſtremo *Concluſionem*.

Lætus effer] *Lætus* hîc adverbialiter ſumitur pro *læte* per *Enallagen*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

Carmina pange] De hac dictione *carmen pangere* vide Not. in Pſal. ix. 11. *Pangite*.

2. *Nablia*] De *nablio* conſule Not. in Pſal. xxxiii. 2. *Nablia*.

Fidibus] Genus citharæ quæ et *chordæ*. *Fides* dicta quod tantum inter ſe chordæ ejus, quantum inter homines *fides*, concordent.

De *Plectro* jam dictum ad Pſal. xlix. 4. *Plectro*.

De *Lyra* vide Not. in Pſal. lvii. 8. *Lyræ*.

3. *Dum luna ſilet*] Luna *ſilere* dicitur quum non amplius apparet ſuper terram, utpote in interlunio, nobis non lucens. Plin. *Inter omnes vero convenit utiliſſime in coitu ejus ſterni, quem diem alii interlunium, alii* ſilentis lunæ appellant, *lib.* xvi. *cap.* 39.

4. *Sionis*] Vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sioni*.

Lux] Pro *Dies* per *Metonymiam*, cauſa nempe pro effectu, ut Pſal. xxxv. 21. *Optata luce*.

5. *Pharii*] Vide de hac voce Not. in Pſal. lxxiv. 13. *Pharios*.

Regna] Eſt *Heteroſis* numeri pluralis pro ſingulari, ut Pſal. ii. 6. *Sceptra*.

6. Huic

6. Huic ego ſuccurri Nili, Deus inquit, ad undas;
Faſce levans humeros, fictilibuſque manus.
7. Obſcurâ de nube tonans, ego, rebus in arctis,
Reſpondi votis; auxiliumque tuli:
Hujus et ingenium populi, moreſque probavi,
Cùm Meribæ querulis ora rigavit aquis.
8. Quiſquis es Iſacidûm! memori mea dicta recondе
Pectore, jurato nec mihi deme fidem.
9. Si mihi das aurem, me præter, vana Deorum
Nulla tibi finges Numina, nulla coles.
10. Te Peluſiaci duxi de carceris umbrâ,
Compede detracto: plus pete, plura dabo.
11. Hæc ego; ſed pelagi ſoboles mea ſurdior undis,
Aversâ monitus reſpuit aure meos
12. Ergò libidinibus juſſi dare fræna, ſuoque
Quemque rapi genio, conſilioque regi.
13. O utinam noſtris auſcultans vocibus Hebri,
Me duce, poſteritas inſtituiſſet iter!
14. Obvius iviſſem cuneis hoſtilibus, ipſos
Et mea juſſiſſem vincula ferre duces.

15. Hoſ-

ANNOTATIONES.

6. *Nili*] De *Nilo* vide Notam in Pſal. lxxviii. 12. *Nile.*

Faſce] De *Faſce* pro *onere*, conſule Not. in Pſal. li. 1. *Faſce.*

7. *Meribæ*] *Meriba* nomen loci, prope montem Horebum, ubi ſitientes Iſraelitæ contra ducem ſuum obmurmurârunt; unde nomen habuit, nam *meriba* Hebræis eſt *contentio*, Exod. xvii. 6.

9. *Nulla —finges — nulla coles*] Eſt *Anaphora* in voce *nulla*.

10. *Peluſiaci carceris*] De *Peluſiaco* pro *Ægyptio*, vide Not. in Pſal. lxxviii. 43. *Peluſiaco.*

Plus pete, plura dabo] Hic duplex caſus ejuſdem vocis *plus* in eadem ſententia occurrit: quæ Figura dicitur *Polyptoton*. Ut apud Ovidium:

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat——— Met. i. 141.

11. *Hæc ego*] Subauditur dixi aut ejuſmodi verbum, ut ſupra Pſal. lxxvii. 10.

Pelagi ſurdior undis] De hoc proverbio vide Not. in Pſal. xxii. 3. *Pelagi tu ſurdior unda es.*

12. *Dare fræna*] Conſule Notam in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans.*

14. *Cuneis hoſtilibus*] *Cuneus* eſt

15. Hostibus illa meis, omnis secura ruinæ,
Calcâsset domino colla superba pede.
16. Terra ferax illi messes fudisset opimas;
Dulcibus undâssent aspera saxa favis.

ANNOTATIONES.

est instrumentum ligneum vel ferreum, quo ad aliquid scindendum vel dividendum utimur. Per *Translationem*, *cuneus* sumitur pro peditum multitudine in *cunei* formam redacta, quæ cunctâ in acie primo angustior, deinde latior procedit.

15. *Hostibus calcâsset*] Est *Antiptosis* casûs tertii pro secundo, ut Psal. xxxii. 6. *Cui tempestivis.*

Omnis secura ruinæ] De hac constructione vide Not. in Psal. xxxii. 6. *Secura ruinæ.*

Calcâsset] Per *Syncopen* dixit pro *calcavisset*, ut in sequenti versiculo *undâssent* pro *undavissent.*

LXXXII.

CUM Pater æthereus solio consideret alto,
Purpureos inter sceptrigerosque choros:
2. Vestra cohors, inquit, quò leges proteret usque?
Et pendet trutinâ fasque nefasque pari?
3. Legibus armentur tenues, et patribus orbi:
Nec premat imbelles tincta cruore manus.
5. Sic ait: ast illis cæcâ caligine pectus
Cingitur, et lucem mens male sana fugit:
Hos

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, constans ex *Doctrina*, versu primo; *Reprehensione*, usque ad versum octavum; et *Precatione*, versu ultimo.

1. *Purpureos inter*, etc.] Est *Periphrasis* pro *Principibus terræ et regibus*, qui purpurâ indui et sceptra gestare imperii insignia solent.

Choros] Vide Not. in Psal. xviii. 10. *Chori.*

2. *Cohors*] Consule Not. in Psal. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

Trutina] *Trutina* propriè *Statera*, sed per *Translationem* ponitur pro *judicio*: Unde pensare pari *trutina* significat eodem examine, vel eadem æstimatione habere. Ita Horatius:

Si—Romani pensantur eâdem
Scriptores trutinâ---2 Ep. i. 30.

Fasque nefasque] Copula *que* hîc redundat, per Figuram quam vocant *Polysyndeton*, de qua vid. Psal. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

3. *Tenues*] De hac voce vide Not. in Psal. x. 2. *Tenuem.*

5. *Cingitur illis*] Est *Antiptosis* dativi casûs *illis* pro *illorum*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Luxato

Hos, ultrix ſcelerum, luxato cardine, tellus
Obruet, in priſcum ſponte relapſa chaos.
6. Hos ego, quos ſceptris decoravi, voce benignâ
Sæpe Deos dixi, progeniemque Dei:
7. Regia ſed raſtris æquabit ſceptra, tyrannis
Et vos cum reliquis mors violenta metet.
8. Tu, Deus! exſurgens, telluri jura miniſtra:
Quos habet hæc populos tu, Pater alme! regis.

ANNOTATIONES.

Luxato cardine] De *cardine* pro *polo* vide Not. in Pſal. xl. 3. *Gemino ſub cardine.*

7. *Tyrannis*] De hac voce conſule Not. in Pſal. vii. 2. *Impune tyranni.*

LXXXIII.

REBUS in adverſis, vocem ne ſupprime; rebus
In deploratis, ne, Deus! uſque ſile.
2. Gens inimica tibi furiis immanibus acta,
En! fremit, et criſtis cominus aſtra ferit.
3. En! coit, utque pios, ſolâ caligine tutos,
Opprimat, inſidias ſubdola mille parat.
4. Quin, ait, eruimus recutitæ germina gentis?
Ne qua Jacobæos natio jactet avos.
7. Te Dominum contra conſpirant nequiter omnes,
Et feriunt tacito fœdera ſæva dolo.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Votivus*, continens *Exordium*, verſu primo; *Propoſitionem*, a verſu ſecundo ad nonum; *Imprecationem*, inde ad finem uſque.

1. *In rebus deploratis*] *Deploratus* is dicitur, de quo conclamatum eſt, neque ei aliquo remedio ſuccurri poteſt.

2. *Gens inimica tibi*] Ita Virgilius:

Gens inimica mihi *Tyrrhenum navigat æquor*,
Æn. i. 71.

Cominus] *Cominus* hîc non eſt idem quod *prope*; ſed, ut ita dicam, *a prope*, vel *a propinquo loco*: unde *cominus ferire aſtra* denotat ſummum impietatis gradum, quaſi *manus conſerere cum ipſo cœlorum rege.*

Criſtis] De hac voce vide Not. in Pſal. ix. 19. *Tollat criſtas.*

5. *Feriunt fœdera*] *Ferire et icere fœdus*, eſt pacem componere. Ob id autem dictum quidam putant, quod dum antiqui fœdus et pacem ſolenni pompa cum hoſtibus inirent, porcam diis immolarent.

 6. Cum

6. Cum Nabathæorum populis conjurat Idume:
Cumque Moabæâ gens Agarena coit.
7. Gabala se Tyriis jungit, crudelis et Ammon;
Cumque Palæstinis fert Amalecus opem.
8. Advolat Assyriæ populus; Lothique nepotes
Impiger auxilio consilioque juvat.
9. Hos, Deus! exstirpa; pereant, Cissontis ad undas
Ut cecidit telis gens Madiana tuis:
Utque ruit subito transfixus Sisera ferro;
Quod tibi perniciem, sæve Jabine! tulit.

10 More

ANNOTATIONES.

6. *Nabathæorum*] *Nabathæi* a *Nabathæa* regione, quæ ab Arabia incipiens, quam intra se continet, usque ad Mare Rubrum a latere dextro, atque ex superiori mari in Indicum protenditur. Suo nomine appellâsse volunt filium Ishmaelis *Nabath*.

Conjurat Idume] De *Idume* vide Not. in Psal. lx. 8. *Idume*; ubi etiam de *Moabæa gente*.

Gens Agarena] *Gens* etiam Arabica sic dicta ab Hagare uxore Abrahami, unde originem habuit.

7. *Gabala*] Nomen regionis in Arabia, teste Stephano, Χώρα Ἀῤῥαβίας Γέβαλα; secundum alios erat urbs Phœniciæ.

Tyriis] De *Tyro*, unde *Tyrii*, vide Not. in Psal. xlv. 12. *Tyriæ*.

Ammon] Hic ponitur pro *Ammonæa* gente ab *Ammone* oriunda, quem genuit Lotus ex filiâ suâ minore natu. Hujus erat regio, nomine *Ammonitis*, quam Stephanus vult esse Cœlesyriæ, alii Arabiæ partem. Eam vero a septentrione claudit Moabæorum regio, interfluente rivo Jabboco, ab occidente flumen Jordanis, a meridie flumen Arnon, ab oriente Arabia deserta.

Palæstinis] Id est, incolis *Palæstinæ*, de qua regione consule Not. in Psal. xlviii. 11. *Palæstinæ*.

Amalecus] Pro *Amalecensibus* posteris *Amaleci*, quem genuit Eliphaz Esai filius primogenitus. Horum regionem, nomine *Amalecitim*, a septentrione clausit terra Cananæa, a meridie Ægyptus, ab oriente Idume, ab occidente deserta. Vide librum Anglicanum, cui titulus *Historia universalis*, Anno 1736. Tom. ii. p. 317.

8. *Assyriæ populus*] *Assyria* regio Asiæ majoris, quæ nunc Syria dicitur, habens ab ortu Indiam, ab occasu Tigrim fluvium, a meridie Medeam, a septentrione Caucasum: Dicta est autem Assyria ab Assur filio Sem.

Lothique nepotes] Per quos intelligit *Moabæos* et *Ammonæos*, de quibus antea.

9. *Cissontis ad undas*] *Cisson* rivulus oriens prope urbem Naim inter montes Hermon et Tabor, unde per spatium circiter triginta millium passuum in mare Mediterraneum fertur. Ad hunc

fluvium

10. More fimi, campos texêre cadavera : cladis
Hujus et Endoræ confcia terra fuit.
11. Ut Zebus, et Zebeas, et Zalmana junctus Orebo,
Sic pereant, populus quos habet ille, duces.
12. Ad facra, dixerunt, properemus limina templi,
Limina victrici mox fubigenda manu.
13. Hos age, rerum Opifex! et verfa vindice dextrâ;
More levis paleæ, præcipitifque rotæ.
14. Ut vaga piniferas vaftant incendia fylvas;
Ut furit in fummis ftridula flamma jugis:
15. Sic tu facrilegum populum crepitante procellâ,
Et fera fulmineo turbine caftra quate.
16. Inquinet ora pudor; mens dum ftupefacta malorum
Mole, tuam tandem pofcere difcat opem.
17. Turpibus opprobriis, et fluctibus obrue vaftis;
Et pereant: merfos nec levet ulla dies.

ANNOTATIONES.

fluvium Jabini exercitus prœlio devictus: de quo vide *Jud.* iv. 7. 24.

Gens Madiana] *Madiani* five *Midiani*, ut vulgo dicuntur, originem duxerunt a *Midian* quarto Abrahami filio et Ketura; incolebant eam Arabiæ partem quæ a feptentrione habet Moabæorum regionem, a meridie Mare Rubrum, ab occidente Idumæam, ab oriente incertis limitibus.

Sifera] *Sifera* Jabini exercitûs imperator ab Ifraelitis olim profligatus.

Sæve Jabine] Jabinus Cananæorum Rex ad flumen Ciffontem ab Ifacidis devictus.

10. *Endoræ*] *Endora* urbs fita ad radices montis Hermon ubi ifta ftrages facta.

11. *Zebus, Zebeas, et Zalmana junctus Orebo*] Hi omnes gentis Madianæ principes fuere, et copiarum duces, quas delevit Ifraelitarum exercitus, duce Gideone, *Jud.* vii. 25. viii. 12.

Zebus, et Zebeas, et Zalmana] Hîc copula *et* redundat per Figuram quæ dicitur *Polyfyndeton*, de qua vide Not. in Pfal. vii. 17. *Juftumque Deum*, etc.

12. *Limina templi, limina*] Notetur hîc elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ confule Not. in Pfal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi——fceptra.*

18. Ul-

18. Ultor ades, qui jura regis: ſic maximus orbis
Te Dominum, ſolum te ſciet eſſe Deum.

ANNOTATIONES.

18. *Maximus orbis*] Ita Virgilius:

——*Et te* maximus orbis
Accipiat, ——Georg. i. 26.

Te Dominum—te—Deum] Eſt *Anaphora,* de quâ ſupra dictum ad Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—ſceptra.*

LXXXIV.

O Quibus illiciis, belli, Deus, inclyte Præſes!
O quibus imperiis me tua templa trahunt!
2. Cor micat; exſultant fibræ; vox infremit, illis
Dum ſimul et ſacro numinis ore fruar.
3. Ponè tuas habitat belli, Deus, Arbiter! aras
Paſſer; et hîc cunas paſcit hirundo ſuas.
4. O felix nimiùm, tua qui colit atria! laudes
Ille tuas jugi voce ſub aſtra feret.
5. Audiet et felix te quiſquis fidit; et ille
Qui comes it populo, dum tua templa petit.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Votivus,* continens primo *Propoſitionem,* uſque ad verſum octavum; deinde *Petitionem,* ad verſum decimum ſecundum; poſtremo, *Concluſionem,* verſu ultimo.

1. *O quibus illiciis— o quibus imperiis*] Eſt elegans *Anaphora* et *Exclamatio.*

2. *Cor micat*] De hac dictione vide Not. in Pſal. lv. 4. *Cor micat.*

Fibræ] Jecoris et cordis et cujuſcunque viſceris extremæ partes, *fibræ* dicuntur; nam antiqui *fibram* dicebant *extremum.*

Cor micat; exſultant fibræ; vox infremit] Hîc reticetur copula per *Aſyndeton,* quo melius ardorem animi exprimat.

3. *Cunas*] In hac voce duplex eſt Figura, (1) *Metaphora,* nam *cunæ* proprie ſignificat *infantium lectum,* et hoc in loco *avis nidum.* (2) Nidus, per *Metonymiam,* ponitur pro pullis in nido, Continens, ut loquuntur Grammatici, pro Contento. Hâc Figurâ uſus eſt Virgilius, *Georg.* iv. 17. ubi, loquens de aviculis quæ apibus alunt fœtus in nidis, ſic ait:

—— *Ipſaſque volantes*
Ore ferunt, dulcem nidis *immitibus eſcam.*

4. *Felix nimiùm*] De hoc adverbio *nimiùm* vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimiùm.*

Sub aſtra] Vide Not. in Pſal. iii. 3. *Sub aſtra.*

5. *Audiet felix*] De hac locutione vide Not. in Pſal. lxxii. 17. *Audiet hic felix.*

6. Quà feret hic greſſum, ſontes dabit arida vallis;
Inque cavas foſſas depluet agmen aquæ.
7. Inſtaurabit iter vires; et, Numinis ora
Viſurus, Solymæ figet in æde pedem.
8. Tu, qui bella regis, Solymam qui protegis armis,
Cœli Opifex! famuli fac rata vota precor.
9. Adſpice nos placidus, clypei quos protegis umbrâ;
Et ſimul in Chriſtum lumina fige tuum.
10. Quàm domus, alme Parens, tua me delectat! in illâ eſt
Mille mihi ſêclis gratior una dies:
Aurea purpurei ſibi ſervent atria reges;
Hîc potiùs cuſtos liminis eſſe velim.
11. Te fas eſt clypeum, te fas eſt dicere ſolem;
Tu decus, et vitæ præmia certa dabis:
Candida cui mens eſt, et purum crimine pectus,
Hunc honor, ingentes hunc comitantur opes.

Annotationes.

6. *Agmen aquæ*] Ita Virgilius:

Sæpe etiam immenſum cælo venit agmen aquarum,
Georg. i. 322.

Agmen verò pluviæ tribuitur, quia gutta poſt guttam cadit atque agitur, inſtar exercitûs agminatim procedentis.

7. *Ora*] Ponitur per *Synecdochen* pro *vultu*, ut Pſal. vii. 5. *Ora*. Et per *Heteroſin* numerus pluralis pro ſingulari.

Solymæ] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

9. *Adſpice placidus*] *Placidus* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *placidè*; ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

Chriſtum] *Chriſtus* eſt vox Græca, quæ Latine ſonat *Unctus.*

10. *Sêclis*] Ponitur hîc per *Syncopen* pro *Seculis.*

11. *Te fas eſt—te fas eſt*] Eſt *Anaphora*, de qua Figura vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi —— ſceptra.*

Candida] De hac voce vide Not. in Pſal. iv. 1. *Candida.*

Hunc honor,—hunc] Eſt hîc etiam *Anaphora.*

Fas eſt] Eodem ſenſu hîc ſumitur quo apud Virgilium:

—— *Mihi juſſa capeſcere* fas eſt, *Æn.* i. 81.

12. O Pa-

12. O Pater armipotens! te quisquis nititur uno,
Hic mihi felices inter habendus erit.

ANNOTATIONES.

12. *Pater armipotens*] Hoc epitheton *Armipotens* respondet Hebræo *Tzebaoth*, *Dominus exercituum*, quippe cujus ad nutus turmæ supernæ et inferæ vigilant; ad ultionem scelerum Pestes, Gladii, Fames, omnia mala sive externa vel interna, quasi accincti numinis ministri semper adsunt.

LXXXV.

TU, Deus, Isacidûm ditâsti messibus arva:
Te duce, Niliaci liquimus antra soli.
2. Agminis electi tua quondam gratia nævos
Texit, et æquoreis crimina mersit aquis.
3. Quâ priùs ardebas, tandem deferbuit ira,
Et minus antiquæ jam feritatis habet.
4. Da reduces tua castra sequi; custosque fidelis!
Quod superest iræ perpete nocte preme.
5. Nullane conceptam restinguent secula bilem?
Nullane fulminei meta furoris erit.
6. Nec solitas unquam vires, vitamque reduces,
Gestiat ut vultu mens animata tuo?

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *mixti*, partim *Votivus*, partim *Didacticus*: itaque duæ sunt illius partes; *Precatio*, usque ad versum octavum; et *Prophetia*, inde ad finem Psalmi.

1. *Isacidûm ditâsti*] *Isacidûm* pro *Isacidarum*, et *ditâsti* pro *ditavisti* per *Syncopen*.

Niliaci soli] Pro Ægyptii soli, a Nilo celebri Ægypti flumine, de quo vid. not. in Psal. lxxviii. 12. *Barbare Nile*.

3. *Deferbuit ira*] *Defervere* proprie est *fervorem remittere*, et ad hominem transfertur, pro mitescere et placidum fieri. Ut apud Terentium: *Sperabam jam deferbuisse Adolescentiam*, Adel. i. ii. 72. Translatum est a vino in dolio fervere desinente, quod jam austeritatem accipit: quæ austeritas ad judicium jam maturum transfertur.

4. *Reduces*] De voce *Redux* consule Not. in Psal. xiv. 7. *Reduci*.

5. *Bilem*] *Bilis* propriè *cholera*, quæ *flava bilis* dicitur: pro indignatione sæpius usi non tantum Poetæ, sed alii etiam auctores. Ut Cicero:
Si, ut scribis, bilem *id commovet*,
Ad Att. ii. 7.

7. Adfer

7. Adfer opem, patriique jubar diffunde favoris:
Pace, Deus! niveâ te comitante, veni.
8. Desuper expecto vocem: si turpia vitant,
Mentibus illa piis nuntia pacis erit.
9. Vicinam promittet opem metuentibus iras
Numinis, et Solymæ clara tropæa jugis.
10. Ibit in amplexus alacris Clementia Veri;
Oscula Justitiæ Pax quoque blanda dabit.
11. Altiùs è terris Verum caput efferet: Æquum
Exseret os cœlo, despicietque solum.
12. Pandet et astriferi rerum Pater horrea cœli;
Et sata, cum multo fœnore, reddet ager.
13. Prævia Cœlicolûm Regi Pax aurea passim
Ibit, et optatas pandet ubique vias.

ANNOTATIONES.

7. *Pace*] *Pax* hîc personaliter exhibetur, ut supra Psal. i. 1. *Impietas*.

9. *Iras*] Pro *Iram* per *Heterosin* pluralis numeri pro singulari, ut Psal. x. 13. *Iras*.

Clara tropæa] De significatione et Etymo vocis *Tropæa* vid. Not. in Psal. xx. 5. *Læta tropæa*.

10. *Clementia, Veri, Justitiæ, Pax*] Hæ omnes Virtutes hîc personaliter, more Poetico, sumuntur. Ut Psal. i. 1. *Impietas*.

13. *Cœlicolûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Cœlicolarum*.

Pax aurea] De hoc epitheto *Aurea* vide Not. in Psal. vii. 7. *Aureus*.

LXXXVI.

TENDE meis aurem, cœli Rex optime! votis:
Advolvor genibus pauper inopsque tuis.
2. Protege nunc vitam famuli, non digna ferentis:
A te, quam posco, spes mihi pendet opis.
3. Fer, Deus! auxilium, semperque salutifer adsis:
Te Dominum supplex nocte dieque voco.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Votivus*, ex quatuor partibus constans: prima est *Petitio salutis, a persona supplicis*, ad versum sextum; secunda, *a persona Dei*, usque ad versum decimum quartum; postrema, *Conclusio*, inde ad finem usque.

3. *Supplex voco*] *Supplex* hîc dicitur adverbialiter per *Enallagen* pro *suppliciter*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

4. Tu

4. Tu famulum recrea, dum cingunt undique ſyrtes:
Spes mea te ſolum, quem tueatur, habet.
5. Supplicis, abjectâ quâ mens excanduit irâ,
Te miſeret; bonitas et tua fine caret.
6. Te precor, exaudi gemitus et vota precantis;
Ne pereat pelagi ſpes mea merſa vadis.
7. Cùm premar adverſis, te poſcam ſupplice voto:
Aure, Deus! facili tu mea verba leges.
8. Par tibi nemo Deûm eſt; nec ſunt miracula, Divi
Quæ reliqui jactant, æquiparanda tuis.
9. Te, Deus, Autorem rerum canet ultimus orbis;
Seque ſui ſternet Principis ante pedes.
10. Majeſtas immenſa tibi eſt; miracula captum
Exſuperant: ſolus tu, Deus! aſtra regis.
11. Tu mihi pande viam; tu greſſus dirige; firma
Pectus, ut intrepidus, te duce, recta ſequar.
12. Sic ego te toto celebrabo pectore; carmen
Et mihi perpetuum tu, Deus! unus eris.

ANNOTATIONES.

4. *Undique ſyrtes*] *Syrtes* ſunt loca circa fines Africæ, Ægyptum verſus perículoſiſſima, de quibus vide Not. in Pſal. xxvi. 9. *Vadis.* Hîc verò ſumitur per *Tranſlationem,* pro periculis in genere; ut apud Horatium:

Sive per Syrteis *iter æſtuoſas,*
Sive facturus ———
I Carm. xxii. 5.

5. *Excanduit ira*] *Excandeſcere,* vehementer incendi, inflammarique. Unde transfertur ad iram; quod eâ, velut igne, animus incendatur.

6. *Vadis*] De hac voce vide Not. in Pſal. xxvi. 9. *Vadis.* Hîc verò ponitur pro aquis in genere: ut apud Virgilium:

Litus ad Auſonium tot per vada *cærula vexit,* Æn.vii.198.

7. *Tu mea verba leges*] *Lego* propriè idem ſignificat quod compoſitum *colligo,* teſte Virgilio:

Qui legitis *flores, et humi naſcentia fraga,*
Ecl. iii. 92.

Et per *Tranſlationem, legere ſermonem alterius* pro *attentius audire* et *accipere,* ut apud Plautum:

Nunc huc concedam, ut horum Sermonem legam,
Pſeud. Ac. i. Sc. iv. 21.

8. *Deûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Deorum.*

9. *Sternet ante pedes*] De hoc ritu vide Not. in Pſal. v. 7. *Illuſtres* ſternar *et* ante pedes.

11. *Tu mihi pande—tu greſſus*] Eſt hîc *Anaphora* in *tu,* de qua vide Not. in Pſalm. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—ſceptra.*

Intrepidus recta ſequar] *Intrepidus* hîc ponitur adverbialiter pro *intrepidè,* per *Enallagen*; ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

13. Fine carens, bonitas tua me defendit: opaco
Me tuus e lethi carcere traxit amor.
14. Ah! quoties in me vesano turgida fastu,
Contemptrixque tui, gens violenta ruit!
15. Sed tibi, Cœlicolûm Rector! mens segnis ad iram;
Et memor est pacti, pollicitique tenax.
16. Respice me famulum; letho, Deus! eripe vernam;
Neve ruam, vires jugiter adde novas.
17. Hostis in opprobrium, veteris da pignus amoris,
Et patrocinii lucida signa tui.

ANNOTATIONES.

13. *Lethi*] De hujus vocis Etymo vide Not. in Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus.*

14. *Violenta ruit*] *Violenta* ponitur etiam hîc adverbialiter per *Enallagen* pro *violenter.*

15. *Cœlicolûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Cœlicolarum.*

16. *Vernam*] *Verna* propriè est servus domi nostræ natus ex ancilla nostra aut servo. *Vernas* veteres appellabant, qui *vere* sacro fuerant nati: et habebatur nomen hoc pro vitabili maledicto.

LXXXVII.

ECCE Sionæas insertas nubibus arces!
Et Solymæ sacris mœnia nixa jugis!
2. Urbibus hanc præfert quot habet stirps inclyta Judæ:
Hanc in deliciis Conditor orbis habet.
3. Fama tuos titulos totum diffundit in orbem,
Urbs sacra! divinâ quæ fabricata manu es.
4. Civibus addentur Solymæ Babylonis alumni;
Confluet huc populus, barbara Memphi! tuus:

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, constans ex *Propositione laudis*, ad versum septimum; et *Conclusione*, versu ultimo.

3. *Fama*] Ponitur hîc personaliter; ut apud Virgilium:
Extemplo Libyæ magnas it Fama *per urbes*,
Æn. iv. 173.

4. *Babylonis*] *Babylon* Mesopotamiæ urbs est, Chaldæorum gentium caput, quæ summam claritatem obtinuit in toto orbe: propter quam reliqua pars Mesopotamiæ, Assyriæque Babylonia appellata est. Muri ambitum habebant trecentorum et octoginta quinque stadiorum:

Janĉta Palæſtinæ Tyrus huc concedet, et ipſi
Æthiopes, ſacri pars aliquanta gregis.
5. Nobilis hic Solymæ civis dicetur, et ille:
Hanc Deus imperio muniet ipſe ſuo.
6. Et populum quoties ſuperâ cenſebit ab aulâ,
Dicet, hic eſt urbis civis et ille meæ.
7. Efferet hanc linguis populus, fidibuſque canoris ;
Et mea victurum vox canet alta melos.

ANNOTATIONES.

quorum altitudo pedes ducenti: latitudo quinquageni.

Barbara Memphi] De *Memphi* vide Not. in Pſal. lxviii. 31. *Memphis*.

Palæſtinæ] De *Palæſtina* conſule Not in Pſal. xlviii. 11. *Palæſtinæ*.

Tyrus] De *Tyro* ſupra dictum ad Pſal. xliv. 12. *Tyriæ*.

Æthiopes] *Æthiopiæ* incolæ, de quâ regione vid. Not. in Pſal. lxviii. 31. *Æthiopûm*.

5. *Solymæ*] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam*.

7. *Fidibuſque canoris*] De *Fidibus* vide Not. in Pſal. lxxxi. 2. *Fidibus*.

Alta canet] *Alta* ponitur hîc adverbialiter per *Enallagen* pro *altè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

LXXXVIII.

FONS opis et vitæ! ſupplex tibi nuncupo vota,
Pallida ſeu nox eſt, ſeu nitet orta dies.
2. Jugibus inclina facilem clamoribus aurem ;
Nec famuli tetricâ deſpice fronte preces.
3. Cladibus indignis, et fluctibus undique cingor ;
Jamque meas pulſat mors inopina fores.
4. Manibus adſcribor gelidis, et inanibus umbris ;
Priſtinus et liquit flaccida membra vigor :

ANNOTATIONES. 5. Sic

Hic Pſalmus eſt generis *Didactici*, ex tribus partibus conſtans: primo *Exordio*, duobus primis verſibus ; ſecundo, *Propoſitione*, inde ad verſum decimum uſque ; poſtremo, *Expoſtulatione*, ad finem Pſalmi.

1. *Supplex nuncupo*] *Supplex* hîc ponitur adverbialiter pro *ſuppliciter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

Pallada ſeu nox eſt, ſeu, etc.] Eſt *Periphraſis* pro *nocte* et *die*.

3. *Jamque meas pulſat*] Reſpicere videtur ad illud Horatii:
Pallida mors *æquo* pulſat *pede pauperum tabernas*
Regumque turres,——
1 Carm. iv. 13.

4. *Manibus adſcribor gelidis*] *Manes* ſumuntur et pro mortuorum

rum

5. Sic jacet exſanguis tumuli ſub fornice, cuſpis
Quem fera legitimum meſſuit ante diem:
Hunc, ubi conceſſit fatis, de pectore deles
Protinus; extincti cura nec ulla ſubit.
6. Ah! miſer inferni ſpeluncâ condor in imâ:
Et tenebras inter, vita trahenda mihi eſt.
7. Fluctibus innumeris miſerum caput obruis, iræ
Dum nimìs indulges libera fræna tuæ.
8. Me fugiunt ſocii; me deteſtantur amici,
Squallida dum duri carceris antra colo.
9. Triſtibus ora madent lachrymis; ad ſidera palmas
Dum levo, te Dominum dum ſine fine voco.
10. Tune tuas famuli promes in funere vires?
An poſt exequias te canet umbra redux?
11. An fidei tumulus putris, et ſine nomine corpus,
An cinis extinctus pignus amoris erit?

12. Juſ-

ANNOTATIONES.

rum animis, pro loco ipſo inferorum, ubi animi degunt, et pro Diis ipſis inferorum. De iis ita philoſophatur Apuleius de Deo Socratis. Statuit, I. *Animos illos generatim dici* Lemures. II. *Ex his* Lemuribus, *qui poſterorum curam ſortitus*, Larem *dici familiarem.* III. *Qui propter adverſa vitæ merita, in terra quodam quaſi exſilio puniebatur, inane terriculamentum bonis, noxium malis*, Larvam *dici.* IV. *Cum incertum erat, quæ cuique ſortitio evenisſet, utrum* Lar *eſſet, an* Larva; Manem *Deum nuncupari. Manes* porro dictos putant, vel a *manando*, quia manant et diſcurrunt per auras; vel ab antiqua voce *manus*, hoc eſt, *bonus.*

Umbris] Vide Not. in Pſal. xxx. 3. *Pallentibus umbris.*

5. *Tumuli*] Vide de hac voce Not. in Pſal. xvi. 9. *Tumulo.*

Ante diem] De hac locutione vide Not. in Pſal. lv. 23. *Ante diem.*

Conceſſit fatis] Dicitur hîc *fatis* in plurali numero pro *fato* in ſingulari; *fatum* verò interdum ponitur pro *morte*, ut Pſal. xxxi. 13. *In mea fata.*

7. *Fluctibus*] Vide Not. in Pſal. ix. 13. *Adſpice fluctus.*

Indulges libera fræna] De hac locutione vide Not. in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans.*

8. *Me fugiunt—me deteſtantur*] Eſt *Anaphora* in voce *me.*

Deteſtantur] *Deteſtari* eſt deprecari quaſi malum omen; ut apud Ciceronem: *De proximo bello civili non libet dicere: ignoro cauſam*; deteſtor *exitum*, Phil. vii. 3. Significat etiam avertere, propulſare: ut idem Cicero: *O Dii immortales! avertite, et* deteſtamini, *quæſo, hoc omen*, Phil. iv. 4.

10. *Umbra*] Vide Not. in Pſal. xxx. 3. *Pallentibus umbris.*

11. *Et ſine nomine corpus*] Ita

12. Justitiamne tuam celebrabunt carmine manes?
Fortia vel tenebræ facta sub astra ferent?
13. Te tamen oravi supplex; semperque vocabo;
Orta dies croceis dum fugat astra rotis.
14. Ah! Deus, ah! animam mediis cur linquis in undis?
Cur tua jactatæ subtrahis ora rati?
15. Me mala, me teneris mors circumsepsit ab annis;
Et tua me trepido perculit ira metu.
16. Obrutus his perii; dejectus ab æthere nimbus
Intempestivis sic fata mergit aquis.
18. Quos mihi junxit amor, socii fugêre, tribules
Et simul in tenebris delituêre mei.

ANNOTATIONES.

Ita Virgilius:
—*Jacet ingens litore truncus*
Avulsumque humeris caput, et
sine nomine corpus,
Æn. ii. 558.

12. *Manes*] De *Manibus* vide supra Not. in versum quartum, *Manibus adscriber gelidis.*

Sub astra] De hac dictione vide Not. in Psal. iii. 3. *Sub astra.*

13. *Orta dies*] *Dies* hîc ponitur per *Metonymiam* pro *sole,* ut ut Psal. i. 2. *Roseo seu micat axe dies.*

Croceis —rotis] *Croceis* a *Croco,* Anglicè Saffron, est coloris flavi rubescentis; qualem exhibet aurea lux matutina sub ortum solis. Unde Virgilius auroræ cubile *croceum* appellat:
Tithoni croceum *linquens Aurora cubile,* Georg. i. 447.

Rotis] Per *Synecdochen* pro *curru.*

14. *Subtrahis ora*] *Ora* per *Synecdochen* pro *vultum,* ut Psal. vii. 5.

18. *Tribules*] De hac voce, consule Not. in Psal. xxi. 6. *Tribules.*

LXXXIX.

TE Dominum, Pater alme! canam, fidumque, bonumque;
Audiet et numeros ultima terra meos.

2. Cer-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus,* tres summas partes continens; prima est *Laudatio Dei,* usque ad versum trigesimum octavum; secunda *Expostulatio,* ad versum quinquagesimum; postremo, *Conclusio,* versu ultimo.

1. *Alme*] Vide Notam in Psal. xii. 1. *Alma.*

Fidumque bonumque] Copula *que* hîc redundat, ut Psal. vii. 17. *Justumque Deum, Dominumque potentem.*

Audiet et numeros] De *numeris*

2. Certus amor, dixi, tuus eſt, bonitaſque perennis;
Et fidei cœli regia teſtis adeſt.
3. Cum tibi dilecto pepigiſti Davide fœdus;
Summaque jurati fœderis iſta fuit.
4. Progenies, ſoliumque tuum durabit, in orbe
Semita dum lunæ, dum via ſolis erit.
5. Sancte Parens! tua facta polus, tua fœdera tellus
Efferet; et populi quos tuus urit amor.
6. Par tibi quid Superûm ſublimia tecta, ſecundum
Quem tibi purpureo de grege terra dabit?
7. Grex ſacer attonitus te ſpectat; et agmina cœli,
Poplite curvato, te venerantur Herum.
8. Arbiter armorum! quis te vel viribus æquat?
Fœdera vel ſervat candidiore fide?
9. Te penes imperium eſt pelagi: tua juſſa capeſſens,
Sponte procelloſi ſternitur unda maris.
10. Foſſa tuis cecidit pubes Mareotica telis;
Tergaque nudavit gens inimica fugæ.
11. Te Dominum tellus, autorem ſuſpicit æther;
Et quidquid tellus, quidquid et æther habet.
12. Vox tua ſublimi Boream deduxit ab Arcto;
Et pluvios humili miſit ab axe Notos:

Geſtit

ANNOTATIONES.

ris pro ratione harmonica vide Not. in Pſal. v. 11. *Numeris.*

4. *Semita dum lunæ,* etc.] Eſt elegans *Periphraſis* pro eo quod eſt *ſemper* et *in perpetuum.*

5. *Tua facta polus*] *Polus* hîc ponitur pro toto cœlo, per *Synecdochen,* ut Pſal. xviii. 12. *Micare polus.*

6. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſuperorum.*

Purpureo de grege] Eſt *Periphraſis* pro *Regibus* et *Principibus,* quorum erat purpurâ indui.

10. *Pubes Mareotica*] Id eſt juventus Ægyptiaca, a *Marea,* vel *Mareotide* lacu in Ægypto.

Telis] Vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela,*

12. *Boream*] De *Borea* vide Not. in Pſal. xlviii. 2. *Boream.*

Sublimi arcto] *Arctus* vox Græca ἄρκτος, Latine *Urſa,* ſignum cœleſte. Duplex eſt, major et minor: utraque circa polum ſeptentrionalem, qui inde vocatur *Arcticus.* Hîc ponitur pro ipſo polo, et *ſublimis* dicitur, quia hic polus ſupra horizontem elevatur ſeptentrionales terræ plagas habitantibus; dum alter polus, contra, deprimatur, et *humilis* ſit.

Axe] *Axis* pro *polo,* ut Pſal. xxxiii. 8. *Gemino ſub axe.*

Pluvios Notos] De *Noto* jam dictum ad Pſal. i. 4. *Notus.*

 Ovans]

Geſtit ovans Hermon, te geſtit principe Tabor:
Hic Zephyris, Euro proximus ille levi.
13. Eſt tua per cunctas diffuſa potentia terras:
Cunctaque pollenti robore dextra regit.
14. Sunt comites jus faſque tui; ſolioque perenni,
Hinc ſine labe Fides adſtat, et inde Salus.
15. O felix, tua quem delectat buccina! vultûs
Ille tui fretus lumine carpet iter.
16. Nocte dieque tuas ſolenni carmine laudes
Dicet ovans; et, te vindice, ſurget humo.
17. Tu decus æternum, tu vires ſufficis unus;
Et tuus e cœno tollit in aſtra favor.
18. Tu, Pater Iſacidûm! nos tutelaribus armis
Cingis; et invicti munia regis obis.
19. Sedibus e ſuperis, afflatus numine vates,
Quem tibi ſacrâſti, talia dicta dedit:
Donavi Solymis præſtanti corpore regem,
Quem meus e populo ſegrege legit amor.
20. Jeſſiadæ famulo, ſucco cui dulcis olivæ
Tempora perfudi, ſceptra ferenda dedi.
21. Huic ego ſufficiam vires; dextrâque tuebor,
Sive parent hoſtes ſpicula, ſive dolos.

ANNOTATIONES.

Ovans] Conſule Not. in Pſal. xxxv. 25. *Ovans.*

Hermon—Tabor] Duo altiſſimi montes in Judæa, qui hîc ſumuntur pro plaga orientali et occidentali.

Hic Zephyris] De *Zephyris* vide Not. in Pſal. xx. 4. *Mollibus Zephyris.*

Euro] De *Euro* ſupra dictum ad Pſal. xlviii. 7. *Euri.*

15. *Buccina*] De hac voce vide Not. in Pſal. lxxiv. 4. *Buccina.*

Carpet iter] De hac dictione vide Not. in Pſal. i. 1. *Carpit iter.*

16. *Ovans*] De hac voce ſupra dictum ad Pſal. xxxv. 25. *Ovans.*

Te Vindice] Conſule Notam in Pſal. xxii. 4. *Te vindice.*

18. *Iſacidûm*] Dicitur per *Syncopen* pro *Iſacidarum.*

19. *Sacrâſti*] Per *Syncopen* pro *Sacraviſti.*

Præſtanti corpore regem] Ita Virgilius:

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore *Nymphæ,*
Æn. i. 75.

20. *Succo dulcis olivæ*] *Periphraſis* pro *oleo.*

21. *Dextraque*] Per *Syncopen* pro *dexteraque,* ut Pſal. iii. 7.

23. Quæ

23. Quæ premet hunc odiis, coram ruet hoſtica pubes;
Ultriceſque mei ſentiet eſſe manus:
24. Huic mea ſed bonitas et amor, non immemor icti
Fœderis, imperii fræna regenda dabit.
25. Illius Euphrates olim victricibus armis,
Totaque Sidonii ſerviet unda maris:
Fœderis ille memor ſacri, Patremque, Deumque,
Omnis et autorem me celebrabit opis.
27. Illum ego primitias ſobolis, regemque vocabo;
Sceptrigerique ducem præſidiumque chori.
28. Quod pepigi, nullo claudetur limite fœdus;
Nullaque promiſſi meta favoris erit:
29. Sera nec illuſtres extinguent ſêcla nepotes;
Sceptraque durabunt, dum vehet aſtra polus.
30. Sed ſi fortè meas ſoboles detrectat habenas
Degener, et renuit fœdera ſancta ſequi:
32. Protinus ulciſcar; meritas dabit improba pœnas;
Progenies plagas ſentiet iſta meas:
33. Hunc tamen æternùm ſolitâ bonitate tuebor;
Perpetis et fidei pignora certa dabo.
34. Abſit ut antiqui diſrumpam vincula pacti,
Et rapiant voces ventus et unda meas.
35. Ipſe meum jurans Numen, cum Davide ſanxi
Fœdera, non dubiam quæ meruêre fidem.

Annotationes.

24. *Icti fœderis*] De hac forma loquendi vide Not. in Pſal. lxxxiii. 5. *Feriunt fœdera.*

25. *Euphrates*] De flumine *Euphrate* vide Not. in Pſal. lxxii. 8. *Vagus Euphrates.*

Sidonii Maris] Id eſt, maris Mediterranei in cujus ora ſita fuit urbs *Sidon*, de qua vide Pſal. xlv. 13. *Sidoniis cadis.*

Patremque Deumque] Eſt *Polyſyndeton*, de quâ Figurâ vide Not. in Pſal. vii. 17.

27. *Sceptrigerique chori*] Eſt *Periphraſis* pro *regibus*, qui ſceptra gerunt. De *choro* vide Not. in Pſal. xviii. 10. *Chori.*

28. *Meta*] De hac voce vide Not. in Pſal. xliv. 15. *Nec modus eſt vel meta malis.*

29. *Sêcla*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſecula*; de ſignificatione verò vocis *ſeculum* vid. Not. in Pſal. xlv. 6. *Sêclo.*

Polus] Per *Synecdochen* pro *cœlo*, ut Pſal. xviii. 12. *Igne micare polus.*

30. *Degener*] De hac voce jam dictum ad Pſal. xxiii. 4. *Degeneri.*

36. Æquæ-

36. Æquævum soli solium reget inclyta proles;
Sceptra nec excutiet, quæ geret, ulla dies.
37. Astra poli testor, citiùs sol aureus orbem
Linquet, et, extincto lumine, luna ruet.
38. Tu tamen hunc orbis fastidis, Rector! et horres,
Bile calens; regis nec tibi cura tui est.
39. Fœdera tu violans, sacrum diadema profanas:
Calcat et hoc tumido gens scelerata pede.
40. Oppida tu muris nudas, et subruis arces;
Prædaque nunc hostis ludibriumque sui est.
42. Hostibus interea tu munis robore dextras;
Cordaque lætitiâ luxuriante reples.
43. Rex tuus, ah! trepidus, totis excedere castris
Cogitur, et turpi vertere terga fugæ.
44. Jamque sacræ pedibus calcatur gloria frontis,
Et jacet obscœno mersa corona luto.
45. Carpitur ante diem, demesso flore, juventa;
Turpat et augusti principis ora pudor.
46. Quò, Deus! usque tuos abscondent nubila vultus?
Perpes an accensi flamma furoris erit?
47. Ah! subeat, quàm fluxa mihi sit vita, brevisque!
Cur genus Adamidûm fabrica vana sumus?
48. Quem non falce metit fera mors? Quis mole sepulchri
Obrutus, inferno victor ab orbe redit?
49. Quò se priscus amor, quò se clementia vertit
Pristina; cumque tuo Davide pacta fides?

ANNOTATIONES.

37. *Poli*] Per *Synecdochen* pro *cœli*, ut Psal. xviii. 12. *Micare polus.*

Sol aureus] Id est, *pulcherrimus*, *splendidissimus*, ut supra dictum Psal. lxv. 11. Exemplo præivit Virgilius:

Per duodena regit mundi sol aureus *astra*, Georg. i. 232.

38. *Bile calens*] De *Bile* vide Not. in Psal. lxxxv. 5. *Bilem.*

39. *Diadema*] De Etymo et propriâ significatione hujus vocis jam dictum ad Psal. xxi. 3. *Diadema.*

42. *Hostibus*] Pro *hostium* per *Antiptosin*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

44. *Obscœno luto*] De voce *obscœno* vide Not. in Psal. xl. 14. *Obscœnæ.*

45. *Ante diem*] De hac locutione vide Not. in Psal. lv. 23. *Ante diem.*

47. *Adamidûm*] Dixit per *Syncopen* pro *Adamidarum.*

50. Ad-

50. Adſpice quæ patimur procerum ludibria paſſim;
Probraque quæ tacito pectore clauſa fero.
51. Aſperat in Chriſtum ſtolidas gens impia linguas,
Illius et lentas exprobrat uſque moras.
52. Ah! precor, alme Parens! tuus ut ſuper ætheris axes
Emicet, et, dempto fine, perennet honos.

ANNOTATIONES.

51. *Chriſtum*] De hac voce *Chriſtus*, vid. Not. in Pſal. lxxxiv. 9. *Chriſtum*.

Super ætheris axes] De hac dictione conſule Not. in Pſal. vi. 8. *Ætheris axes*.

XC.

NOS, Deus! a primis tua texit dextera ſêclis:
Hæc errabundis ſtruxit ubique lares.
2. Tu conſtans, ſtabiliſque manes; convallibus imis,
Montibus et ſummis, ſideribuſque prior.
3. Sed mortale genus diffingis vindice dextrâ,
Inque leves cineres durus abire jubes.
4. Sunt tibi ſêcla decem, ceu lux heſterna; vel hora
Quæ vigili, fræno non remorante, fugit.
5. Inſtar aquæ fluimus; tacitæ ſic noctis imago,
Sic flos mane virens, ſole cadente, perit.
7. Nos, Deus! exſcindis, meritas dum ſurgis in iras;
Nudaque ſunt oculis crimina tecta tuis.
9. Dum tua mille modis nos vexat dextera; præpes
Vita volat, ceu vox, quam rapit aura levis.

ANNOTATIONES.

Hujus orationis partes ſunt tres: prima eſt *Exordium*, duobus primis verſibus; ſecunda, *Narratio*, a verſu tertio ad decimum ſecundum; tertia, *Precatio*, inde ad finem uſque.

1. *Sêclis*] Vide Notam in Pſal. xlv. 6. *Sêclo*.

Durus jubes] *Durus* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *dure*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

4. *Lux heſterna*] Lux hîc ponitur per *Enallagen* pro *dies*, cauſa nempe pro *effectu*. Vide Not. in Pſal. xxxv. 21. *Optata luce*.

7. *In iras*] Eſt pluralis numerus pro ſingulari per *Heteroſin*, ut Pſal. x. 13.

10. Quâ

10. Quâ fruimur, lustris bis septem clauditur ætas;
Contingunt vegeto lustra bis octo seni:
Tristius at nihil est aut ærumnosius illis:
Ah! ferimur rapidis æmula turba Notis.
11. Quis, Pater alme! tuæ vires sat perspicit iræ?
Par majestati, prô dolor! illa tuæ est.
12. Metiri da posse dies, momentaque vitæ
Futilis; et veri pectora luce reple.
13. Tolle moras, facilisque veni; famulosque sagittis,
Tempore venturo, figere parce tuis.
14. Ocyùs adfer opem; mens ut, dum vescimur aurâ,
Gestiat, aucta tuis et saturata bonis.
15. Tempora temporibus compensa tristia lætis;
Noctis et abstergens nubila, redde diem.
16. Da famulis, sobolique, Deum te nôsse potentem;
Et tuus his posthac sit manifestus amor.
17. Nos, Pater! illustra radiis, quibus ipse coruscas;
Et tuus æternùm facta secundet amor.

ANNOTATIONES.

10. *Lustris*] *Lustrum* quinquennale spatium significat; quia quinto quoque anno ineunte *lustrum* peractum erat: omnes scilicet centuriæ et equites in campum Martium convocati, sue, ove, tauro cæsis immolârunt; quod *lustrum* est dictum. Tributa etiam et vectigalia tum exigebantur; sicque ex illo sacrificio census *lustri* nomen habuit.

11. *Alme*] Vide de hoc epitheto Not. in Psal. xii. 1. *Alma*.

13. *Facilisque veni*] *Facilis* hîc adverbialiter ponitur, per *Enallagen*, pro *facile*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

14. *Vescimur aurâ*] De hac dictione consule Not. in Psal. xvi. 3. *Vescitur aurâ*.

17. *Secundet*] De hujus vocis Etymologiâ vide Not. in Psal. xx. 4. *Vota secundet*.

XCI.

NUMINIS excelsi cui sunt sacraria sedes,
Illius hunc, hostis cùm premit, umbra teget.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, continens partes duas: prior, qua psaltes celebrat piam in Deo fiduciam ex suo exemplo, ad versum decimum quartum; posterior, qua Deus superiorem prædicationem confirmat.

2. Autor

2. Autor opis certè Deus est; hunc, rebus in arctis,
Agnoscam vitæ spem columenque meæ.
3. Ille dabit tacitis ne te gens impia technis
Implicet, aut pestis tabida falce metat.
4. Illius imbellem te proteget ala; fidesque,
Pacta semel, clypei triplicis instar erit.
5. Te neque terrebunt tenebræ, nec tela diurna;
Nec fera quæ sævit nocte dieque lues.
7. Mille licèt dextram cingant, totidemque sinistram
Funera, pernicies nulla timenda tibi est.
8. Te coram, gens prava ruet; quia suspicis illum,
Qui spes est vitæ præsidiumque meæ.
10. Sed tua te pietas tutum præstabit; ab hoste
Nec tibi vis ulla est, nec metuenda lues.
11. Te Deus aligeris cœli stipabit alumnis;
Hos tibi sidereâ mittet ab arce duces.
12. Te manibus per tesqua feret chorus ille; nec hirtis
Illides scopulis, hôc comitante, pedes.
13. Et draco calcandum tibi se præbebit, et aspis,
Indomitusque leo, seminiumque leæ.
14. Hunc ego defendam, Deus inquit, fortibus armis;
Et, quia me sequitur, sceptra ferenda dabo.

Annotationes.

3. *Technis*] De Etymologiâ hujus vocis *techna* vide Not. in Psal. v. 10. *Technis.*

5. *Tela diurna*] De Etymo et stricta significatione vocis *Tela* vide Not. in Psal. iii. 6. *Tela.*

11. *Aligeris cœli alumnis*] Est *Periphrasis* pro *Angelorum choro.*

12. *Tesqua*] De hac voce consule Not. in Psal. xxix. 8. *Tesquaque.*

Chorus] Vide Not. in Psal. xviii. 10. *Chori.*

13. *Et draco*] *Draco* genus animalis venenosi, sic dictus ἀπὸ τοῦ δράκειν, quod est *videre.* Clarissimam enim dicuntur habere oculorum aciem: qua ex causa incubantes eos thesauris finxerunt antiqui.

Aspis] Est serpens parvus venenosissimus, cujus naturam multis verbis describit Plinius, *Lib.* xxix. *cap.* 4.

Seminiumque leæ] De voce *seminio* vid. Not. in Psal. li. 5. *Seminiumque mali.*

14. *Sceptra*] Per *Heterosin* dicitur numerus pluralis pro singulari.

15. Hic

15. Hic me poſcet opem, ſors cum premit aſpera; vanas
Nec, mihi quas fundit, ſentiet eſſe preces;
Hoſtibus ereptus mediis, tōlletur in altum;
Et duraturo cinget honore comas.
16. Aurea felicis producam ſtamina vitæ;
Et famulo pandam molle ſalutis iter.

ANNOTATIONES.

16. *Aurea ſtamina*] Id eſt, *excellentia, læta, proſpera*, quo modo dicitur *aureum ſeculum:* De hoc epitheto vid. Not. in Pſal. lxi. 6. *Aurea tempora*.

Stamina] *Stamen*, a *ſtando*; dicitur quicquid in colo ad nendum ponitur. Hîc tribuitur curriculo vitæ, cujus fatalia ſtamina Parcas nere finxerunt Poetæ, ut apud Tibullum:

Hunc cecinere diem Parcæ, fatalia nentes
Stamina, *non ulli diſſoluenda Deo*, Lib. i. vii. 1.

XCII.

EST mihi jucundum tibi, rerum Maxime; grates
Solvere; per laudes et juvat ire tuas.
2. Quàm bonus et conſtans ſis, ſeu ſol explicat ora,
Seu jubar abſcondit, dicere dulce mihi eſt.
3. Dulce mihi eſt denis modulari carmina nervis,
Jungere et argutæ nablia blanda lyræ.
4. Gaudia concepi, tua quondam facta revolvens:
Hinc quoque lætitiæ ſurget origo meæ.
5. O vis quanta tuæ eſt, o quanta potentia dextræ!
Conſilium nubes quàm tenebroſa tegit!

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*; continens primo, *Propoſitionem*, uſque ad verſum quartum; deinde *Narrationem*, inde ad verſum decimum ſecundum; poſtremo *Prophetiam*, ad finem Pſalmi.

2. *Ora*] Per *Synecdochen* dicitur pro vultu, eſtque pluralis numerus loco ſingularis, ut Pſal. vii. 5. *Ora*.

Seu explicat ora, ſeu jubar abſcondit] Eſt *Periphraſis* pro die et *nocte*

Dulce mihi eſt, dulce mihi eſt] Notetur hîc elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ jam dictum ad Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, ſceptra*.

3. *Nablia*] De hoc inſtrumento conſule Not. in Pſal. xxxiii. 2. *Nablia*.

Lyræ] De *Lyra* vide Not. in Pſal. lvii. 8. *Lyræ*.

6. Brutus

6. Brutus ad hæc populus caligat; mentis et exſors,
Hæc ſpectans, oculos nycticoracis habet.
7. Hunc, modò qui læti vernabat graminis inſtar,
Demetet immiti mors properata manu.
8. Tu tamen æternùm duras; ævique fugacis
Deſpicis aligeras inſtabileſque rotas.
9. Impius, et quiſquis tua ridet juſſa, peribit;
Cedet et iratis præda ferenda Notis.
10. At tua me bonitas dulci perfundet olivo;
Vinciet et ſerto multicolore comas.
11. His oculis cernam, quas gens luet hoſtica, pœnas;
Imbuet his aures nuntia fama meas.
12. Gens pia florebit, victricibus æmula palmis;
Utque cedrus, Libani quæ juga fronde tegit.
13. Altiùs in Domini radices quiſquis agello
Fixerit, undantes tollet in aſtra comas.
14. Creſcet, et effœtæ ridebit damna ſenectæ;
Pomaque proventu luxuriante feret.

Annotationes.

6. *Nycticoracis*] Vox Græca νυκτικόραξ, id eſt, *corvus nocturnus*; avis quam vocamus *noctuam*. Hoc animal ſecretos noctibus cantus exercet et volatus, quippe quod obſcuritate tenebrarum, quâ fere cuncta caligant animalia, luminetur; unde volunt nonnulli *nycticorum*, aptius quam *nycticoracem* dici, eo quod pupilla oculi κόρη, *core* Græcis vocetur; nihil autem noctuam ſimile corvi habere.

7. *Læti graminis*] De hoc Epitheto *lætus*, vide Not. in Pſal. iii. 8. *Læta*.

9. *Præda ferenda Notis*] Vide de hoc proverbio Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere Noti*.

11. *His oculis cernam*] De hoc *Pleonaſmo*, vide Not. in Pſal. xxv. 15. *Tucor hunc oculis*.

12. *Victricibus æmula palmis*] De *palma* arbore vide Not. in Pſal. lxxii. 3. *Victrix* aptè dicta, quia non cedit ponderi, et propterea victoribus ſit præmio data.

Utque Cedrus] *Cedrus* arbor notiſſima, cujus natura eſt, ut quæcunque illius ſucco illinuntur, non ſentiant cariem; inde ſymbolum ſit immortalitatis. Horatius:

— *Carmina cedro linenda*,
Art. Poet. 331.

Libani] De *Libano* vide Pſal. xxxix. 5. *Libani*.

13. *Comas*] Metaphoricè dicitur pro *folia*, ut Pſal. i. 3. *Comas*.

14. *Effœtæ ſenectæ*] *Effœtus* dicitur de muliere, quæ jam fœtus parere deſiit.

Poma] *Pomum* generale no-

15. Sic mihi dicetur juris Deus autor et æqui,
Et columen, vitæ turris et una meæ.

ANNOTATIONES.

men eſt omnium fructuum, qui ex arboribus eſui apti proveniunt, ſive mollium, ſive durorum.

XCIII.

REGNAT ubique Deus; cui majeſtate verendâ
Frons nitet, invicto robore dextra viget:
Illius imperio, ſtabit ſecura ruinæ
Terra, vagas cœlum volvet et uſque faces.
2. Quo ſedet hic, ſolium neſcit primordia ſêcli;
Nullaque ſiderei Regis origo fuit.
3. Flumina quantumvis conſpirent murmure vaſto,
Et tumidum fluctus tollat in aſtra fretum:
4. Ille tamen, fluviis pelagoque potentior ipſo,
Mulcet, et indomitas Numine frænat aquas.
5. Illius æternùm durant oracula; ſacræ
Et Solymæ pietas hoſpita ſemper erit.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *laudativus*; et celebrat laudes Dei ex tribus argumentis; primo, ex rerum creatione et conſervatione; ſecundo, ab univerſali ipſius providentiâ; tertio, ex ſingulari in Eccleſiam benevolentiâ.

Secura ruinæ] De hac conſtructione vide Not. in Pſal. xxxii. 6. *Secura ruinæ.*

2. *Sêcli*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſeculi*, de qua voce vid. Not. in Pſal. xlv. 6. *Seclo.*

Siderei Regis] i. e. Regis divini vel cœleſtis, ut ſe habet apud Columellam:

Siderei *vatis referens præcepta Maronis,*
De cult. hort. Lib. x. 434.

3. *Fretum*] De hac dictione vide Not. in Pſal. xxx. 6. *Freta.*

5. *Solymæ*] De *Solyma* vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

XCIV.

MAGNE Parens! dextrì qui vindice concutis arma,
Deque reis pœnas exigis, ultor ades.
2. Legibus incinctum, Judex! conscende tribunal;
Et quod promeruit turba proterva luat.
3. Quò premet usque pios furor hosticus? Obice nullo
More triumphantis, quò scelus usque ruet?
4. Impius an perget dura, et metuenda minari,
Et, quod patravit, ferre sub astra nefas?
5. Ah! tibi dilectum populum deglubit, et armis
Opprimit hæredes gens scelerata tuos.
6. Prô pudor! et viduæ jugulantur, et advena ferro,
Per scelus; et proles orba parente cadit:
7. Nec videt hæc, aiunt, nec curat Conditor orbis,
Quem sibi Judæus legit apella Deum.
8. Bruta cohors! pravique tenax, et perfida! tandem
Stultitiæ metam pone modumque tuæ.
9. An surdum reputas, aurem qui struxit? an illum,
Lumina qui finxit, cernere posse negas?

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *mixti*, *Votivus* nempe et *Didacticus*; itaque summæ illius partes sunt duæ; una, *Precatio*, ad versum octavum; altera, *Doctrina Prophetica*, inde ad finem usque.

4. *Sub astra*] De hac forma loquendi vide Not. in Psal. iii. 3. *Ferre sub astra.*

5. *Populum deglubit*] *Deglubere* propriè est corticem eximere, et per Translationem pellem *detrahere*; unde adagium, boni pastoris est tondere pecus, non *deglubere.*

6. *Et viduæ—et advena*] Copula *et* hîc redundat per *Polysyndeton*, ut Psal. vii. 17.

7. *Judæus apella*] *Apella* nomen fictum ab *a* privativâ, et *pellis*; dicitur de Judæis, qui circumcidi solent, ut apud Horatium:

— *Credat* Judæus apella,
1 *Serm.* v. 100.

Alii verò hanc Etymologiam rejiciunt, et volunt Horatium respexisse ad Judæum quendam nomine Apellam, tum Romæ degentem.

8. *Bruta cohors*] De voce *cohors* vid. Not. in Psal. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

Metam] De voce *Meta* consule Not. in Psal. xliv. 15. *Nec modus est vel meta malis.*

10. Parcet an ille ſuis, qui gentes plectit? an, omnes
Qui docet, ipſe velut tyro docendus erit?
11. Rerum Opifex renes ſcrutatur, et abdita mentis;
Vanius et nihil his futiliuſque videt.
12. O ter felicem! rerum quem corripit Autor;
Quemque doces leges, et ſua juſſa ſequi.
13. Ille procul curis traducit mollia vitæ
Tempora, dum præceps turba profana ruit.
14. Nam Deus, hæredes quos ſcripſit, proteget alis;
Nec ſua dilecto ſubtrahet ora gregi.
15. Hic aderit vindex, armatus legibus æquis;
Et leget has vitæ ſancta propago duces.
16. Quis mihi mittet opem, cùm cingor et impetor armis?
Hoſtibus impoſito quis pede colla premet?
17. Me niſi juviſſes, rerum Pater optime! pridem
Texiſſent cineres muta ſepulchra meos.
18. Te Deus! oravi, greſſu titubante vacillans;
Nec mora, cœleſti pes mihi fultus ope eſt.
12. Me mihi reſtituis, curis cùm mille fatigor;
Et recreas radiis pectora mœſta tuis.
20. Judicis an ſocius diceris, nequiter effrons
Qui ſua, neſcio quâ, crimina lege tegit?
21. En! coit inque pios ſtringit gens impia ferrum;
Omnis et innocuo ſanguine dextra rubet.

ANNOTATIONES.

12. *O ter felicem*] De hac locutione vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimium.*

14. *Subtrahet ora*] *Ora* dicitur per *Synecdochen* pro *vultu*, ut Pſal. iii. 7. *Ora.*

Gregi] De voce *grex* vid. Not. in Pſal. i. 1. *Grege.*

16. *Hoſtibus*] Per *Antiptoſin* dicitur pro *hoſtium*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis.*

17. *Muta ſepulchra*] Per *Heteroſin* dicitur pluralis numerus pro ſingulari. *Sepulchrum* mutum dicitur per *Metonymiam*, quia *mutos* reddit.

18. *Nec mora*] De hac dictione vide Not. in Pſal. xxx. 2. *Nec mora.*

19. *Pectora mœſta*] Dixit *pectora* in plurali numero per *Heteroſin* pro *pectus* in ſingulari.

20. *Nequiter effrons*] De hac voce *effrons*, vide Not. in Pſal. lvi. 5. *Interpres adulterat effrons.*

21. *Innocuo ſanguine*] Conſule Not. in Pſal. iii. 7. *Innocua cæde.*

Dextra] Per *Syncopen* pro *dextera*, ut Pſal. iii. 7. *Dextraque.*

22. At

22. At mihi præsidium Deus est, portusque salutis;
Quâque vehor fragilem sustinet ille ratem.
23. Hic scelerum vindex poscet pro crimine pœnas;
Turpis et artifici fraus nocitura suo est.

ANNOTATIONES.

23. *Turpis—fraus*] De hac significatione vocis *fraus*, pro nequitia nempe in genere, vide Not. in Psal. i. 6. *Fraus*.

XCV.

EIA agedum! gens sancta Deum, quo nitimur omnes,
Cantet, Io geminans; et pede pulset humum.
2. Quas decet, hoc coram, grates persolvat; et orbis
Rectorem numeris tollat in astra novis.
3. Illius excellit majestas; viribus ille,
Quotquot habent gentes, vincit honore Deos.
4. Ille manu forti terram sufflaminat; imis
Vallibus, et summis imperat ille jugis.
5. Finxit et Oceanum, vitreis et præsidet undis;
Et terram e mediis surgere jussit aquis.
6. Ergò Deum flexo veneremur poplite; et omnis
Cura sit æthereo solvere vota Patri.
7. Ille Deus noster, nos grex sumus illius, ultrò
Si modò fert animus, quæ jubet ille, sequi.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, continens *Exhortationem* ad Dei laudes promovendas, primo *cultu*, usque ad versum septimum; deinde *obsequio*, inde ad finem usque.

1. *Eia agedum*] De hac exclamatione vide Not. in Psal. ii. 10.

Io geminans] De voce *Io* jam dictum ad Psal. xiii. 4. *Io*.

2. *Numeris novis*] De hac significatione vocis *numeri* consule Not. in Psal. v. 11. *Numeris*.

4. *Terram sufflaminat*] De hac voce *sufflamino* consule Not. in Psal. lv. 22. *Pios sufflaminat*.

5. *Et oceanum—et præsidet*] Hic copula *et* geminatur et redundat per Figuram quam vocant *Polysyndeton*, de qua vid. Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

Vitreis undis] De hoc Epitheto *vitreis* vide Not. in Psal. lxxv. 6. *Vitreis aquis*.

8. Absit, ait, vobis durescant pectora callo;
Ut patribus, vetitæ quos sitis ussit aquæ.
9. Hæc mihi gens Arabum bilem succendit in oris;
Tentavit vires nec semel illa meas:
Illius hîc quamvìs lassatus murmure, signa
Roboris invicti non dubitata dedi.
10. Turba proterva meo, lustris bis quatuor, olim
Obstitit imperio, mille molesta modis:
Futilis est illi mens et temeraria, dixi;
Stulta nec observat, quas ego monstro, vias.
11. Ergò meum sanctè juravi Numen; et irâ
Non semel accensus, talia dicta dedi:
Gens odiosa mihi, nec sacræ tecta Sionis,
Nec cernet famulis otia pacta meis.

ANNOTATIONES.

8. *Durescant pectora callo*] *Callus* et *callum* est cutis labore viæ pedibus, aut alio opere in manibus, parteve aliâ corporis densior facta, cujusmodi est in suis rostro, cervice bovis, animalium plantis pedum. *Callum* per *Metaphoram* ponitur pro duritie et animi stupore. Ut apud Ciceronem: *Quorum animis diuturna cogitatio* callum *vetustatis obduxerat*, Tusc. iii. 53.

9. *Gens Arabum*] De hac *gente* consule Not. in Psal. lxxii. 10. *Ustus Arabs.*

Bilem] De *Bile* vid. Not. in Psal. lxxxv. 5. *Bilem.*

10. *Lustris bis quatuor*] Id est, annis quadraginta, nam *lustrum* erat spatium quinque annorum; ut supra dictum ad Psal. xc. 10. *Lustris bis septem.*

11. *Sionis*] De *Sione* vid. Not. in Psal. ii. 6. *Sanctæque Sioni.*

XCVI.

DICITE Rectori Superûm nova carmina, laudes
Perque ter illustres ultimus orbis eat.
2. Vindicis ætherei nomen tollatur in astra:
Inque dies jugi carmine crescat honos.

ANNOTATIONES.

Hoc canticum est *laudativum*, continens primo *Exhortationem* ad laudes Dei, primis quatuor versibus; deinde *laudis argumenta* tum a præsentibus beneficiis, a versu quinto ad decimum, tum a futuris ad finem usque.

1. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Superorum*.

3. Ferte

3. Ferte per extremas Domini miracula terras:
Hunc unum geminus prædicet orbis apex.
4. Illius eſt ingens et formidabile Numen:
Par nihil huic tellus, par nihil æther habet.
5. Ludicra ſunt, reliquæ quæ jactant Numina gentes;
Finxit at hic cœlum, ſidereaſque faces.
6. Robur, et auratis hunc cingit adorea pennis:
Quæque colit roſeâ limina luce nitent.
7. Illius, ignotæ gentes! agnoſcite vires,
Et quàm ſit reliquis altior ille Deis.
8. Et date, quos meruit, titulos; manibuſque ſupinis,
Debita ſacratis figite dona tholis.
9. Gens pia ſiderei veneretur limina templi;
Omnis et, hoc coram judice, terra tremat.
10. Gentibus hunc reliquis Autorem dicite cœli,
Et maris et vaſti ſceptra tenere ſoli:
Hunc orbem narrate manu fulcire potenti;
Quæque dat hic, omni jura carere dolo.
11. Geſtiat exſultans tellus, et lucidus æther;
Et mare, cæruleum quidquid et æquor habet.

ANNOTATIONES.

3. *Geminus orbis apex*] *Apex* propriè dicitur virga in ſummo Flaminis pileo lanata; h. e. in cujus extremitate modica lana eſt. Inde de cujuſcunque rei vertice vel ſummitate dicitur: ut de montis cacumine Pſal. lxviii. 15. et lxxii. 16. et hîc de vertice vel polo mundi.

4. *Par nihil—par nihil*] Eſt elegans *Anaphora*, de qua vid. Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi—Sceptra.*

5. *Sidereaſque faces*] Vid. Not. in Pſal. viii. 3. *Sidereaſque faces.*

6. *Adorea*] *Victoria, laus, gloria*; quia ſtrenuis, et iis qui fortiter dimicâſſent, militibus farris menſura diſtribui ſolita erat. Unde et *adorea* pro laude bellicâ: nam *far* ſeu frumentum appellatum eſt *ador*, ab edendo, vel adurendo.

Roſea luce] De hoc Epitheto *Roſea*, vid. Not. in Pſal. i. 2. *Roſeo ſeu micat axe dies.*

8. *Titulos*] De hac voce vide Not. in Pſal. xviii. 49. *Tuos titulos,*

Figite dona tholis] De *tholo* conſule Pſal. xxix. 2. *Tholis.*

11. *Æquor*] De hac voce vid. Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas.*

12. Vernet

12. Vernet ager Zephyris, et messibus halet odoris;
Rideat et teneris arbor amicta comis.
13. Rector adest cœli, populos ut judicet; illi
Et latus hinc Æquum stipat, et inde Fides.

ANNOTATIONES.

12. *Vernet ager Zephyris*] De *Zephyris* supra dictum ad Psal. xx. 4. *Mollibus Zephyris.*

Rideat arbor] De Metaphorico sensu verbi *ridere* consule Not. in Psal. lxv. 10. *Ridet humus.*

Comis] De *comis* pro foliis vid. Not. in Psal. i. 3. *Comas.*

13. *Et — hinc — et inde*] Hîc copula *et* redundat et geminatur per *Polysyndeton*, de quâ Figurâ consule Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum, Dominumque potentem.*

XCVII.

SCEPTRA gerit Dominus: ter Io dic, ultima tellus!
Omnis et æquoreis insula septa vadis!
2. Cingitur hic nebulis, et opacâ conditur umbrâ;
Et comes it sceptris Fas, stabilisque Fides.
3. Antè ruunt volucres elisi nubibus ignes;
Ultricesque vorant hostica castra faces.
4. Fulgura præstringunt oculos, cœlumque remugit;
Et gelido tellus intremit icta metu.
5. Montibus in summis solvuntur marmora; ceræ,
More novæ, coram Numine, terra fluit.
6. Justitiam superi testantur sidera Regis;
Et majestatis conscia terra sacræ est.
7. Qui colit et jactat, quæ finxit, Numina, vultus
Huic precor, inficiat dedecoretque pudor:
Quid.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *laudativus*, celebrans primo Dei magnitudinem, ad versum septimum; deinde usus illius exponitur, inde ad versum decimum: et postremo concluditur *Adhortatione.*

1. *Io*] De hac voce vide Not. in Psal. xiii. 4. *Cantet Io.*

Vadis] Pro aquis, ut Psal. lxxiv. 17.

2. *Fas—fides*] Hîc personaliter sumuntur, ut Psal. i. 1. *Impietas.*

4. *Cœlumque remugit*] Ita Virgilius:

— *Sequitur clamor*, cœlumque remugit, *Æn.* ix. 504.

7. *Deûm*] Hîc dicitur per *Syncopen* pro *Deorum.*

Male credulus error] *Error* hîc

Quidquid in orbe Deûm cudit malè credulus Error
Hunc colat, Isacidas cui dare thura vides.
8. Gestiit alma Sion, et Judæ sancta propago,
Vidit ut ultrices illius esse manus.
9. Illius imperium cœli supereminet axes;
Et reliquos inter præsidet ille Deos.
10. Ergò, Dei quem tangit amor, fuge crimina! vindex,
Hostibus e mediis eripit ille pios.
11. Ille suos recreat cœlesti lumine: justis
Ille dat optatos et sine nocte dies.
12. Vos quibus æqua placent, læti persolvite grates!
Et subeat, Domino sanctius esse nihil.

ANNOTATIONES.

hîc personaliter sumitur, ut Psal. i. 1. *Impietas.*

Thura vides] De voce *Thura* vid. Not. in Psal. xxvi. 6. *Thura dabo.*

8. *Gestiit*] Hîc dicitur per *Syncopen* pro *gestivit.*

Alma] De hoc epitheto vide Not. in Psal. xii. 1. *Alma.*

9. *Cœli axes*] De hac dictione vide Not. in Psal. vi. 8. *Ætheris axes.*

10. *Tangit amor*] De hoc usu verbi *tangere*, vide Not. in Psal. xvii. 6. *Tangent.*

12. *Læti persolvite*] *Læti* ponitur hîc adverbialiter pro *lætè* per *Enallagen*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

XCVIII.

CARMINE tolle novo Dominum; miracula pande
Partaque cœlesti mille tropæa manu.
2. Hujus opem sensere pii: gens hostica pœnas
Cæsa luit, justum vidit et esse Deum.
3. Ille memor pacti, Solymæ servavit alumnos;
Testis et his locuples ultima terra fuit.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, constans primo *Narratione*, ad versum quartum; deinde *Hortatione*, a versu quarto ad finem usque.

1. *Tropæa*] De voce *tropæum* vide Not. in Psal. xx. 5. *Læta tropæa.*

3. *Solymæ*] De *Solyma* vide Not. in Psal. ix. 11. *Solymam.*

Testis locuples] Unde petatur hæc forma loquendi vide Not. in Psal. lxxviii. 61.

4. Ergò

4. Ergò Dei laudes in cœlum, carmine festo,
Tollat ovans gemini terra sub axe poli.
5. Vox canat, et voci socientur plectra canoræ;
Et lituos sacræ junge tubasque lyræ.
7. Æquor et æquoreæ testentur gaudia turmæ;
Terraque, telluris quidquid et orbis habet.
8. Unda loquax feriat jucundo murmure ripas:
Dentur et e summis sibila læta jugis.
9. Stat Deus ante fores, cives ut censeat orbis;
Nunc, quæ promeruit, præmia quisque feret.

Annotationes.

4. *Tollat ovans*] De verbo *ovare* consule Not. in Psal. xxxv. 25. *Jactet ovans.*

Axe poli] De *Axe* vide Not. in Psal. vi. 8. *Ætheris axes*; et de *Polo*, Psal. xviii. 12. *Micare polus.*

5. *Socientur plectra*] De *Plectro* pro *cithara* vide Notam in Psal. xlix. 4. *Plectro.*

Lituos] *Lituus* hoc modo a *tuba* et *cornu* distinguitur: *Tuba* est recta; *Cornu* planè incurvum; *lituus* verò inter utrumque medius. Ab ejus Figurâ baculus auguralis *lituus* quoque dictus est.

Lyræ] De *Lyra* vide Not. in Psal. lvii. 8. *Lyræ.*

7. *Æquor*] De hac voce consule Not. in Psal. xviii. 22. *In æquoris undas.*

XCIX.

REGNAT, et aligeros cœli Deus inter alumnos
Emicat; æthereo sub pede, terra, treme!
2. Illius est Solymæ majestas nota; potestas
Eminet, et reliquis præripit omne decus.
3. Ergò Dei celebra plenum formidine Numen;
Quo majus, quo nil sanctius orbis habet.
4. Temperat huic vires jus et fas; legibus æquis
Hic regit Isacidas, præsidioque tegit.

Annotationes.

Hic Psalmus est *Laudativus*, continens *Hortationes* ad laudes Dei, a tribus argumentis; primo amplitudine illius regni, duobus primis versibus; secundo, a Dei justitiâ et in suos gratiâ, ad versum septimum; denique a majorum exemplo, inde ad finem.

4. *Temperat huic vires*] *Huic* ponitur hîc per *Antiptosin* pro *hujus*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

5. Quis-

5. Quisquis es, hunc effer; da sacris debita plantis
Oscula: sanctus hic est, et pietatis amans.
6. Blæsus ab hoc Moses, et Aron, et filius Hannæ
Dum responsa petunt, audiit ille preces.
7. Nubis et e pilâ leges indixit; et illis
Cura fuit Domini jussa verenda sequi.
8. Annuit hic votis, et texit crimina: vindex
Sæpe tamen scelerum Numinis ira fuit.
9. E sacris hunc ergo jugis ad sidera tolle:
Scilicet est sanctus qui colit illa Deus.

ANNOTATIONES.

5 *Da oscula plantis*] Id est *hunc cole* et *venerare*; de quâ loquendi formulâ vide Not. in Psal. ii. 12. *Oscula da nato.*

6. *Audiit*] Sumitur hîc per *Syncopen* pro *audivit.*

C.

VOCE Deum celebra solenni, quisquis Eoo,
Quisquis et Hesperio figis in orbe larem!
2. Illius imperium fer lætus, et impiger hymnos
Ede novos, quoties limina sancta teris.
3. Hunc agnosce Deum, cui debes, luminis auras;
Autor enim nemo vel faber ipse sui est:
Hic Deus est nobis, populus nos illius; instar
Et gregis, æthereâ quem regit ille manu.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Eucharisticus*, et hortatur ad Deum prædicandum ex duobus argumentis: uno propter beneficia in nos collata, ad versum quartum; altero ob ipsius benevolam naturam, inde ad finem Psalmi.

1. *Quisquis eoo*] De *Eoo*, vide Not. in Psal. xix. 5. *Thalamo Eoo.*

Quisquis et Hesperio] De *Hesperio* vide Not. in Psal. xix. 6. *Littus in Hesperium.*

2. *Fer lætus*] *Lætus* hîc ponitur adverbialiter pro *lætè*, ut etiam *impiger* pro *impigrè:* vide Not. in Psal. ii. 12. *Securus.*

3. *Debes luminis auras*] Imitatus Virgilium:

Sponte sua qui se tollunt in luminis auras, *Georg.* ii. 47.

Per *auras luminis* intellige lucis splendores, vel splendidum refulgens lumen; quo modo dixit Virgilius, *aura auri:*

Discolor unde auri *per ramos* aura *refulsit*, Æn. vi. 204.

Auras luminis Latine idem valet quod apud Homerum, διὸς αὐγάς.

4. Laudi-

4. Laudibus hunc effer, meritas et concipe grates,
Ad sacra cùm templi limina vertis iter.
5. Illius est ingens bonitas, et limitis expers;
Sanctaque rescindet fœdera nulla dies.

CI.

TE, Deus alme! canam, cujus manus altera justos
Protegit, in sontes altera tela vibrat.
2. Te sequar, et prudens incedam tramite recto:
Ecqua tuo tandem lux dabit ore frui?
Pectore sincero posthac tua jussa facessam;
Quosque colam cernes labe vacare lares.
3. Lumina deflectam, ne spectent turpia; nullum
Et mihi non odio crimen, et error erit.
4. Et scelus, et scelerum socios procul esse jubebo;
Meque sinistrorum nulla libido trahet.
5. Et socii ficto qui lædet crimine famam,
Hunc dabit infami dextera nostra neci:
Nec mihi vel socius, vel pars censebitur aulæ,
Transversum populi quem rapit aura levis.
6. Hunc inter famulos, inter numerabo sodales,
Cui mens est pravi nescia, pura manus.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, duabus partibus constans; *Exordio*, versu primo; deinde *Narratione*, ad finem usque.

1. *Alme*] De hoc epitheto vide Not. in Psal. xii. 1. *Alma*.

Tela] De voce *Tela* consule supra Not. in Psal. iii. 6. *Tela*.

2. *Prudens incedam*] *Prudens* hîc sumitur adverbialiter per *Enallagen* pro *prudenter*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

Lux] Per *Metonymiam* ponitur pro *dies*, ut Psal. xxxv. 21. *Optata luce*.

Ore frui] *Ore* hîc ponitur per *Synecdochen* pro *vultu*.

4. *Et scelus, et scelerum*] Est exemplum Figuræ quam vocant *Polysyndeton*, de qua vide Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

5. *Aura levis*] *Aura* propriè est lenis quidam ventorum flatus, et spiritus dulcior, ut Zephyri: et rite transfertur ad populi levem et inconstantem favorem, ut apud Virgilium:

— *Quem juxta sequitur jactantior Ancus,*
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris,
Æn. vi. 815.

Transversum rapit] *Transversus agi* vel *rapi* dicitur, qui vi et impetu quodam ab instituto deflectitur. Ductum apparet a navigantibus, qui secundo vento, recto

7. Nec mendax, conviva mihi; nec verba popello
Qui dat, et os vulgo ſublinit, hoſpes erit.
8. Ibit in exſilium, brevis eſt mora, talia quiſquis
Suſcipit, huic ſacrâ ne ſit in urbe locus.

ANNOTATIONES.

recto curſu feruntur: flatu adverſo, tranſverſi aguntur.

7. *Popello verba dat*] De hac dictione *verba dare*, jam dictum ad Pſal. lxiii. 11. *Dare verba.*

Os vulgo ſublinit] *Sublinere* eſt aliquantulum tingere, vel notare: et *os ſublinere alicui* eſt proverbium, pro eo quod eſt *dare verba, illudere*, et *pro ridiculo habere*, ut apud Plautum:

— *Ea* ſublevit os mihi *peniſſume*, Aul. iv. vi. 2.

Tractum volunt a ridiculo quodam luſûs genere, quo dormientibus ora pingebantur, et fuligine inficiebantur.

CII.

ÆTHERIS excelſi Rector! me deſuper audi;
Dum gemitus, clamor dum meus aſtra ferit.
2. Rebus in acciſis, vultum ne ſubtrahe; promptâ
Sed trahe, proſtratus dum queror, aure preces.
3. Vita mihi, fumo ſimilis, vaneſcit in auras
Triſtis; et in cineres diſſipat oſſa dolor.
4. Debile cor languet, ceu flos ſucciſus aratro;
Nec deſiderio tangor, ut antè, dapis.
5. Dum ſine fine gemo, macies deformat; et exſtant
Oſſa, per exſanguem dinumeranda cutem:
6. Haud aliter mœſtis implet loca ſola querelis
Ibis, et infauſto carmine noctis avis.

7. Sic

ANNOTATIONES.

Hujus Orationis partes ſunt quatuor: prima eſt *Exordium*, duobus primis verſibus; ſecunda, *Expoſtulatio*, uſque ad verſum decimum ſecundum; tertia, *Propoſitio*, ad verſum vigeſimum quartum; poſtremo, *Concluſio*, ad finem uſque.

2. *Rebus in acciſis*] Vide Not. in Pſal. xxx. 8.

4. *Ceu flos ſucciſus aratro*] Ita Virgilius de extincto Euryalo:

Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens, Æn. ix. 435.

6. *Ibis*] *Ibis* avis Ægypti, apud Nili ripas frequens, ciconiæ non abſimilis: colebatur ab Ægyptiis, quod ſit infeſta ſerpentibus, a quibus ipſi infeſ-

T

7. Sic vigil, heu! dulci viduatus compare passer
Mœret; et ex alto tristia fata vocat.
8. Mille vides circùm strictas in crimina linguas,
Et conjuratas in mea damna manus.
9. Fercula sunt sordes cinerum, farrisque canini
Relliquiæ; lachrymis pocula mista bibo.
10. Vis iræ secreta tuæ me sustulit olim
Sublimem, lapsu quo graviore ruam.
11. Umbra velut fugiens, vanescit futilis ætas;
Aret et exsuccum corpus, ut ægra seges.
12. Tu, Pater annorum! stas nullo mobilis ævo;
Orbaque principio gloria fine caret.
13. Exsurges, Solymæque tuæ miserebere; venit
Pacta dies, votis sæpe petita meis.
14. Nempe tuis famulis urbs delectabilis illa est;
Et capimur saxis ruderibusque loci.
15. Sic nomen numenque tuum venerabitur orbis,
Quisquis et hîc populos sub ditione tenet.
16. Structa Deo celsæ cùm surgent tecta Sionis,
Ille sacrum sacrâ fundet ab arce jubar.
17. Agminis afflicti questus Pater audiet æquus;
Nec vani gemitus, spes nec inanis erit.
18. Hæc duraturis sunt inscribenda tabellis;
Ut canat ætherei gens nova facta Patris:

ANNOTATIONES.

tantur, teste Juvenale:

Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus Ibin,
Sat. xv. 3.

Noctis avis] *Noctuam* intelligit, avem funestam a tempore noctis dictam, quo canit et volat. Virg.

Nequicquam seros exercet noctua *cantus*, Georg. i, 420.

7. *Tristia fata vocat*] *Tristis* sævus aliquando dicitur: quòd tristitia in fronte hominis crudelitatis, iræ, minarum indicium est, ut apud Virgilium:

— *Quo* tristis *Erinnys*
— *Vocat*, — Æn. ii. 331.

9. *Relliquiæ*] Hîc metri gratia geminatur *l*, per Figuram quam vocant *Epenthesin.* Ita Virgilius:

Troas, relliquias *Danaûm atque immitis Achillei*,
Æn. i. 34.

13. *Solymæque*] De *Solyma* vide Not. in Psal. ix. 11. *Solymam.*

16. *Sionis*] Vide de hac voce Not. in Psal. ii. 6. *Sioni.*

19. Scilicet

19. Scilicet aſtriferâ terras deſpexit ab aulâ,
Laturus miſeris Conditor orbis opem:
20. Captivis ſiccare genas, et ſolvere vincla,
Inſtantemque necem pellere cura fuit.
21. Juſſit ut hæc Solymæ celebrarent; undique regna
Dum coeunt, Superûm thura datura Patri.
23. Illius imperio, medio mihi robur in ævo
Deficit; et clauſa eſt limite vita brevi.
24. Spe tamen erectus, ne, qui ſine limite vitæ es!
Ante diem, dixi, lumina conde mihi.
25. Eſt tellus ſtabilita tibi: tu ſurgere cœli
Mœnia juſſiſti, ſidereaſque domos.
26. His modus eſt ævi, præſcriptaque tempora vitæ;
Nec vitæ modus eſt, meta nec ulla tuæ:
Læna velut, teritur moles et machina mundi;
Inque dies vultus ſumit, ut illa, novos.
27. Tu tibi par ſemper; dentes tu deſpicis ævi,
Annorumque leves præcipiteſque rotas.
28. Hæc, ſervi ſoboleſque tui, ſoboliſque nepotes
Felices, tecum gaudia ſemper agent.

ANNOTATIONES.

20. *Vincla*] Per *Syncopen* dicitur pro *vincula*.

Superûm] Per *Syncopen* dicitur pro *ſuperorum*.

Thura] De hac voce conſule Not. in Pſal. xxvi. 6. *Thura dabo*.

24. *Ante diem*] Vide Not. in Pſal. lv. 23. *Ante diem*.

26. *Læna velut*] *Lænam* volunt alii eſſe veſtimentum militare, quod ſupra omnia veſtimenta aſſumitur. Aliis eſt veſtis ſacerdotalis; nomen vel a *lana*, vel a Græca voce Χλαῖνα, quod a Χλιαίνω, *calefacio*.

Moles et machina mundi] Id eſt *moles machinæ mundi*, per Figuram quam vocant *Hendiadyoin*: quo modo dixit Virgilius, *molemque et montes* pro *molem montium*, Æn. i. 65. Hîc autor imitatus eſt illud Lucretii:

—*Multoſque per annos*
Suſtentata ruet moles et machina mundi, Lib. v. 97.

27. *Tu tibi par ſemper, tu deſpicis*] Notetur hîc elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi*, *Sceptra*.

Rotas] Ponitur hîc per *Synecdochen* pro *currus*.

28. *Soboleſque tui, ſoboliſque*] Hîc copula *que* geminatur et redundat per Figuram quam vocant *Polyſyndeton*, ut Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum*, etc.

CIII.

MENS, cane læta Deum! totas ſimul exſere vires;
Nominis et ſancti fer ſuper aſtra jubar.
2. Redde ſuam meritis laudem; nec falce ſenectæ
Hanc metat, aut tenebris obruat ulla dies.
3. Scilicet et ſcelerum nævos obliterat omnes;
Et medicam morbis applicat ille manum.
4. Ille tuos animat cineres, redivivaque lauro
Perpete cœleſtis tempora cingit amor.
5. Deliciis os mille beat; pulſiſque ſenectæ
Exuviis, aquilæ ſecula more novat.
6. Ne tenues vis ulla premat, dat jura tyrannis;
His Pater æthereus faſque nefaſque regit.
7. Credidit Amramidæ leges Deus arbiter æqui;
Abramidûm populo facta notanda dedit.
8. Sponte Deum noſtrî miſeret; qui, ſegnis ad iram,
Quos ſibi delegit non patienter amat.
9. Nec litem de lite ſerit; flammæque fugacis
Æmula, momento deperit ira brevi.
10. Non hic fulmineum, quoties deliquimus, enſem
Accinxit; ſceleri pœna nec æqua fuit.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, continens primo *Exordium*, duobus primis verſibus; deinde *Narrationem*, a verſu tertio ad vigeſimum; poſtremo *Concluſionem*, inde ad finem.

4. *Perpete lauro*] Vide Not. in Pſal. xxviii. 9. *Lauro cinge comas.*

Tempora] Conſule Not. in Pſal. xxx. 1. *Tempora.*

5. *Aquilæ more novat*] De ratione quâ aquilæ in juventutem ſe reparent, mira tradunt nonnulli. Aquilam ſcilicet debilitatam ſenio proſternere, atque in ſole feſſum fovere corpus; ſic recentatam calore, ter ſeſe mergere in fonte, et ita in juvenilem vigorem refingere ætatem.

Secula]. Vide Not. in Pſal. xlv. 6. *Mobile ſeclo.*

6. *Tenues*] Vide Not. in Pſal. x. 2. *Tenuem.*

Dat jura tyrannis] De ſignificatione vocis *tyrannus* conſule Not. in Pſal. vii. 2. *Impune tyranni.*

Faſque nefaſque] Hîc copula *que* geminatur per *Polyſyndeton*, de quâ Figurâ vid. Not. in Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem.*

Abramidûm] Per *Syncopen* dicitur pro *Abramidarum.*

11. Eſt

11. Est bonitas immensa, pios quâ protegit; ima
Nec magis a cœli vertice distat humus.
12. Crimina depellit, quantùm sol distat ab ortu,
Cæruleo fessas cùm lavat amne rotas.
13. Cultores fovet ille suos, et diligit unos,
Ut tenero prolis flagrat amore parens.
14. Scit genus Adamidûm quâ simus origine nati;
Et meminit fragili corpora ficta luto.
15. Graminis in morem surgens, citò carpitur ætas:
Sic violæ primo purpura vere fugit.
16. Vere fugit, rapiturque Notis, de stirpe recisa;
Nec manet indicium, quo fuit orta, loci.
17. Sed fovet electos, superi clementia Patris;
Excubiasque sacro pro grege semper agit:
Transit et ad seros bonitas divina nepotes;
Obstrictam patribus servat et usque fidem.
18. His promissa Dei rata sunt, et fœdera, leges
Quos juvat æthereas imperiumque sequi.

ANNOTATIONES.

10. *Fulmineum ensem*] Ita Virgilius:
— *Vaginaque eripit* ensem
Fulmineum,—— *Æn.*iv.579.
Vide etiam Not. in Psal. xxii 21. *Fulmineo Leoni.*

12. *Lavat amne rotas*] Id est, *cùm sol occidat*; forma loquendi Poetis non inusitata, ut apud Virgilium:
Quid tantum oceano properent se tingere soles,
Georg. ii. 481.

Rotas] Hîc ponitur per *Synecdochen* pro *curru*.

Amne] *Amnis* dicitur etiam de Oceano. Ut apud eundem Virgilium:
Oceani spretos pede reppulit amnes, Geor. iv. 233.

13. *Diligit unos*] *Unus* interdum occurrit, ut hîc, etiam in plurali numero, ut apud Terentium: *Aderit una in unis ædibus*, Eun. ii. iii. 75. Et Ciceronem: *Adsunt Lacedæmonii qui*——unis *moribus, et nunquam mutatis legibus vivunt*, Pro Flacco, 62. *Unus* hic pro *præcipuus*, ut supra dictum ad Psal. lxxi. 14. *Te unum.*

15. *Purpura violæ*] Plinius docet, *Lib.* xxi. 6. *Violarum* esse plurima genera, *purpureas, luteas, albas.* Florum primo ver nuntiantium, est viola alba; postea quæ appellatur *purpurea.*

16. *Rapiturque Notis*] *Noti* hic pro ventis in genere, ut Psal. i. 4. *Notus.*

17. *Grege*] Vid. de hac voce Not. in Psal. i. 1. *Grege.*

19. Ætheris in medio ſolium ſibi Rector Olympi
Fixit; et hinc orbem ſolus ubique regit.
20. Turma potens, volucriſque! Dei quæ juſſa faceſſis,
Huic, age! cœleſti pectine pange melos.
21. Qui cœli ſub Rege meres, exercitus omnis!
Pange tui laudes, quo decet ore, Ducis.
22. Divinâ cœlata manu, tu machina mundi!
Tu mea, dum ſuperes, mens! cane læta Deum.

ANNOTATIONES.

19. *Rector Olympi*] De *Olympo* vide Not. in Pſal. xiix. 15. *Rector Olympi*.

20. *Turma potens volucriſque*] Eſt *Periphraſis* pro *Angelis*, qui viribus excellunt, et alacriter Deo miniſtrant.

Cœleſti pectine] *Pecten*, vel *plectrum*, inſtrumentum quo citharam pulſamus. Teſte Virgilio:

— *Jam* pectine *pulſat eburno*, Æn. vi. 647. Hîc per *Metonymiam* pro *ipſâ citharâ*.

21. *Pange laudes*] De primariâ ſignificatione vocis *Pangere* vide Not. in Pſal. ix. 11. *Pangite*.

22. *Superes*] Pro *ſuperſis*, ut jam dictum ad Pſal. lxxiii. 4. *His ſuperant*.

Cane læta] *Læta* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *lætè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

CIV.

DICERE fert animus ſuperûm nova carmina Regi;
Quem ſacra majeſtas cingit, et ambit honos.
2. Se radiis, ceu veſte, tegit; ceu byſſina vela,
Explicat aſtriferi mœnia vaſta poli.
3. Inter aquas, domus alta trabes expandit eburnas;
Dantque triumphales nubila ſumma rotas:
Terga premens Zephyris, Euriſque jugalibus actus,
Pervolat eoas occiduaſque plagas.

4. Stant

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus etiam *Laudativus*, conſtat ex tribus ſummatim partibus. Prima eſt *Exordium*, verſu primo; ſecunda, *Narratio*, a verſu ſecundo ad trigeſimum; tertia, *Concluſio*, inde ad finem uſque.

1. *Superûm*] Per *Syncopen* dixit pro *ſuperorum*.

2. *Ceu byſſina vela*] De voce *Byſſina* vide Not. in Pſal. lxxviii. 36. *Byſſina verba*.

3. *Triumphales rotas*] *Rotas* pro *currus* dicitur per *Synecdochen*

Terga premens Zephyris] *Zephyris*

4. Stant circùm aligeri proceres, flammæque miniſtræ;
Et certant alacres, quò jubet ille ſequi.
5. Pondere nixa ſuo, medio ſtat in aëre tellus
Pendula; nullius præcipitanda manu.
6. Illa prius pelago, ceu velo tecta latebat;
Altius et ſummis montibus æquor erat.
7. At ſimul intonuit tua vox, Pater alme! mariſque
Cedere juſſit aquam, juſſa receſſit aqua.
8. Surgere cœperunt montes; et ſidere valles,
Collibus incinctæ, nubiferiſque jugis.
9. Tu mare ſepſiſti clauſtris; ne, fœdere rupto,
Terra repentinis obrueretur aquis.
10. Vallibus in mediis, et rupes inter acutas,
Flumina tu ſtabili currere lege jubes.
11. His pecudes, timidique ſimul ſaturantur onagri;
Quæque colunt ſylvas, et loca ſola feræ.
12. Hæc circùm glomerantur aves; nidoſque loquaces
Intexunt ramis arboreiſque comis.
13. Æthereo tu rore beas juga conſita dumis;
Totaque cœleſti ſub pede ridet humus.

ANNOTATIONES.

phyris hîc ponitur pro *Zephyrorum* per *Antiptoſin*.

Euriſque jugalibus] De *Euro* vento orientali vide Not. in Pſ. xlviii. 7. *Eure*.

Eoas] De hac voce conſule Not. in Pſal. xix. 5. *Eoo*.

4. *Certant alacres*] *Alacres* ponitur hîc adverbialiter per *Enallagen* pro *alacriter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

6. *Æquor*] De hujus vocis Etymologiâ vide Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas*.

7. *Pater alme*] De hoc epitheto *almus* vide Not. in Pſal. xii. 1. *Alma*.

11. *Saturantur onagri*] *Onager* a Græco ὄναγρος, *aſinus ſylveſtris*: componitur ex ὄνος, *aſinus*, et ἄγριος, *ſylveſtris*. Occurrit apud Virgilium;

— *Timidos* onagros *agitare curſu*, Georg. iii. 409.

12. *Glomerantur aves*] Ita Virgilius:

Quam multæ glomerantur aves —— Æn. vi. 311.

Vide Not. in Pſal. xviii. 11. *Nubes glomerans*.

Nidoſque loquaces] Ad exemplum Virgilii:

Pabula parva legens nidiſque loquacibus *eſcas*,
Æn. xii. 475.

Vide Not. in Pſal. lxxxiv. 3. *Cunas*.

Comis] *Comæ* hîc ponitur pro *folia*, ut Pſal. i. 3. *Brachia—comas*.

13. *Ridet humus*] De uſu metaphorico verbi *ridet* vide Not. in Pſal. lxv. 10. *Ridet humus*.

14. Hæc

14. Hæc pecori gramen de vectigalibus arvis,
Hæc homini vescum sponte ministrat olus.
15. Farre novas vires, et vultum pingis olivo;
Et recreas dulci tristia corda mero.
16. Sylvarumque potens, Libani sacra culmina cedris
Conseris: hîc volucrum pendula tecta locas.
17. Apta fretis abies se tollit in æthera; pullos
Pascit et hîc colubris nuntia veris avis.
18. Incolit imbellis latebrosa cuniculus antra;
Errat et in summis hirta capella jugis.
19. Tu lunæ rapidis metiris tempora bigis;
Sol jubar Hesperiis, te duce, mergit aquis.
20. Tu tenebris condisque diem, noctemque reducis:
Noctivagasque feras, quò lubet, ire jubes.

ANNOTATIONES.

15. *Tristia corda*] Est pluralis numerus pro singulari per *Heterosin.*

16. *Sylvarumque potens*] Est elegantissima et pulcherrima loquendi forma. Hoc in loco, ut ubique, a Marone edoctus est noster,

—*Te maximus orbis*
Auctorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat,—Geor. i. 26, etc.

Est etiam Horatium imitatus:

Phœbe, sylvarumque potens
Diana, Carm. Sec. I.

Et *Carm.* iii. *Od.* xxv. 14.

— *O* Naïdum potens.

Libani] De *Libano* vide Not. in Psal. xxix. 5. *Libani vertex.*

17. *Apta fretis*] *Fretum* hîc ponitur per *Metonymiam* pro *navibus* quæ sulcant *freta.* Ut etiam apud Virgilium, *Æn.* i. 228.—*Mare velivolum* pro *navibus velivolis.*

Pullos pascit colubris] *Ciconiam* intelligit, Anglice the Stork; quæ avis serpentibus pullos nutrit. Teste Juvenale:

—*Serpente* Ciconia *pullos*
Nutrit, et inventâ per devia rura lacertâ, Sat. xiv. 74.

Nuntia veris avis] De prudentia *Ciconiæ* in itu et reditu ad stati temporis articulum, agitur *Jerem.* viii. 7.

19. *Lunæ rapidis bigis*] *Luna* apud Poetas semper depingitur *bigis* invecta; Sol verò quadrigis. Currum Lunæ trahebant duo equi, alter albi, alter nigri coloris; forsan quia Luna apparet interdiu pariter ac noctu.

Sol jubar hesperiis mergit aquis] De *Hesperiis* pro *occidentalibus* vide Not. in Psal. xix. 6. *Littus in Hesperium.*

20. *Condisque diem, noctemque reducis*] Copula *que* hîc geminatur et redundat per *Polysyndeton*, ut Psalm. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

21. Tum

21. Tum ruit in prædam ſoboles animoſa leonis;
Et te mugitu ſupplice poſcit opem.
22. Aſt ubi ſol oriens vitreis caput extulit undis,
Turba ferox latebras quærit, et antra ſubit.
23. Gens hominum interea, ſtratis excita, labori
Inſtat; et in noctem continuatur opus.
24. O Deus! ampla tuæ quàm ſunt miracula dextræ!
O quàm ſolerti ſingula mente regis!
25. Divite tu gazâ terras et meſſibus imples;
Nec minùs eſt vaſti fertilis unda maris:
Squammiger hanc peragrat populus, proleſque parentem
Stipat, et ingentes turba minuta duces.
26. Hîc, inter circumque rates, maris incola piſtrix
Ludit; et informi mole ſuperſtat aquis.
27. Quidquid humus, vel pontus alit, te ſuſpicit; uno
Te tempeſtivas poſcit et ore dapes.
28. Cuncta legunt epulas, tu quas, Pater alme! miniſtras:
Cuncta ſaginantur, te reſerante manum.
29. Omnia turbantur, tu cùm jubar occulis oris;
Et fiunt, animam te revocante, cinis.
30. Mox ubi vitales inſpiras luminis auras,
Sêcla renaſcuntur, juſſaque vernat humus.
31. Ætheris ergò Parens omni cantabitur ævo;
Gaudebitque operis nobilitate ſui.

ANNOTATIONES.

22. *Vitreis undis*] De hoc epitheto *vitreis* vid. Not. in Pſal. lxxv. 6. *Vitreis aquis*.

25. *Divite gaza*] De voce *gaza* vid. Not. in Pſal. xlix. 8.

26. *Maris incola piſtrix*] *Piſtrix* hîc dicitur per *Metatheſin* pro *priſtis*, quæ ſumitur vulgo pro *Balæna*, quamvis a Plinio diſtinguatur: maximæ molis, et tamen velociſſime fluctus ſecans, unde nomen habet: πρίστης enim eſt ſector.

29. *Oris*] Dicitur hîc per *Synecdochen* pro *vultus*.

30. *Luminis auras*] De hac dictione vide Not. in Pſal. c. 3. *Debes luminis auras*.

Sêcla] Per *Syncopen* pro *ſecula*. de qua voce vide Not. in Pſal, xlv. 6. *Mobile ſêclo*.

31. *Operis nobilitate*] *Nobilitas* pro fama et nominis celebritate. Ut apud Ciceronem: *In eo ipſo in quo prædicationem* nobilitatemque *deſpiciunt*, *prædicari de ſe ac nominari volunt*, Pro Archia 26.

32. Illius adſpectu, tellus tremit infima; fumant
Ardua cœleſti culmina tacta manu.
33. Æthere dum veſci datur, et vitalibus auris,
Hic mihi materies carminis unus erit.
34. Grata ſit huic, opto, vox hæc; ſic gaudia carpam,
Dum recolam Domini munera tanta mei.
35. O pereant ſcelerum ſocii, de ſtirpe reciſi!
O premat infandos fœda ruina lares!
Interea tu læta Dei, mens! concipe laudes;
Quiſquis et hunc orbem, quem regit ille, colis.

ANNOTATIONES.

33. *Æthere veſci*] De hac dictione vide Not. in Pſal. xvi. 3. *Veſcitur aura.*

35. *Infandos lares*] De hac voce *Lares*, vide Not. in Pſal. xviii. 45. *Sepoſitoſque lares.*

Læta concipe] *Læta* hîc adverbialiter ſumitur per *Enallagen* pro *lætè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

CV.

FUNDITE vota Deo, meritas et ſolvite grates:
Gentibus ætherei pandite facta Patris.
2. Tollite grandiſono Domini miracula plectro:
Sint argumentum carminis illa novi.
3. Vir pius hoc unum jactet venerabile nomen;
Geſtiat et Domini quem pius urit amor.
4. Hunc colat, hunc poſcat victricis pignora dextræ:
Optet et illius jugiter ore frui.
5. Quæ Deus exhibuit, ſubeant miracula mentes,
Quæque piis olim jura reliquit avis.
6. Alloquor Iſacidas, lectum genus; alloquor Abræ
Progeniem: famulus Numinis ille fuit.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, ex duabus partibus conſtans; *Exordio*, ad verſum ſeptimum; et *Narratione*, ad finem uſque.

2. *Plectro*] De hac voce vide Not. in Pſal. xlix. 4. *Plectro.* Ponitur hîc per *Metonymiam* pro *cithara.*

4. *Hunc colat, hunc poſcat*] Notetur hîc *Anaphora*, de qua vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi,*——*Sceptra.*

Ore] Per *Synecdochen* ponitur hîc pro *vultu.*

7. Rerum

7. Rerum Opifex nobis Deus eſt; hic præſidet orbi,
Juſtitiæ terris et monumenta dedit.
8. Fœderis ille ſui memor eſt; et verba, fideſque
Priſtina tot ſêclis inviolata manent.
9. Hic Abrahæ, natoque pio, magnoque nepoti,
Non ſemel obſtrinxit tempus in omne fidem.
10. Hæc eadem toti juravit fœdera genti
Abramidûm, nullo diſſolüenda die.
11. Quos, ait, hîc habitat Canaæ gens impia, fines
Adſpice; diviſos hos tibi ſorte dabo.
12. Nec numero, memini, nec belli robore pollens,
Hoſpes in hac olim gens ſacra vixit humo.
13. Nec mora, nec requies; populis, heu! præda profanis
Ceſſit; in exſilium nec ſemel acta fuit.
14. Vim tamen, et noxam Deus omnem depulit: ipſos
Fulmineis reges terruit ille minis.
15. Quem mihi ſacravi, populum ne tangite, dixit;
Ne viola vates, turba profana! meos.

ANNOTATIONES.

9. *Natoque pio, magnoque*] Hîc copula *que* geminatur per Figuram *Polyſyndeton*, de qua vide Not. in Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem.*

10. *Abramidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Abramidarum.*

Nullo diſſolüenda die] Eſt hîc diviſio unius ſyllabæ in duas per Figuram quæ *Diæreſis* dicitur: nam *diſſolüenda* dixit pro *diſſolvenda*, ad exemplum Tibulli:

——*Parcæ fatalia nentes*
Stamina, non ulli diſſolüenda *Deo,* 1 Eleg. vii. 2.

11. *Canaæ gens*] Terra Iſraelitica, vulgo terra Dei, ſeu terra ſancta, priùs dicta terra *Canaæ*, ſive Canaan, a Canaan filio Cham, cujus poſteri eam regionem incoluerunt: his vero expulſis ceſſit Iſacidis. A meridie habuit montes Idumæos, ab oriente lacum Aſphaltitem, fluvium Jordanem, et mare Galilæum; a ſeptentrione montem Libanum, ſive Phœnicum fines; et ab occidente mare Mediterraneum.

13. *Nec mora, nec requies*] Ita Virgilius de Entello Dareta præcipitem agente:

Nec mora, nec requies: *quam multa grandine nimbi*
Culminibus crepitant, ſic denſis ictibus Heros
Creber utraque manu pulſat, verſatque Dareta,
Æn. v. 458.

16. Intulit

16. Intulit hic olim miseris jejunia terris;
Aruit et lævo sidere tacta seges.
17. Tum gregis electi meminit; famulumque Josephum,
Qui jam venierat, misit in arva Phari.
18. Ille diu latuit tenebrosi carceris antro
Clausus; et arctârunt ferrea vincla pedes:
19. Ast ubi missa polo discussit somnia; vatis
Et patuit pietas, mille probata modis:
20. Vincula rex dempsit, libertatemque priorem
Reddidit; hunc populi jussit et esse ducem.
21. Principis ornatus titulo, præfectus et aulæ,
Memphi! tuas idem rexit et auxit opes.
22. Fas erat huic regni proceres compescere vinclis;
Inque senatorum jura docere choro.
23. Mox pater Isacides Pharias descendit in oras,
Inque peregrinâ substitit hospes humo.
24. Illius et sobolem rerum Pater auxit, opesque;
Et novus indigenis advena major erat.
25. Tum Pelusiacus, mutatâ mente, tyrannus
Æstuat, et populum tollere fraude parat.
26. Ergò Deus Mosen, lecto cum fratre, ministrum
Mittit in invisi barbara regna soli.
27. Numinis attonitus vidit miracula Nilus,
Sensit et ultrici spicula missa manu.

28. Illius

Annotationes.

16. *Lævo sidere*] Vide Not. in Psal. xvi. 4. *Nomina læva.*

17. *Arva Phari*] De *Pharo* consule Not. in Psal. lxxiv. 13. *Pharios duces.*

18. *Arctârunt—vincla*] Pro *arctaverunt* et *vincula*, utrumque per *Syncopen.*

19. *Polo* Vide Not. in Psal. xviii. 12. *Micare polus.*

21. *Memphi*] Consule Not. in Psal. lxviii. 31. *Memphis.*

22. *Vinclis*] Per *Syncopen* ponitur pro *vinculis.*

Choro] Vide Notam in Psal. xviii. 10. *Chori.*

23. *Pharias oras*] Vide Not. in Psal. lxxiv. 13. *Pharios duces.*

25. *Pelusiacus*] Consule Not. in Psal. lxxviii. 44. *Pelusiaco sanguine.*

Tyrannus] De propriâ hujus vocis significatione, vide Not. in Psal. vii. 2. *Impune tyranni.*

26. *Barbara regna*] Per *Heterosin* ponitur hîc pluralis numerus pro singulari.

27. *Nilus*] Hîc ponitur pro *Ægypto.* De *Nilo* flumine jam dictum ad Psal. lxxxviii. 12. *Barbare Nile.*

Ulci[illegible]

28. Illius Heroes alacres dum juſſa faceſſunt,
Triſtibus eſt tenebris undique ſepta Pharos.
29. Indigenûm tepido manârunt ſanguine rivi,
Squammigeroſque putris ſuſtulit unda greges.
30. Fudit humus turpes, frugum pro munere, ranas;
Et torus his regis tectus, et aula fuit.
31. Regia peſtiferæ fœdârunt pocula muſcæ;
Et nuſquam vacuus cimice lectus erat.
32. Antè dabat cœlum pluvias; tum grandinis imber
Deſuper, et crepitans fulmine flamma ruit.
33. Ficus, et everſis periit cum vitibus uva;
Et nemora excuſſis procubuêre comis.
34. Agmine mox denſo, vaſtârunt arva locuſtæ;
Bruchus et herboſos eſt populatus agros.
36. Nec mora, primitias ſobolis, floremque juventæ,
Abſtulit atroci mors inopina manu.
37. Aucta Phari ſpoliis fines gens ſacra nefandos
Liquit; et imbelli corpore nemo fuit.
38. Vidit ut hanc abitum moliri terra Canopi,
Geſtiit; excuſſo quo fuit icta metu.
39. Nube Deus populum ſolis defendit ab æſtu:
Flammaque per tenebras prævia rexit iter.

40. Mox

ANNOTATIONES.

Ultrici manu] Per *Hypallagen* dicitur pro *manu Dei ultoris*: ſimilia habes apud Virgilium alioſque Poetas exempla:

(1) ——*Animumque explêſſe juvabit*
Ultricis flammæ, *et cineres ſatiâſſe meorum*,
Æn. ii. 587.

(2) *Hæc cape, et* ultricem *pharetrâ deprome* ſagittam,
Æn. xi. 590.

28. *Pharos*] Pro *Ægypto*. Vide Not. in Pſal. lxxiv. 13. *Pharios duces*.

29. *Indigenûm — manârunt*] Per *Syncopen* pro *indigenarum* et *manaverunt*.

Squammigeroſque] Per *Epentheſin* dicitur pro *ſquamigeroſque*.

Unda] Pro *aqua*, ut apud Virgilium:

—*Et tacitâ refluens ita ſubſtitit* undâ, *Æn*. viii. 87.

31. *Fœdârunt*] Per *Syncopen* dicitur pro *fœdaverunt*.

33. *Excuſſis comis*] *Comæ* pro *foliis*, ut Pſal. i. 3. *Brachia, comas*.

34. *Vaſtârunt*] Per *Syncopen* dicitur pro *vaſtaverunt*.

Bruchus] Vide Not. in Pſal. lxxviii. 46. *Bruchus*.

37. *Phari*] Vide Not. in Pſ. lxxiv. 13. *Pharios duces*.

38. *Canopi*] Conſule Notam in Pſal. lxxviii. 49. *Canopi*.

40. Mox Pater æthereus volucres in castra cupitas
Misit, et ignotas cœligenasque dapes.
41. Limpida de silicum manârunt flumina venis;
Et dulces Arabum tesqua rigâstis aquæ!
42. Nempe Deus pacti meminit fideique, ministro
Quæ data Thariadæ, nec violata fuit.
43. Sic bonus Isacidas, cœlesti vindice lætos,
Finibus eduxit, maxime Nile! tuis.
44. Expulit et gentes, et, quæ coluêre tot annis
Indigenæ, populo contulit arva suo.
45. Legis in obsequium sic flexit pectora: laudes
Illius altisonis ferte sub astra modis.

ANNOTATIONES.

Gestiit] Per *Syncopen* dicitur pro *gestivit*.

41. *Manârunt*] Ponitur per *Syncopen* pro *manaverunt*.

Arabum] Vide Not. in Psal. lxxii. 10. *Ustus Arabs*.

Tesqua] De hac voce jam dictum ad Psal. xxix. 8. *Tesquaque*.

Rigâstis] Per *Syncopen* ponitur pro *rigavistis*.

Aquæ] Per *Apostrophen* hîc affatur *aquas*, more poetico.

43. *Vindice*] Vide Not. in Psal. xxv. 20. *Te vindice*.

Maxime Nile] Est *Apostrophe* ad *Nilum*, de quo vide Not. in Psal. lxxviii. 12. *Barbare Nile*.

45. *Sub astra*] Consule Not. in Psal. iii. 3. *Ferre sub astra*.

CVI.

EIA agedum! laudate Deum, facilemque, bonumque:
Illius, excluso limite, durat amor.
2. Facta quis illius numero comprêndere? laudes
Quæ queat et titulos æquiparare chelys?

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, constans ex quatuor partibus; prima est *Exordium*, versu primo; secunda *Propositio*, a versu secundo ad septimum; tertia, *Narratio*, a versu septimo ad quadragesimum septimum; quarta, *Conclusio*, duobus ultimis versibus.

2. *Comprêndere*] Per *Syncopen* dicitur pro *comprehendere*.

Titulos] Vide Not. in Psal. xviii. 49. *Tuos Titulos*.

Chelys] De hac voce supra ad Psal. xliii. 4. *Te referet chelys*.

3. O felix nimiùm populus, cui candida mens eſt,
Labe vacans pectus, juſtitiæque tenax!
4. Reſpice me placido, superûm Rex inclyte! vultu;
Lenis et optatæ ſterne ſalutis iter.
5. Da bona; ſelectæ da gaudia carpere gentis;
Inter et hæredes poſſe nitere tuos.
6. Æmula progenies proavûm deliquimus; inſons
Nec ſcelerum mens eſt, nec ſine labe manus.
7. Hoc latuit, Phariis cœli quæ Rector in oris
Præſtitit; et toties, hoc duce, parta ſalus:
Nec ſemel hunc patres irritavere rebelles,
Hîc, ubi purpurei panditur unda maris.
8. Sed memor hic pacti populum ſervavit, et orbi
Roboris immenſi pignora certa dedit.
9. Æquor ut increpuit, campi, maris alveus, inſtar
Aruit, et tutum per vada fecit iter.
10. Hâc ope traducens populum, vim depulit hoſtis;
Cui furor accendit, triſtis et ira, jecur.

11. Gentis

ANNOTATIONES.

3. *Felix nimiùm*] Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimiùm*.

Candida mens] De voce *candidus* vide Not. in Pſal. iv. 1 *Candida*.

4. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſuperorum*.

Lenis ſterne] *Lenis* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *leniter*: ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

5. *Da bona—da gaudia*] Notetur *Anaphora*, de qua conſule Not. in Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, ſceptra*.

6. *Proavûm*] Per *Syncopen* ponitur pro *proavorum*.

7. *Hoc latuit*] *Latet* eſt inter verba quæ vocant imperſonalia, quo modo etiam apud Virgilium:

Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ, Æn. i. 134.

Refertur *hoc* ad totam ſententiam; quaſi dixerit *hoc negotium*, *quæ* ſcilicet *Rector cœli*, etc.

Phariis] Vide Not. in Pſal. lxxiv. 13. *Pharios duces*.

9. *Æquor*] De hujus vocis Etymo et propriâ ſignificatione vide Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas*, etc.

Per vada] De propriâ ſignificatione vocis *vada*, vide Not. in Pſal. xxvi. 9. *Vadis*. Hîc verò ponitur pro *undis* vel *aquis*, ut Pſal. lxxiv. 17. *Septa vadis*.

10. *Cui*] Per *Antiptoſin* dicitur pro *cujus*, ut Pſal. i. 3.

Furor accendit—jecur] *Jecur* eſt viſcus id, quod dextra parte ventriculo aſſidet, ſanguinemque conficit. Proprie eſt ſedes libidinis, non furoris; nam in felle ira, in jecore amor ac libido, in ſplene riſus, in corde ſapientia proprie reſident. Sed non inuſitatum Poetis iracundiam etiam in jecore ſtatuere.

U 2 Ut

11. Gentis at invisæ refluì maris unda phalanges
Obruit, et cladi nemo superstes erat.
12. Tum Domino fidens populus, cœlestibus hymnis
Invicti cecinit clara tropæa Ducis.
13. Mox tamen hæc partæ gens est oblita salutis;
Abnuit et Domini jussa sacrata sequi.
14. Illius, arentes Arabum dum calcat arenas,
Mota libidinibus Numinis ira fuit.
15. Annuit optatis, missâ dape, Rector Olympi;
Sed fuit huic macies perniciosa comes.
16. Obstitit hæc Mosi, fratrique, rebellibus ausis;
Sparsit et in sacros impia probra duces.
17. Dathanem tum sorpsit humus reclusa: perîsti
Tu quoque cum sociis, dux Abirame! tuis.
18. Flamma vorax reliquos involvit; et impete vasto,
Cum dominis, ipsos est populata lares.
19. Crevit et impietas: sculpto gens impia tauro
Supplicat, hirsutos ante voluta pedes.
20. Judice pro superûm, cœli pro Numine, culta est
Fronde saginati turpis imago bovis.
21. Mentibus exciderat favor, et miracula tanti
Vindicis, et Phariis unda refusa vadis.

ANNOTATIONES.

Ut (1) apud Horatium:
——— *Væ meum*
Fervens difficili bile *tumet jecur*, 1 Carm. xiii. 4.

(2) Juvenalem:
Quid referam quantâ siccum jecur *ardeat* irâ,
Sat. i. 45.

11. *Phalanges*] Vide Not. in Psal. iii. 1. *Phalanges.*

12. *Tropæa*] Consule Not. in Psal. xx. 5. *Læta tropæa.*

14. *Arabum*] De hac gente supra dictum ad Psal. lxxii. 10. *Ustus Arabs.*

15. *Olympi*] Vid. Not. in Psal. xlix. 15. *Rector Olympi.*

17. *Dathanem* — *Abirame*] De hoc eventu vide *Num.* xvi. 31. etc.

Dux Abirame] Est *Apostrophe* ad hunc.

18. *Lares*] Vide Not. in Ps. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

19. *Tauro supplicat*] Vide de hoc cultu idololatrico, *Exod.* xxxii. 4.

21. *Phariis* — *vadis*] De voce *Pharius* pro *Ægyptius*, vide Not. in Psal. lxxiv. 13. *Pharios duces*; et de *vadis* pro *aquis*, consule Psal. lxxiv. 17. *Septa vadis.*

23. Ergò soli, cœlique Parens, extrema minatus,
Corripit ultrici tela tremenda manu:
Hunc nisi flexisset, fusâ prece, legifer Heros,
Stravisset scelerum mors violenta duces.
24. Pergit adhuc, et ridet opes gens impia terræ
Quam petit; et Domino derogat usque fidem.
25. Illius imperium detrectans, castra tumultu
Distrahit; et querulâ sidera voce ferit.
26. Talibus accensus, tandem se Conditor orbis
Ulturum jurat perpete morte nefas.
27. Destinat exitio populum, gentesque per omnes
Spargere cum totâ posteritate parat.
28. Gens tamen hæc amens Beli dare munera templis,
Inferiasque nigris Manibus ausa fuit.
29. Sic rursum calidâ rerum Pater æstuat irâ;
Obruit et plagis perfida castra novis.
30. Ultor adest Phineas, armatus vindice ferro:
Hâc ope cœlestis substitit ira Patris.
31. Vindicis hunc justi titulis insigniet orbis!
Tollet et in cœlum nescia fama mori.
32. Et, Meribam propter, meritas Deus induit iras;
Sumptaque de populi principe pœna fuit.

33. Turba

ANNOTATIONES.

23. *Ultrici manu*] Vide Not. in Psal. cv. 27.

Tela] De hujus vocis Etymo vide Not. in Psal. iii. 6. *Tela*.

Hunc nisi flexisset] De hoc eventu vide *Exod.* xxxii. 10.

24. *Ridet opes*] Alludit ad historiam quæ refertur *Numb.* xiv. 1.

28. *Beli templis*] Vide *Num.* xxv. 3. *Belus*, sive *Jupiter Belus*, erat magnus Deus Assyriorum et Phœnicum; cui superbum templum Babylone fuit extructum. Hic Belus Nini pater fuisse traditur, qui primus ei cultum instituit. Ninus verò ille est quem sacræ literæ nominant *Tiglath Pilesar*, cujus pater, dictus *Pul*, idem erat ac Belus.

Inferiasque] *Inferiæ* erant sacra mortuorum quæ *inferis* solvebantur. Constabant liquoribus et victimis. Liquores erant aqua, lac, vinum, et sanguis. Virgilius hos describit:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras: —
Æn. iii. 66.

Nigris manibus] Vide Not. in Psal. lxxxviii. 4. *Manibus adscribor gelidis*. Hic sumuntur *Manes* pro *Diis inferorum*.

30. *Ultor adest Phineas*] Vide *Num.* xxv. 7.

31. *Titulis*] Vide Not. in Psal. xviii. 49. *Tuos titulos*.

32. *Meribam propter*] Vide *Num.*

33. Turba ducem ſecum rapuit; dubiumque coegit
Vana, Deo coram, nec ſatis apta, loqui.
34. Sed neque cura fuit gentes delere nefandas,
Quas Deus e ſacrâ pellere juſſit humo.
35. His junxit gens ſancta lares, populique profani
Mox didicit mores ingeniumque ſequi.
36. Numine poſthabito, peregrinis munera Divis
Obtulit, indignis ludificata modis.
37. Nac ſat id eſt; furiis agitur ſine fine modoque:
Mactat et infernis pignora chara Deis.
38. Cæde ſuæ ſobolis Chananæas imbuit aras;
Inſontique ſacram ſanguine tinxit humum.
39. Sic, ſibi quos ſculpſit, ſupplex dedit oſcula truncis;
Inventis et ſe polluit ipſa ſuis.
40. Ergò, ſuum contra populum, Deus arſit in iras;
Nec fuit Iſacidis gens odioſa magis.
41. Nec mora, ſanguineis hunc inſervire tyrannis
Cogit, et hoſtili ſubdere colla jugo.
42. Oppreſſæ, fractæque malis, et cladibus hauſtæ
Iſacidûm, quot erant, ingemuêre tribus.

43. Sæpe

ANNOTATIONES.

Num. xx. 13. De *Meriba* jam dictum ad Pſal. lxxxi. 7.

34. *Sed neque cura fuit*] Reſpicit ad *Deut.* vii. 2.

35. *His junxit lares*] Vide Not. in Pſal. xviii. 45. *Sepoſitoſque Lares.*

37. *Mactat*] Vide de hoc verbo Not. in Pſal. xlv. 4. *Macte novis titulis.*

Pignora] *Pignus* dicitur, aut munus, aut aliquid ſimile, quod amoris et benevolentiæ indicium, argumentum idoneum, vel etiam ſignum certum eſſe volumus. Pro liberis *pignora* accipiuntur: quoniam liberi videntur tanquam pignora inter virum et uxorem eſſe, tum vinculi, ne alioqui divortium fiat; tum charitatis.

38. *Chananæas aras*] Vid. Not. in Pſal. cv. 11. *Canaæ gens.*

Inſontique ſanguine] Vid. Not. in Pſal. iii. 7. *Innocua cæde.*

39. *Supplex dedit*] *Supplex* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *ſuppliciter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

40. *In iras*] *Iras* hîc ponitur per *Heteroſin* pro *iram.*

41. *Nec mora*] Vide Notam in Pſal. xxx. 2.

Tyrannis] Conſule Not. in Pſal. vii. 2. *Impune tyranni.*

Jugo] Vide Not. in Pſal. xlvii. 3. *Juga.*

42. *Cladibus hauſtæ*] De hac ſignificatione verbi *haurio* vide Not. in Pſal. xliv. 19. *Hauſerunt miſeros.*

Inge-

43. Sæpe Deus populum defendit, ſæpe rebelles
Traxit in exitium, qui fuit autor opis.
44. Aure tamen facili gemitus excepit, amoris
Scilicet, et priſci fœderis uſque memor.
45. Ipſe ſuas iras, et pectora molliit hoſtis;
Gens ſacra cùm durâ compede vincta foret.
47. Affere nos, vindex! ſparſoſque recollige, rerum
Conditor! Iſacidæ quò tua facta canant:
41. Sic te præſidium lecti gregis efferet orbis
Ultimus, et laudes poſtera ſêcla tuas.

ANNOTATIONES.

Ingemucre tribus] Romulus populus Romanorum in tres partes diſtribuerat, quæ propterea *tribus* dictæ; hæ poſtea multiplicatæ priſtinum nomen retinuere, teſte Virgilio:

Claudia nunc a quo diffunditur et tribus *et gens*,
Æn. vii. 708.

Iſacidas in duodecim *tribus* fuiſſe diviſas, omnibus fere notum.

Iſacidûm] Per *Syncopen* dicitur pro *Iſacidarum.*

45. *Ipſe ſuas iras*] Spectat ad *Deut.* xxx. 3. *Iras* hîc dicitur per *Heteroſin* pro *iram.*

Molliit] Per *Syncopen* ponitur pro *mollivit.*

47. *Vindex*] Vide Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

48. *Sêcla*] Per *Syncopen* ponitur pro *ſecula.* Vide Not. in Pſal. xlv. 6. *Mobile ſeclo.*

CVII.

REDDE Deo grates, bonitas cui paſſibus æquis
It comes, et nullo limite ſeptus amor.
2. Hunc canat, huic vitam ſe qui debere fatetur;
Quiſquis et, hôc olim vindice, ſenſit opem.
3. Hunc populi celebrent, Eois quotquot ab undis,
Et quot ab Heſperiis ille reduxit aquis:
Et quos a gelido collegit cardine mundi,
Et quos nimbiferi traxit ab axe Noti.

4. Er-

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, tribus partibus conſtans; *Propoſitione*, verſu primo; *Narratione*, a verſu ſecundo ad quadrageſimum ſecundum; et *Concluſione*, duobus ultimis verſibus.

3. *Eois*] Vide Not. in Pſalm. xix. 5. *Thalamo Eoo.*

Heſperiis] Conſule Not. in Pſal. xix. 6. *Littus in Heſperium.*

Cardine mundi] Vide Not. in Pſal. xl. 3. *Gemino ſub cardine.*

Nimbi-

4. Errabant queruli per inhoſpita teſqua; nec urbes,
Nec domus his, profugi quâ tegerentur, erat.
5. Omnibus ora fames, ægras ſitis arida fauces
Clauſerat; et priſcus liquerat oſſa vigor.
6. Rebus in adverſis, ſuderunt vota Tonanti;
Nec mora, de mediis eruit ille malis.
7. Prævius optatas palantes duxit in urbes,
Et bonus afflictis tecta colenda dedit.
8. O, precor, illius celebret miracula tellus;
Et largam miſeris munificamque manum!
9. Ille ſuos epulis olim ſaturavit opimis;
Invalidis vires præbuit ille novas.
10. Adſpice captivos lethi caligine merſos,
Cura quibus torquet pectora, vincla pedes.
11. Hi priùs ætherei monitus riſêre Parentis,
Juſſaque ſupremi conſiliumque Ducis.
12. Ergò Deus ſontes curis oppreſſit amaris:
Nec tamen, auxilio qui foret, ullus erat.
13. Rebus in adverſis, ſuderunt vota Tonanti;
Nec mora, de mediis eruit ille malis.
14. Extulit e lethi tenebris, et carceris umbrâ;
Duraque cœleſti vincula rupit ope.
15. O, precor, illius celebret miracula tellus,
Et largam miſeris munificamque manum!
16. Illius imperio, vectes et ahenea clauſtra,
Et ferro rigidæ diſſiliere fores.
17. Dum ruit in præceps, et legum ſpernit habenas,
Quas meruit pœnas ſtulta caterva luit.

ANNOTATIONES.

Nimbiferi Noti] De *Noto* conſule Not. in Pſal. i. 4. *Notus*. Dicitur *nimbifer* et *nimboſus*, quia *nimbos* et *humores* colligit, unde nomen habet.

Axe] Hîc ponitur pro regione ſub *axe* poſita, de quo vide Not. in Pſal. xix. 4. *Axe*.

4. *Teſqua*] De hac voce conſule Not. in Pſal. xxix. 8. *Teſquaque*.

5. *Omnibus ora*] *Omnibus* hîc ponitur per *Antiptoſin* pro *omnium*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*.

10. *Lethi*] De hujus vocis Etymo vide Not. in Pſal. vi. 3. *Lethum pulſurus*.

Quibus torquet] *Quibus* hîc dicitur per *Heteroſin* pro *quorum*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis*.

Vincla] Per *Syncopen* ponitur pro *vincula*.

17. *Ruit in præceps*] Vide Not. in Pſal. v. 10. *Præceps*.

18. Re-

18. Respuit illa dapes, et nauseat; arida febris
Dum coquit, et pulsat mors inopina fores.
19. Rebus in adversis, fundit pia vota Tonanti;
Nec mora, de mediis eruit ille malis.
20. Voce suâ mœstum recreat, membrisque vigorem
Inspirat; tetricam pellit et inde luem.
21. O, precor, illius celebret miracula tellus,
Et largam miseris munificamque manum!
22. Quas decet, huic libet, curvato poplite, grates;
Et canat ætherei clara tropæa Patris.
23. Adspice velivolis populum qui puppibus æquor
Sulcat, et ignotâ merce fatigat aquas.
24. Huic Deus omnipotens mediis affulget in undis:
Scilicet hîc vires exserit ille suas.
25. Imperat ille Notis, et nunc mare tollit in altum,
Nunc premit: huic pectus liquitur omne metu.
27. Curritur huc illuc, et, ceu male sobrius, alnum
Qui regit, ah! titubat; spes neque restat opis.
28. Rebus in adversis, fundit pia vota Tonanti;
Nec mora, de mediis eruit ille malis.

ANNOTATIONES.

18. *Pulsat mors—fores*] Consule Not. in Psal. lxxxviii. 3.

22. *Libet*] De hoc verbo vide Not. in Psal. li. 16. *Quam tibi libarem.*

Tropæa] Consule Not. in Ps. xx. 5. *Læta tropæa.*

23. *Velivolis puppibus*] Id est, quæ velis, quasi alis volant. Ita Virgilius:

Despiciens mare velivolum, *terrasque jacentes*,
Æn. i. 228.

— *Et* velorum *pandimus* alas,
Æn. iii. 520.

Et contra, volucres nare per aërem dicuntur: Ut de Dædalo,

—*Gelidas* enavit *ad arctos:*
Æn. vi. 16.

ibidemque ℣ 19.

——— *Sacravit*
Remigium alarum.

Æquor sulcat] Est *Metaphora* ab aratro: quo modo ipse Virgilius:

— *Et longâ* sulcat *maria alta carinâ*, Æn. x. 197.

Fatigat aquas] Vide Not. in Psal. lv. 2. *Astra fatigo.*

25. *Notis*] *Notus* hîc ponitur pro *vento* in genere, ut Psal. i. 4. *Notus.*

Huic pectus] Per *Antiptosin* dicitur *huic* pro *hujus*.

27. *Alnum*] De *alno* pro *navigio*, vide Not. in Psal. xxx. 6. *Alnum concutiet.*

9. Sternit

29. Sternit aquas, frænatque Notos; portumque petitum,
Illius auspiciis, læta carina subit.
31. O, precor, illius celebret miracula tellus;
Et largam miseris munificamque manum!
32. Cœtibus in sacris, vox illum prædicet omnis;
Numinis et referant fortia facta senes.
33. Illius arescunt fontes et flumina nutu;
Et loca sicca priùs luxuriantur aquis.
34. Dumque reos plectit dominos, pro ditibus arvis
Exhibet hirsutis horrida tesqua rubis.
35. Dulcibus et scatebris steriles fœcundat arenas,
Siccaque flumineos ducit in arva lacus.
36. Hic epulas inopi, peregrinis sufficit urbes;
Vertit et in nitidos horrida tesqua lares.
37. Hic lætas segetes, gravidas hic surgere vites
Imperat, et domino ferre tributa suo.
38. Prole beat multâ populum, gregibusque petulcis;
Vixque suas numeret vespere pastor oves.
39. Mox carpit, tumidumque gradu deturbat ab alto;
Lancinat et vindex pectora mille modis.
40. Qui modò fulgebant, fœdati pulvere reges,
Carpere coguntur per loca senta fugam.
41. Sed Pater omnipotens humiles attollit in altum,
Auget et afflictas prole virente domos.
42. Hæc olim spectabit ovans, qui diligit æquum;
Ora sed Impietas tacta pudore premet.

ANNOTATIONES.

29. *Auspiciis*] Consule Not. in Psal. xxxvii. 6. *Illius auspiciis.*

Carina] Propriè infima pars navis, sive trabs ea qua navis fundatur: Anglice the Keel. Sed pro tota navi frequenter apud Poetas habetur: Ita Virgilius:

Nunc tantum sinus et statio malefida carinis, *Æn*. ii. 23.

36. *Lares*] Vide Not. in Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

38. *Vespere*] Vide Not. in Psal. xxii. 28. *Vesper.*

40. *Loca senta*] Consule Not. in Psal. xvi. 11. *Loca senta.*

42. *Ovans*] Vide Not. in Psal. xxxv. 25. *Jactet ovans.*

Ora] Dicitur pro *os* per *Heterosin* pluralis numeri pro singulari.

Impietas] Hic personaliter exhibetur ut Psal. i. 1.

43. Qui

43. Qui ſapit, et memori mea condit pectore dicta,
Diſcet ab his, quanto flagret amore Deus.

CVIII.

PROMPTA mihi mens eſt, et te, Deus! adſpicit unum:
Te mea vox Dominum, te celebrabit ebur.
2. Excute ſegnitiem, numeris cane, lingua! decoris:
Pſallite, vocali Nablia juncta lyræ!
3. Manè novo ſuper aſtra, Deus! te carmine tollam;
Et tua per populos fortia facta feram.
4. Magne Parens! æquat tua te clementia cœlo;
Tanſvolvat et nubes intemerata fides.
5. Quâ, Deus! effulges, effer ſuper æthera lucem;
Terraque ſit radiis tota coruſca tuis.
6. Tu tibi dilectum, ſuperis de ſedibus, audi;
Dumque vibrant hoſtes ſpicula, tende manum.
7. Vox hilarat me ſacra Dei; quo vate, Sucothi
Metiar, et Sichemæ partiar urbis agros.
8. Cum Gileadæis ſubdam mihi rura Manaſſæ;
Juda dabit leges, gens Ephraïma viros.
9. Juncta Moabæis populis, juga dives Idume
Induet imperiis obſequioſa meis:
Quæque Palæſtinæ pingues gens incolit oras,
Victa gravi bello noſtra tropæa canet.

10. Quo

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Votivus*, conſtans primo, *Exordio*, ad verſum octavum; ſecundo, *Confirmatione*, inde ad verſum decimum primum; poſtremo, *Concluſione*, inde ad finem uſque.

1. *Ebur*] Vide Not. in Pſal. xxxiii. 2. *Ebur*.

2. *Nablia*] De *nablio* conſule ibid. *Nablia*.

Lyræ] De *Lyra* ſupra dicitur ad Pſal. lvii. 8. *Lyræ*.

7. *Sucothi*] Vide de hac urbe Not. in Pſal. lx. 6. *Sucothi*.

Sichemæ] Eſt urbs non procul a Samaria, de qua conſule eundem, Pſal. lx. 6. *Sichemæ*.

8. *Cum Gileadæis*] De hoc populo jam dictum ad Pſal. lx. 7. ut etiam de *Manaſſa*, *Juda*, et *Ephraima*.

9. *Juncta Moabæis*] Conſule eundem Pſal. lx. 8.

Juga] De hac voce vide Not. in Pſal. xlvii. 3. *Juga*.

Dives Idume] Vide Not. in Pſal. lx. 8. *Dives Idume*.

Palæſtinæ] Conſule Notam

in

10. Quo duce munitæ ſuccedam mœnibus urbis?
Gentis Idumææ quo duce regna petam?
11. Qui prius exoſas acies educere bello
Jure recuſâſti, tu, Deus! arma reges.
12. Fer bonus auxilium, nos dum ferus obſidet hoſtis:
Te, Deus! excluſo, nemo miniſtret opem.
13. Numinis auſpiciis pugnabitur; hoſtica pubes
Concidet, et pedibus colla premenda dabit.

ANNOTATIONES.

in Pſal. xlviii. 11.

Noſtra tropæa] De voce *tropæa* vid. Not. in Pſal. xx. 5. *Læta tropæa.*

10. *Gentis Idumææ*] Vide Not. in Pſal. lx. 8. *Dives Idume.*

Regna] Eſt *Heteroſis* pluralis numeri pro ſingulari.

11. *Recuſâſti*] Per *Syncopen* dicitur pro *recuſaviſti.*

13. *Auſpiciis*] Vide Notam in Pſal. xxxvii. 6. *Illius auſpiciis.*

CIX.

QUI mihi regali cingis diademate frontem,
Dum premor adverſis, ne, Pater alme! ſile.
2. Hoſtis atrox famam mihi rodit dente maligno;
Armat et occultis ora nefanda dolis.
3. Frænaque dans odiis inſultat; et, impete facto,
In caput inſontis ſpicula mille vibrat.
4. Penſat amicitiam pluſquam capitalibus iris;
Aſt ego te ſupplex, dum premor, uſque voco.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Votivus*, cujus partes ſunt quatuor; prima eſt *Exordium*, uſque ad verſum ſextum; ſecunda, *Imprecatio*, inde uſque ad vigeſimum primum; tertia *Precatio*, ad verſum vigeſimum ſextum; poſtremo, *Concluſio*, inde ad finem uſque.

1. *Diademate*] Vide Notam in Pſal. xxi. 3. *Diademate.*

2. *Ora*] Eſt *Heteroſis* numeri pluralis pro ſingulari.

3. *Frænaque dans*] De hac *Metaphora* conſule Not. in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans.*

Inſultat] De hujus verbi propriâ et metaphoricâ ſignificatione conſule Not. in Pſal. xiii. 4. *Inſultet.*

4. *Supplex voco*] *Supplex* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *ſuppliciter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

5. Utilis obſequii gravis eſt injuria merces;
   Triſtis et eſt odii cauſa fidelis amor.
6. Hunc, precor, autori ſcelerum, Pater! objice prædam:
   Cingatur geniis impia dextra feris.
7. Judicis ante pedes, huic calculus exeat ater;
   Dumque rogat veniam, ſe probet ipſe reum.
8. Occidat ante diem fato præreptus; et alter
   Occupet illuſtrem, quem tenet ille locum.
9. Exulet orba viro conjunx, ſoboleſque parente;
   Et quærant inopes per loca ſenta dapem.
11. Inſtitor uſuris loculos emungat; et hoſtis
   Bellipotens reliquas depopuletur opes.
12. Nemo patrem miſerans, vel prolem ſublevet orbam;
   Sed cadat hæc nullo commemoranda die.
14. Tu delicta patrum, Deus! altâ mente reconde;
   Impia nec matris crimina merge freto.
15. Jugiter hæc ſpecta, ſcelerataque nomina dele!
   Nemo parens illi, nemo vocetur avus:

ANNOTATIONES.

7. *Calculus ater*] In capitalibus ſententiis ferendis antiqui calculos diverſi coloris habebant: albis quidem abſolutio continebatur, nigris lethale ſupplicium. Quod ita exprimit Ovidius:

Mos erat antiquus, niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpâ, Met. xv. 41.

Qui mos ductus videtur a Thracibus, qui notare ſolebant dies proſperos et lætos calculo albo in urnam conjecto, infelices verò atro, ut ſcirent, anno exacto, quot et quos dies lætos et triſtes habuiſſent.

8. *Ante diem*] Vide Not. in Pſal. lv. 23. *Ante diem peribit.*

9. *Conjunx*] Vide Not. in Pſal. lxxviii. 64. *Funera quæ fleret conjugis.*

Per loca ſenta] Conſule Not. in Pſal. xvi. 11. *Loca ſenta.*

11. *Loculos emungat*] De *loculis* vide Not. in Pſal. xvii. 14. *Succedit loculis.*

Emungere loculos eſt auferre vel deſpoliare. Ut apud Terentium:

—— Emunxi *argento ſenes*,
Phorm. iv. iv. 1.

Metaphora ſumpta ab iis quibus nares *emunguntur.*

14. *Altâ mente*] Id eſt *altè in mente.* Ut apud Virgilium:

—*Manet* altâ mente *repôſtum Judicium Paridis*, Æn. i. 30.

Freto] Vide Not. in Pſal. xxx. 6. *Freta.*

16. Scilicet hic, inopum misereri nescius, olim
Gestiit innocuâ tingere cæde manus:
Ille pios olim letho devovit, et umbris;
Sit potior voti pars, precor, ipse sui.
17. Attulit hic hominum nulli, dixitve salutem;
Huic quoque nec dicat, nec ferat ullus ave.
18. Hunc tegat opprobrium, ceu vestis; et instar olivi
Ossa, jecur penetret fluxilis instar aquæ.
19. Hoc humeros velet, toti spectabilis orbi:
Suppleat hoc zonæ tempus in omne vicem.
20. Sic Deus effrænis penset convitia linguæ:
Hostibus, o utinam, pœna sit ista meis!
21. Assere me, vindex! sic te canet ultimus orbis:
Tu Pater es vitæ, solus et autor opis.
22. Me mala pauperies, et sors nimìs aspera vexat;
Cernis et ærumnis pectora mille premi.
23. Sol ubi declinat, nemorum sic deficit umbra;
Sic fugit iratis acta locusta Notis.
24. Longa fames genuum juncturas luxat, et artus;
Et tenuem macies asperat atra cutem.
25. Fabula sic fio; caput et plebs infima quassans,
Me quoties spectat, dente minante petit.
26. Tu fer opem misero, Deus! et, de sede supremâ,
Signa patrocinii da manifesta tui.
27. Impius hinc discat quàm sit tibi dextera fortis;
Omnis et autorem te fateatur opis.

ANNOTATIONES.

16. *Gestiit*] Per *Syncopen* dicitur pro *gestivit*.

Innocuâ cæde] Consule Not. in Psal. iii. 7. *Innocuâ cæde*.

Letho] De hujus vocis Etymo vide Not. in Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus*.

Umbris] Vide Not. in Psal. xxx. 3. *Pallentibus umbris*.

21. *Vindex*] Consule Not. in Psal. xxv. 20. *Te vindice*.

22. *Pectora*] Est *Heterosis* numeri pluralis pro singulari.

23. *Iratis Notis*] *Iratus* poetice etiam rebus inanimatis tribuitur, ubi violenter et impetuosè commoventur. Ita Horatius:
— *Nec horret* iratum mare,
Ep. ii. 6.

Notis] Ponitur hìc pro *ventis*, ut Psal. i. 4. *Notus*.

28. Me petat ille probris, sed tu bonus adspice, meque
Dum recreas, illi tinge pudore genas.
29. Hunc pudor involvat, ceu læna bis ebria cocco,
Et quæ Sidonio murice palla rubet.
30. Tunc ego te Dominum sublimi carmine tollam:
Audiet et numeros læta corona meos.
31. Nempe tuis tu dexter ades, tenuesque tueris;
Hostilis stricto dum furor ense petit.

ANNOTATIONES.

28. *Bonus adspice*] *Bonus* hîc sumitur adverbialiter per *Enallagen*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

Illi tinge] Est *Antiptosis* dativi casûs pro secundo, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

29. *Bis ebria cocco*] *Coccum* est granum tinctorium, quo fit color ille lanarum præcipuus, quem Anglice vocamus Scarlet.

Sidonio murice] *Murex* est piscis marinus, ex quo liquor profluit, *ostrum* vocatus, quo lanæ purpureo colore tingebantur. *Sidonius* dicitur, quia urbs *Sidon* erat celebris piscatu *muricis.*

Palla] Vide Not. in Psal. xlv. 13. *Pallaque.*

30. *Numeros*] De hac significatione vocis *numeri* consule Not. in Psal. v. 11. *Numeris.*

31. *Tenues*] Vide Not. in Psal. x. 2. *Tenuem.*

CX.

ILLE Opifex rerum, Dominusque decemplicis aulæ,
Sic Domino superâ dixit in arce meo:
A dextris tu, Nate! mihi conside coruscus;
Dum subdam pedibus colla inimica tuis.
2. Sceptra Sionæâ mittet de rupe: rebelles
His olim domitos sub tua jura trahes.
3. Sponte triumphantem populus, Dominumque sequetur
Gens sacra, quæ niveâ sindone tota nitet:

Ro-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, duabus partibus constans; *Propositione*, usque ad versum quintum; et *Vaticinio*, inde ad finem.

1. *Colla inimica*] Per *Hypallagen* dicitur pro *Colla inimicorum*, ut Psal. iii. 7. *Cæde innocua*, quem locum consule.

2. *Sceptra*] Est *Heterosis* numeri pluralis pro singulari.

3. *Gemmas*] *Gemma* est omnis lapillus pretiosus, sive perlucidus, sive non. Et hîc trans-

fertur

Roſcida quot gemmas in pratis parturit Eos,
Tot lecti juvenes ad tua ſigna ruent.
4. Nempe Deus, cui certa manet ſententia mentis,
Juravit, ſolvens talibus ora modis:
Regia dum ſtabit ſuperûm, tu, Nate! ſacerdos
Regis ad exemplum Melchiſedecis eris.
5. Ille, tibi dextrum ſtipans latus, induet iras;
Et regum ſubito tranſiget enſe jecur.
6. Strage virûm campos cumulabit, vindice ferro;
Illius et populi proteret ira duces.
7. Hauriet in terris acidi nigra pocula fellis;
His quoque libatis, carpet in aſtra viam.

ANNOTATIONES.

fertur ad guttas roſcidas quæ referunt gemmarum ſpeciem.

Eos] Vide Not. in Pſal. xix. 5. *Thalamo Eoo.*

4. *Ora*] Eſt *Heteroſis* numeri pluralis pro ſingulari.

Superûm] Per *Syncopen* dicitur pro *ſuperorum.*

5. *Induet iras*] *Iras* pro *iram*, eſt *Heteroſis* numeri pluralis pro ſingulari, ut Pſal. x. 13. *Iras.*

Subito enſe] *Enſis ſubitus* dicitur qui repente adigitur, per Figuram quam vocant *Hypallagen*; de qua vide Not. in Pſal. iii. 7. *Innocua cæde.*

6. *Virûm*] Per *Syncopen* ſumitur pro *virorum.*

7. *Carpet viam*] vide Not. in Pſal. i. 1. *Carpit iter.*

CXI.

JUDICIS ætherei laudes attollite: totâ,
Cœtibus in ſacris, hunc ego mente canam.
2. Armatur valido cœleſtis robore dextra:
Nec latet hoc Domini quos pius urit amor.
3. Hanc honor, auratis hanc ſtipat adorea pennis:
Omnibus et ſêclis inviolata fides.
4. Tradidit hæc feris memoranda nepotibus olim:
Ille ſequeſtrati ſpeſque ſaluſque chori.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus* conſtans *Exordio*, primis tribus verſibus; *Narratione*, a verſu quarto ad decimum; poſtremo, *Concluſione*, verſu ultimo.

3. *Adorea*] Vide Not. in Pſal. xcvi. 6.

Sêclis] Pro *ſeculis* per *Syncopen*. Vide Not. in Pſal. xliv. 6. *Mobile ſêclo.*

4. *Chori*] Conſule Not. in Pſal. xviii. 10. *Chori.*

5. Ille pios epulis recreat cœleſtibus, icti
Fœderis æternùm pollicitique memor.
6. Ille ſuas populo vires patefecit, ab alto;
Gentis et exoſæ prædia ſorte dedit.
7. Eſtque pium dextrâ quidquid molitur et æquum;
Et ſtabili terras lege polumque regit.
8. Juſſa dedit, quæ nulla poteſt delere vetuſtas;
Hâc ope ſe juſtum veridicumque probat.
9. Ille ſuum aſſeruit populum; fœduſque perenne
Sanxit, et æternum comparat inde decus.
10. Hunc purâ ſi mente colis, prudentia ſumma eſt:
Et ſapis, hunc quiſquis ſupplice mente times:
Illius elogium durabit, ſidera cœlum
Dum vehet, et ſolis lucidus axis erit.

ANNOTATIONES.

5. *Icti fœderis*] De hac locutione vide Not. in Pſal. lxxxiii. 5. *Feriunt fœdera.*

7. *Polumque*] *Polus* hîc ponitur per *Synecdochen* pro *cœlo*, ut Pſal. xviii. 12. *Micare polus.*

10. *Solis axis*] *Axis* hîc ponitur pro *currus* per *Synecdochen*, ut Pſal. i. 1. *Seu micat axe dies.*

CXII.

PANGE Dei laudes: O terque quaterque beatum
Qui timet hunc, et, quod lex jubet, inſtat iter!
2. Sceptra geret ſoboles ſolis contermina metis,
Pandet et in placido candida vela ſalo.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, conſtans *Hortatione*, verſu primo; et *Narratione*, inde ad finem uſque.

1. *Pange laudes*] De hac dictione vide Not. in Pſal. ix. 11. *Pangite.*

O terque quaterque beatum] Id eſt *feliciſſimum*: forma loquendi poetis familiaris. Exemplo ſit Virgilius:

—O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum—Contigit oppetere, Æn. i. 98.

2. *Sceptra*] Pro *ſceptrum* per *Heteroſin* numeri pluralis pro ſingulari.

Metis] Vide Not. in Pſalm. xliv. 15. *Nec modus eſt, vel meta malis.*

Pandet vela candida] Id eſt, proſperâ utetur fortunâ: Metaphora ſumpta a navigantibus, quibus, conquieſcente procellâ, grata ſolet eſſe tranquillitas.

3. Quæ colet, Eois ſplendebunt atria gemmis;
Juſtitiam pariter poſtera ſêcla canent.
4. E tenebris lux orta pios regit; Arbiter orbis
Scilicet electi flagrat amore gregis.
5. Vir pius afflictum miſerans, ope ſublevat ultro;
Dumque juvat, ſervant menſque manuſque modum.
6. Non illum vis ulla loco, vel techna movebit
Hoſtica; nec famam deteret ulla dies.
7. Nec vulgi rumore vago terrebitur; unam
Sed Domini ſupplex poſcit et ambit opem.
8. Spem fovet afflictus; ridetque pericula, certus
Vindicis ultrices non procul eſſe manus.
9. Quas habet, incertas nimiùm, ſemperque fugaces,
Erogat in tenues officioſus opes:
Illius hinc pietas omni cantabitur ævo;
Claraque victurus tempora cinget honos.
10. Impius hæc ſpectans fremet, et tabeſcet; et Euris
Sentiet iratis vota nefanda rapi.

ANNOTATIONES.

3. *Eois*] Vide Not. in Pſal. xix. 5. *Thalamo Eoo.*

5. *Menſque manuſque*] Hîc copula *que* geminatur per Figuram quam vocant *Polyſyndeton*, de qua vide Not. in Pſal. vii. 17. *Juſtumque Deum, Dominumque potentem.*

6. *Techna*] Vide Not. in Pſal. v. 10. *Technis.*

7. *Unam opem*] Vide Not. in Pſal. lxxi. 14. *Te unum.*

Supplex poſcit] *Supplex* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *ſuppliciter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

9. *Officioſus*] Eodem modo ponitur pro *officioſe.*

Tempora] De hujus vocis Etymo vid Not. in Pſal. xxx. 1. *Tempora.*

10. *Euris iratis*] Vide Not. in Pſal. cix. 3. *Iratis Notis.*

Euris rapi] Vide de hoc proverbio Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere Noti.*

CXIII.

EIA age, facra cohors! Domini quæ juffa faceffis,
Hunc celebra toto pectore, voce, lyrâ.
2. Illius elogium venturum transfer in ævum;
Audiat et titulos orbis utrumque latus.
4. Quo fedet hic, folium terras fupereminet; aftra
Gloria tranfcendit, cœlicolûmque domos.
5. Ifacidûm Domino, fuperos qui temperat axes,
Par nihil immenfus, quà patet, orbis habet.
6. Defpicit hic cœli, cœlo fublimior, arces,
Regnaque cœruleis quot mare cingit aquis.
7. Hujus et imperio vili de pulvere pauper
Surgit, et e medio turba mifella luto.
8. Dat Deus his ipfos inter confidere reges,
Inter et Abramidûm fceptra tenere duces.
9. Stirpe beat fteriles et lætâ prole penates:
Illius, ergò, pii! dicite, Vivat honos.

ANNOTATIONES.

Hic Pfalmus eft *Laudativus*, tribus partibus conftans; quarum prima eft *Hortatio ad Dei laudes*, verfu primo; fecunda, *Laudatio ipfa*, inde ad verfum quartum; poftremo, *Laudationis argumenta*, ad finem Pfalmi.

1. *Eia age*] Vide Not. in Pfal. ii. 10. et in Pfal. xxxi. 2.

Cohors] De hac voce confule Not. in Pfal. xxxiii. 1. *Sancta cohors*.

Pectore, voce, lyrâ] Hîc copula reticetur per Figuram quæ dicitur *Afyndeton*; de qua vide Not. in Pfal. vii. 9. *juftos erige, perde malos*.

Lyrâ] Vide Not. in Pfal. lvii. 8. *Lyræ*.

2. *Titulos*] De hac voce confule Not. in Pfal. xviii. 49. *Tuos titulos*.

4. *Cœlicolûmque*] Per *Syncopen* dicitur pro *cœlicolarum*, ut etiam verfu fequenti *Ifacidûm* pro *Ifacidarum*.

8. *Abramidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Abramidarum*.

9. *Penates*] *Penates*, apud Romanos, erant Dii domeftici, qui, cum in interiore domo colerentur, ita dicti funt a nomine *penus*; quæ funt res neceffariæ, in intimâ domûs parte fervatæ. *Penates* fæpius etiam pro ædibus ufurpatur. Et (1) apud Virgilium:

Hic petit excidiis urbem, miferofque Penates,
Georg. ii. 505.

(2) Paterc. ii. 95. 1. *Quem inter Cæfaris* Penates *enixa eft*. (3) Liv. xxviii. 18. *Sub uno tecto effe atque in eodem* Penate.

CXIV. CUM

CXIV.

CUM Domus Isacidûm Nili septemplicis undas
Linqueret, et turres, barbara Memphi! tuas;
2. Rerum Opifex sacro sibi junxit fœdere Judam:
Ille comes, dubiæ dux erat ille viæ.
3. Vidit et obstupuit mare, diffugientibus undis;
Et sacra Jordanis versa cucurrit aqua.
4. Subsiliêre simul montes, cum collibus imis;
Non secus ac nivei dux sobolesque gregis.
5. Cur, mare! fugisti? quis te, sacra fluminis unda!
In caput antiquum vertere jussit iter?
6. Cur, montes, collesque! simul saliistis, ut hirti
Dux gregis, hirsutæ matris et agna comes?
7. Scilicet Isacidûm conspecto Numine tellus
Intremuit, sacro fugit et unda metu.
8. Cautibus e siccis latices fluxêre salubres;
Largaque devolvit flumina fissa silex.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, continens *Narrationem*, primis quatuor versibus; et *Doctrinam*, totidem versibus.

1. *Nili septemplicis*] De *Nilo* vide Not. in Psal. lxxviii. 12. *Nile*.

Nilus septemplex dictus a septem ostiis, per quæ in mare fertur.

Memphi] De hac voce vide Not. in Psal. lxviii. 31. *Memphis*.

3. *Jordanis*] De hoc fluvio vide Not. in Psal. xlii. 6. *Jordanis*.

5. *Sacra fluminis unda*] Id est aqua Jordanis, sacra dicta a terra sancta, quam perlabitur.

7. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum*.

8. *Latices*] Vide Not. in Psal. xxxvi. 9. *Vitales latices*.

CXV.

ALME Parens! ne nos titulis illuſtribus orna;
Debita ſunt armis noſtra tropæa tuis:
Vindicias vitamque tuo debemus amori,
Et fidei, quam lux ſolvere nulla poteſt.
2. Cur roget inſano turgens gens impia faſtu,
Nunc Deus, Iſacidæ quem venerantur, ubi eſt?
3. Noſter in aſtriferâ ſolium Deus obtinet aulâ,
Et populos nutu flectit ubique ſuo.
4. Cætera turba Deûm nil eſt niſi fuſilis auri
Maſſa, vel argenti pondus, et artis opus.
5. Ora quidem, ſed muta gerit; ſunt lumina cæca:
Nare nec olfactat, nec trahit aure ſonos.
7. Nec palpare manu datur, aut incedere plantis;
Mutua nec ficto gutture verba loqui.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, continens primo *Petitionem*, uſque ad verſum nonum; deinde *Prophetiam*, a verſu nono ad decimum ſeptimum: poſtremo *Concluſionem*, verſu ultimo.

1. *Titulis*] Vide Not. in Pſal. xviii. 49. *Tuos titulos.*

Tropæa] De hac voce conſule Not. in Pſal. xx. 5. *Læta tropæa.*

Lux] Ponitur hîc per *Metonymiam* pro *dies*, ut ſupra Pſal. xxxv. 21. *Optata luce.*

4. *Deûm*] Ponitur per *Syncopen* pro *Deorum.*

Nec palpare manu datur] Hæc phraſis imprimis obſervatione digna, quippe cujus elegantia optimis poetis maxime arrideat; *dare, rem agere.* Primitus refertur ad Homerum: *Dii vobis dent,* Chryſes inquit Græcis, *evertere urbem Priami, domumque incolumes reverti,* Il. i. 18, 19. Virgilius uſque adeo hanc elegantiam perſpexit, ut eam plurimis in locis adhibuerit; inſigne habes exemplum Æneidos primo verſu 526, et 527. ubi bis reperitur ad exemplum Homeri jam laudati:

O regina, novam cui condere
Jupiter urbem,
Juſtitiaque dedit gentes fræ-
nare *ſuperbas.*

Autor noſter, curioſus artium ſui magiſtri obſervator, eadem venuſtate hos Pſalmos quinquagies, ni fallor, ornavit. Sed inter omnes hic locus præcipuè enitet, ubi in eodem diſticho, quod vix alibi reperies, tergeminum hujus dictionis habes exemplum: *palpare datur, datur incedere plantis,* et *datur verba loqui*; et in verſu decimo ſecundo, *dabit frui vita properiore.*

8. Ipſe ſuo par eſt operi, qui Numina cœlo
Fingit, et argentum ſculptile poſcit opem.
9. At vos, Iſacidæ! Rectori fidite rerum:
Hic clypeus, vitam qui tueatur, erit.
10. Seque Deo credat, patrem qui jactat Aronem:
Hic clypeus, vitam qui tueatur, erit.
11. Tu fac idem, cœli quiſquis venerare Parentem:
Hic clypeus, vitam qui tueatur, erit.
12. Ille memor noſtri, patrio nos fovit amore;
Mox dabit et vitâ proſperiore frui:
Hoc duce, progenies florebit læta Jacobi,
Quiſquis et a ſancto ducit Arone genus.
13. Eriget ille ſui cultores Numinis, ætas
Seu viret his, canâ ſeu nive tecta coma eſt.
14. Ille ſimul patres, et qui naſcentur ab illis,
Dotibus augebit, deliciiſque ſuis.
15. Vota ſecundabit Dominus, palatia cœli
Qui ſibi, mortali pro grege finxit humum.
17. Illius obſcuri nequeunt præconia Manes
Pandere, perpetuò mors quibus ora premit.
18. At nobis, cœli liquidâ dum veſcimur aurâ,
Ille, polus dum fert ſidera, carmen erit.

ANNOTATIONES.

13. *Cana nive*] *Nix* hîc ponitur Metaphoricè pro *canis capillis*, ut apud Horatium:

—— *Te quia rugæ*
Turpant et capitis nives,
4 *Carm.* xiii. 12.

14. *Et qui naſcentur ab illis*] Ad imitationem Virgilii:

Et nati natorum, et qui naſcentur ab illis, *Æn.* iii. 98.

15. *Vota ſecundabit*] De etymo hujus verbi *ſecundo* vide Not. in Pſalm. xx. 4. *Vota ſecundet.*

17. *Manes*] Vid. Not. in Pſal. lxxxviii. 4. *Manibus adſcribor gelidis.*

Quibus premit] Per *Antiptoſin* dicitur pro *quorum*, ut Pſal. i. 3. *Cui tempeſtivis.*

18. *Veſcimur aurâ*] Conſule Not. in Pſal. xvi. 3. *Veſcitur aurâ.*

Polus] Per *Synecdochen* hîc ponitur pro *cœlo*, ut Pſal. xviii. 12. *Micare polus.*

CXVI.

URROR amore Dei, me qui profpexit ab alto;
Et facili gemitus non femel aure bibit.
2. Aure bibit facili gemitus; huic ergo fupinas,
Dum fruar æthereâ luce, levabo manus.
3. Me dolor obfedit lethi; mihi terror abyffi
Ante oculos; mœror pectoris hofpes erat.
4. Sidera tum fpectans, fer opem, Pater optime! dixi,
Cui latus hinc Bonitas claudit, et inde Fides.
6. Sublevat ille humiles; et me, propè fluctibus hauftum,
Suftulit, innumeris eripuitque malis.
7. Eia age, pone metum, mens jam tranquilla! quod optas,
Quodque juvat, largâ fufficit ille manu.
8. Eripit exitio vitam; lachrymantia ficcat
Lumina, lapfantes firmat et ille pedes.
9. Illius aufpiciis, incedam tramite recto,
Hîc ubi, felecto cum grege, luce fruar:
10. Vindice fum nixus Domino, qui rebus in arctis,
Me recreans, docuit libera verba loqui.

ANNOTATIONES.

Hic Pfalmus eft *Didacticus*, continens *Exordium*, verfu primo et fecundo; *Narrationem*, ufque ad verfum decimum fecundum: *Propofitionem*, ad verfum decimum fextum; poftremo, *Conclufionem*, quatuor ultimis verfibus.

1. *Aure bibit*] Vide Not. in Pfal. xviii. 6.

Aure bibit — aure bibit] Eft elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ vide Not. in Pfal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, fceptra.*

3. *Lethi*] De hujus vocis etymo vide Not. in Pfal. vi. 3. *Lethum pulfurus.*

Abyffi] De hac voce fupra dictum ad Pfal. xviii. 15. *Se pandit abyffus.*

4. *Cui latus*] *Cui* pro *cujus* per *Antiptofin*, ut Pfal. i. 3. *Cui tempeftivis.*

6. *Fluctibus*] De hac metaphorica fignificatione vocis *fluctus*, vide Not. in Pfal. ix. 13. *Adfpice fluctus.*

7. *Eia age*] Vide Not. in Pfal. ii. 10. *Eia agedum.*

9. *Aufpiciis*] De hac voce vide Not. in Pfal. xxxvii. 6. *Illius aufpiciis.*

10. *Vindice*] De hac fignificatione vocis *vindex* vide Not. in Pfal. xxv. 20. *Te vindice.*

11. Vim fugiens, dixi: video jam vota virorum
Pondere destitui, verba carere fide.
12. His ego pro donis, Regi qui præsidet orbi
Dicere quas grates, quasve referre parem?
13. Huic dape festivâ lætus libabo, meroque;
Et pia pro partâ vota salute feram.
14. Vota palam Domino persolvam, sanguine gentis
Qui sibi dilectæ tingere tela vetat.
16. Verna, Deus! famulæque tuæ sum sanguine cretus;
Vindice solvisti tu mihi vincla manu.
17. Mille tibi referam tanto pro munere grates,
Teque Patrem jugi solicitabo prece.
18. Vota redux solvam, populi spectante coronâ;
Testis et his rupes sacra Sionis erit.

ANNOTATIONES.

12. *Parem*] Est hîc præsens subjunctivi loco futuri, quo loquendi genere optimi scriptores utuntur. *Si quis Deus*, inquit Cicero, *mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, et in cunis vagiam*; *valde* recusem. De Senect. c. xxiii.

Non vanæ redeat *sanguis imagini*,
Horat. 1 Carm. xxiv. 13.

13. *Lætus libabo*] *Lætus* ponitur hîc adverbialiter, per *Enallagen*, pro *lætè*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

Libabo] De hoc verbo consule Not. in Psal. li. 16. *Quam tibi libarem*.

14. *Tela*] Vide Not. in Psal. iii. 6. *Tela*.

16. *Verna*] De hac voce vide Not. in Psal. lxxxvi. 18. *Vernam*.

Vincla] Per *Syncopen* dicitur pro *vincula*.

18. *Redux*] Vide Not. in Ps. xiv. 7. *Reduci*.

Sionis] Consule Not. in Psal. ii. 6. *Sioni*.

CXVII.

PANDITE facta Dei, populi! domus utraque solis
Quos videt, et geminus despicit orbis apex.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, provocans omnes gentes ad Deum celebrandum ob benignitatem et fidem.

1. *Geminus orbis apex*] Vide Not. in Psal. xcvi. 3. *Geminus orbis apex*.

2. Quâ

2. Quâ fovet ille pios brevibus clementia metis,
Temporis et claudi limite nescit amor:
Ergò Dei laudes cœli tollantur in arces,
Æternúmque volet fama per ora virûm.

ANNOTATIONES.

2. *Metis*] Vide Not. in Psal. xliv. 15. *Nec modus est vel meta malis*

Volet per ora virûm] Ita Virgilius:

— *Victorque* virûm volitare per ora, *Georg.* iii. 9.

Virûm] Hîc dicitur, per *Syncopen*, pro *virorum*.

CXVIII.

QUAS decet, Autori rerum depromite grates:
Illius est nullo limite clausus amor.
2. Jam domus Isacidûm dicat simul ore rotundo:
Illius est nullo limite clausus amor.
3. Dicat Aron vates, et sacri sanguinis autor:
Illius est nullo limite clausus amor.
4. Dic, Dominum quicunque colis cœlique, solique:
Illius est nullo limite clausus amor.
5. Hunc ego, cùm premerer, flexi prece: vincula solvens
Ille dedit cœlo liberiore frui.
6. Rerum Opifex mihi dexter adest: jam nulla perîcla,
Nullius incutient tela vel ira metum.
7. Ille meas partes juvat auxiliaribus armis;
Victaque, me coram, gens inimica ruet.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudaticus*, continens *Exordium*, quatuor primis versibus; *Argumenta* ad Dei laudes, inde ad decimum nonum; *Narrationem*, inde ad versum vigesimum octavum; postremo *Conclusionem*, duobus ultimis versibus.

2. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum*.

Ore rotundo] Vide Not. in Psal. lxiii. 3. *Rotundo ore*.

5. *Dedit frui*] Vide Not. in Psal. cxv. 7. *Nec palpare manu datur*.

6. *Perîcla*] Per *Syncopen* dicitur pro *pericula*.

Tela] Vide Not. in Psal. iii. 6. *Tela*.

8. Tutius eſt Domino, populi quàm fidere dextris;
  Poſcere vel regum, cùm premit hoſtis, opem.
10. Me ſimul hoſtiles circùm fremuere phalanges;
  Has mea ſed, Domino vindice, dextra metet.
11. Me petiêre ſimul nimiùm crudelibus armis;
  Has mea ſed, Domino vindice, dextra metet.
12. Me numeroſa cohors circumdedit: atria circum
  Cerea, mellificæ ſic glomerantur apes:
Ignis ut arentes populat violentia ſepes;
  Hanc mea ſic, Domino vindice, dextra metet.
13. Me dare præcipitem, gens invidioſa! parabas;
  Sed tamen illius ſuſtinuêre manus.
14. Ille mihì rupes ſimul eſt, portuſque ſalutis;
  Unica materies carminis ille mei eſt.
15. Numinis elogiis reſonant pia tecta; potentem
  Illius et celebrant belligeramque manum.
16. Laudibus attollunt dextram, quæ, robore pollens,
  Hoſtica ſe cogit ſubdere colla jugo.
17. Mortis ego tetricæ contemnens ſpicula, vivam
  Soſpes; et invicti Numinis acta canam.
18. Me Deus afflixit, fateor, nec ſimplice damno;
  Sed jugulo gladios depulit ille meo.
19. Jam mihi, jam, myſtæ! ſacratas pandite valvas;
  Huc ego vota Deo, non ſine thure, feram.

ANNOTATIONES.

10. *Phalanges*] Conſule Not. in Pſal. iii. 1. *Phalanges.*

Vindice] Vide Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

11. *Petiêre*] Per *Syncopen* dicitur pro *petivere.*

Nimium crudelibus] De hac ſignificatione vocis *nimium* vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimium.*

12. *Cohors*] Vide Not. in Pſal. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

Glomerantur apes] Conſule Not. in Pſal. civ. 12. *Glomerantur aves.*

13. *Sed tamen*] Ad imitationem Virgilii:

Sed tamen, *iſte Deus qui ſit, da, Tityre, nobis,*
Ecl. i. 19.

15. *Pia tecta*] Per *Metonymiam* dicitur pro *tecta piorum.*

16. *Jugo*] Vide Not. in Pſal. xlvii. 3. *Juga.*

19. *Myſtæ*] *Myſta* a voce Græca *μύςης,* ſacra diſcens, myſteriorum peritus, initiatus ſacris alicujus numinis.

Valvas] Vide Not. in Pſal. xxiv. 7. *Valvas——fores.*

Thure] Conſule Not. in Pſal. xxvi. 6. *Thura dabo.*

20. Sacra

20. Sacra cohors! templi resera pia limina: justos
Hîc decet auratis figere dona tholis.
21. Te, Pater alme! canam: facilem tu questibus aurem
Indulgens, vitæ, quâ fruor, autor ades.
22. Hic lapis, artificum stolidus quem spreverat error,
Marmora combinans nobile fulcit opus.
23. Hoc Deus arcanum terris patefecit; et omnes
Hîc et quod stupeant, et venerentur, habent.
24. Lux fuit hæc felix Divini conscia partûs:
Omnibus et secum gaudia mille tulit.
25. Nunc, Deus! adfer opem, cœli de culmine; nostris
Nunc, precor, o! cœptis consiliisque fave.
26. O ter felicem! qui missus ab æthere summo,
Fert secum Domini jussa sacrata sui:
Nos, quibus incumbit dilecti cura peculî,
Huic simul optamus tempora læta choro.
27. Desuper affulsit lux aurea: vinctus ad aras
Stet caper, et nitido de grege lecta bidens.
28. Tu Deus es, mea te vox laudibus evehet unum:
Tu Dominus, festâ te celebrabo lyrâ.

29. Quas

ANNOTATIONES.

20. *Cohors*] Vide Not. in Psal. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

Tholis] De hac voce vide Not. in Psal. xxix. 2. *Tholis.*

21. *Alme*] Vide de hoc epitheto Not. in Psal. 12. 1. *Alma.*

Indulgens] De hoc verbo consule Not. in Psal. iii. 8. *Indulges.*

24. *Lux*] Per *Metonymiam* ponitur pro *dies*, ut Psal. xxxv. 21. *Optata luce.*

26. *O ter felicem*] Vide Not. in Psal. ii. 12. *Felicem nimium.*

Peculî] Consule Not. in Ps. lxxiv. 2. *Cura peculî.*

Tempora læta] De hoc epitheto *læta* vide Not. in Psal. iii. 8. *Tempora læta.*

Choro] Consule Not. in Psal. xviii. 10. *Chori.*

27. *Aurea lux*] De hoc epitheto *aurea* consule Not. in Psal. lxv. 11. *Aureus annus.*

Lecta bidens] Volunt nonnulli *oves* dictas *bidentes* quasi *biennes*, duorum annorum. Alii quod inferiores et superiores habeant *dentes*, unde et *ambidentes* etiam vocabantur, quasi utrinque dentatæ. Alii quod inter dentes octo, *binos* haberent cæteris eminentiores. Tales autem oves exigebantur ad sacrificia etiam apud gentes, teste Virgilio:

— *Mactant lectas de more* bidentes, *Æn.* iv. 57.

28. *Lyra*] Vide Not. in Psal. lvii. 8. *Lyræ.*

 Hic

29. Quas decet, Autori rerum depromite grates:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.

CXIX.

1. ALEPH. א.

O Te beatum, purus et integer,
Legum ſacrarum qui teris orbitam!
Qui mente totâ ſempiterni
Juſſa ſequi ſatagis Parentis!
3. Qui, liber omni flagitio, viam
Inſiſtis illam, quam pede fervido
Calcare juſſit, qui ſupremo
Imperio moderatur orbem!
5. Præcepta legis fac, Deus! impleam,
Vitæ benignus dirige ſemitam:
Non erubeſcam, te ſecutus,
Ætheréæ Dominator aulæ!
7. His eruditus, pectore candido
Te prædicabo, legibus obſequens;
Ne te ſequentem derelinque,
Rerum Opifex! ope deſtitutum.

2. BETH. ב.

9. Quâ regant mores juvenes, habenam
Lex dabit. Te, Rex ſuperûm, rogavi

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, continens promiſcua documenta et preces, quæ ordine alphabetico a Davide conſcriptæ ſunt: prima carminum ſeries continet argumentum totius Pſalmi; nimirum *Propoſitionem generalem* de felicitate obſequentium Deo, tribus verſibus; deinde *Accommodationem ſingularem* ad perſonam ſupplicis, quinque cæteris.

1. *O te beatum*] Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimium.*

Teris orbitam] Id eſt *ad normam legis divinæ vitam componis*; Metaphora ſumpta a viatoribus, cujuſmodi multa alia paſſim in hoc libro occurrunt exempla.

Satagis] De hoc verbo vide Not. in Pſal. xvii. 4. *Satago.*

7. *Candido*] Vide Not. in Pſal. iv. 1. *Candida.*

9. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſuperorum.*

Mente ſincerâ; mihi, ne vacillem,
Dirige greſſus.
11. Pectus, offenſam metuens, recondit
Quæ jubes: omni memorande ſêclo!
Tu fac incedam, modererque paſſus
Tramite recto.
13. Voce ſublimi, populos per omnes,
Jura, ceu præco, tua publicavi;
Has ego fulvis Ophyræ caminis
Præfero gazas.
15. Quam doces, legem meditabor; una
Hæc meam fulcit Cynoſura puppim:
Hæc mihi pectus recreat, nec ullo
Excidet ævo.

3. GIMEL. ג.

17. Ut vivam, monitis promptus et obſequar,
Sis, ô! ſis famulo propitius tuo!
Pandens lumina, legis
Fac oracula conſpicer.
19. Hunc inter populum ſum novus incola;
Legis ſidereum ne jubar occule:
Hanc dum deperit unam,
Senſim mens mihi liquitur.
21. Tu plectis tumidos vindice dexterâ,
Sacris dum monitis nequiter obſtrepunt:
Me, qui juſſa capeſſo,
Probris ocyùs eripe.

ANNOTATIONES.

11. *Sêclo*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſeculo:* vide Not. in Pſal. xlv. 6. *Sêclo.*

13. *Ophyræ*] Vide Not. in Pſal. xlv. 9. *Gens Ophyræa.*

Gazas] Conſule Not. in Pſ. xlix. 8. *Gazis.*

15. *Cynoſura*] A Græco Κυνόσουρα, i. e. *Canis cauda*, quæ et *urſa minor* dicitur; hoc ſignum nautæ Phœnices intuebantur, ſecundum illud Ovidii,

—— Cynoſura *petatur*
Sidoniis, Helicen Graia carina notet, Faſt. iii. 108.

17. *Sis, ô! ſis*] Eſt elegans *Deeſis* et *Anaphora.*

Oracula] Conſule Not. in Pſal. xlix 4. *Oracula.*

19. *Legis ſidereum jubar*] Id eſt, Radios tuæ legis, quæ mea cæca veſtigia dirigat, ut ſtella affulgens ambulanti in tenebris.

23. Ah! me de folio, dum tibi pareo,
Allatrant proceres; aſt ego geſtio
Sectari tua juſſa,
Vitæ perpetuos duces.

4. DALETH. ד.

25. Curarum nebulis mens jacet obruta;
Promiſſo reſidem lumine recrea.
26. Te coram explicui pectoris abdita:
Tu me reſpiciens deſuper erudi.
27. Tu me, quæ fugiam, quæ ſequar, edoce;
Ut mirâcla tui roboris eloquar.
28. Mens languet tetricis cincta moleſtiis:
Tu fer lenis opem, polliciti memor.
29. Fac ut mente procul ſit dolus impius:
Lex vitæ, precor, ô! ſit mihi regula!
30. Hanc legi dubiis in tenebris ducem:
Per fluctus Helicen hanc ſequar unicam.
31. Hæſi, nil dubitans, illius orbitæ:
Tu fac ora mihi ne pudor inquinet.
32. Hanc unam intrepidè pes teret impiger;
Tu deterge modò nubila pectoris.

5. HE.

Annotationes.

23. *Allatrant*] *Allatrare* eſt adverſus aliquem *latrare*: et ad canes propriè pertinet; dicimus enim *allatraverunt* eum canes: et *allatratus eſt* a canibus: Per *Metaphoram* vero ſignificat *per invidiam criminari*. *Qui vivo quoque eo*, allatrare *ejus magnitudinem ſolitus erat*, Liv. xxxviii. 54.

26. *Pectoris abdita*] Quo modo ſupra dixit *opaca viarum*, Pſal. x. 8. quem locum vide.

27. *Mirâcla*] Per *Syncopen* dicitur pro *miracula*.

28. *Fer lenis*] *Lenis* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen*, pro *leniter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

30. *Helicen*] Duplex eſt ſignum cœleſte *urſa* dicta, major et minor; major vocatur etiam *Helice*, ab ἕλιξ *circumvolutio*, quia circa polum ſeptentrionalem volvitur majore circuitu, quàm minor, quæ *Cynoſura* vocatur ſupra verſu decimo quinto. Majorem *urſam* vel *Helicen* nautæ Græci intuebantur, ut Phœnices minorem.

Eſſe duas Arctos, quarum, etc. Ovid. Faſt. iii. 108. Vid. ẏ 15.

31. *Ora inquinet*] *Ora* ponitur hîc per *Heteroſin* pro *os*, quod per *Synecdochen* pro *vultu*.

32. *Impiger*] Ponitur hîc adverbi-

5. HE. ה.

33. Jussa me doce sacra:
Hæc, luce cœli dum fruar, facessam.
34. Pectus erudi, tua
Ut pro virili secter instituta.
35. Quæ jubes fac exsequar;
Hoc optat, hoc et mens anhelat unum.
36. Fac amem quod imperas:
Nec cæca mentem fascinet libido.
37. Vana fac abominer,
Et recreentur spiritus remissi.
38. Pacta sint, precor, rata,
Favorque fido debitus ministro.
39. Probra pelle plurimum
Timenda, Judex et Parens benigne!
40. Jussa mens sitit tua;
Largire vires, Auctor æquitatis!

6. VAU. ו.

41. Fœderis et favoris
Tu memor, serva famulum præsidio paterno.
42. Nitor ego, regorque
Legis æternæ placitis; his reprimam obloquentes:

ANNOTATIONES.

verbialiter pro *impigre*, per *Enallagen*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

34. *Pro virili*] Subauditur *parte.*

35. *Hoc anhelat*] *Anhelare* propriè est quum ex cursu, aut alio quovis labore vehementi, crebris quasi singultibus spiratur. Per Translationem significat omni conatu ad rem adspirare.

36. *Fascinet*] *Fascinare* proprie *incantare* a *fascinum*, vel *fascinus*, quoddam incantationis genus quo homines ita ligantur, ut liberi non sint, nec mentis compotes, sæpeque ad extremam maciem deveniant: vel a *fando*, vel a *fasciis*, quibus ligabant quos *fascinabant*. Voce utitur Virgilius:

Nescio quis teneros oculus mihi
fascinat *agnos*,
Ecl. iii. 103.

37. *Abominer*] Vide Not. in Psal. xxxi. 6. *Abominor.*

40. *Sitit*] De hac Metaphoricâ significatione verbi *sitio* consule Not. in Psal. iv. 6. *Sitit.*

43. Hæc, quia pectus ægrum
Fulciunt, rerum Genitor! ne mihi durus aufer.
44. Sic tua jussa promptus
Exsequar, solem celeres dum rapiunt quadrigæ.
45. Hæc quia mente totâ
Semper amplector, gladios despiciam minaces:
46. Nec pudor ora pinget,
Cùm tuas leges proceres purpureos docebo.
47. Has ego dum revolvo,
Gaudium pectus subit, imas penetrans medullas.
48. Numinis imperata,
Sensibus condens penitis, intrepidus facessam.

7. ZAIN. ז.

49. Sis pacti veteris memor;
Pacti, quod famuli spem renovat tui.
50. Hoc me, cùm premor, erigit;
Et mentem recreat, rebus in asperis.
51. Non me legis ab orbitâ
Divertit petulans lingua potentium.
52. Hanc olim meditans puer,
Concepi tacito gaudia pectore.
53. Me totum stupor occupat,
Hanc Fastus quoties proterit insolens.
54. Hanc unam super omnia,
Dum vixi, meritis laudibus extuli.

ANNOTATIONES.

43. *Durus aufer*] *Durus* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *durè*. Ut in versu sequenti *promptus* pro *promptè*.

44. *Solem rapiunt Quadrigæ*] *Quadrigæ*, quatuor equi simul juncti, dicti, vel quod sub eodem jugo sunt, quasi *quadrijugæ*; vel quod impellantur et agantur simul, quasi *quadriagæ*. Ut Lunam bigis, sic Solem quadrigis invectus poeticè depingebatur, forsan ob quatuor anni tempestates.

46. *Ora pinget*] *Ora* hîc per *Synecdochen* pro *vultus*, ut Psal. vii. 5.

48. *Intrepidus facessam*] *Intrepidus* hîc, per *Enallagen*, adverbialiter ponitur pro *intrepidè*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

49. *Pacti—pacti*] Est *Anaphora*, de quâ figurâ vide Not. in Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, sceptra*.

53. *Fastus*] Hîc sumitur personaliter pro *fastuoso*, ut Ps. i. 1. *Impietas*.

55. Te,

55. Te, sol cùm jubar occulit,
Adspecto in tenebris, et tibi pareo.
56. Quàm, rerum Genitor, mei
Merces ampla fuit, fructus et obsequî!

8. HETH. ח.

57. Tu, Pater omnipotens! sors es mea; Legis æviternæ
Parebo, dixi, semper institutis.
58. Te, Deus! oravi prece supplice, lenis ut faveres:
Promissa servans subleva precantem.
59. Mente catâ rexi vestigia, legis et pependi
Bilance justâ cogitationes.
60. Me tenuit mora nulla; sed impiger imperata feci,
Quæ, Rector orbis! fulminans dedisti.
61. Compede me vinxit gens impia; sedulò sed inter
Tormenta mens est obsecuta legi.
62. Concubiâ te nocte canam, memor æquitatis, unus
Quâ tu refulges et benignitatis.
63. Si quis in hoc populo est te qui colit, inter hunc sodales,
Inter reponam candidos amicos.
64. Irradiat terras bonitas tua; tu resolve luce
Legum tuarum pectoris tenebras.

9. TETH. ט.

65. Tu, rerum Genitor! polliciti perpetuò memor,
Juvisti famulum propitio subsidio tuum.

ANNOTATIONES.

56. *Obsequî*] Per *Syncopen* dicitur pro *obsequii*.

57. *Æviterne*] Quod hodie *æternum* antiqui *æviternum* dixerunt, teste Varrone de *L. L. lib.* v. *cap.* 2.

58. *Lenis faveres*] *Lenis* hîc ponitur adverbialiter, per *Enallagen*, pro *leniter*, ut Psal. ii. 12. *Securus:* Ut etiam versu sexagesimo *impiger* pro *impigre*.

62. *Concubiâ nocte*] *Noctem* profundam vel mediam significat, quum tempus agendi est nullum, et omnes fere tunc cubitum iverunt. Alii intempestam noctem vocant: alii a silere, *silentium*.

63. *Candidos*] De Etymo et propriâ significatione hujus vocis, vide Not. in Psal. iv. 1. *Candida*.

66. Tu

65. Tu mentis tenebras luce tuâ difcute ; nam tuis
Conftanter placitis et monitis credo fidelibus.
67. Erravi priùs, et vita fuit fepta moleftiis;
At nunc æthereis nil dubitans, vocibus obfequor.
68. Nil eft te melius, te famulis nemo benignior ;
Leges ergò tuas, et monitus, me bonus edoce.
69. Me quamvìs laceret dente truci gens nimis arrogans,
Te quócunque jubes ponè fequar, legibus audiens.
70. Eft illi populo mens hebes abdomine pinguior;
Sed lex mille mihi deliciis pectus inebriat.
71. Me pungi ftimulis defuper ô quàm fuit utile!
Hinc Patris didici cœlicolûm juffa faceffere.
72. Argentum fitiat vulgus iners, et miferas opes;
Legis luce tuæ fidereâ plùs ego recreor.

10. JOD. י.

73. Dextera me finxit tua : leges, nube remotâ,
Da mihi nôffe tuas.
74. Cùm cernet gens fancta tuis me fidere juffis,
Ingeminabit Iö.
75. Ah! mifer agnofco, quibus hinc, quibus inde lacеffor,
Me mala jure pati.
76. Me tua foletur bonitas, et fœdera nullo
Diffolüenda die.
77. Me tua reftituat vitæ clementia; namque
Lex tua grata mihi eft.

ANNOTATIONES.

68. *Te melius, te famulis*] Notetur *Anaphora*, de qua vide Not. in Pfal. ii. 6. *Sceptra*, etc.

Bonus] Hîc per *Enallagen* fumitur adverbialiter, ut Pfal. ii. 12. *Securus*.

71. *Cœlicolûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Cœlicolarum*.

72. *Miferas opes*] Id eft, quæ divitem nedum faciant beatum, imo perfæpe fordidum et miferum reddunt. Quo modo dixit Hor. *Serm. lib.* ii. viii. 18. *Divitias miferas!* Et *Carm.* iii. xxix. 58.

Non eft meum — *ad* miferas preces *decurrere*.

73. *Da mihi*] Vide Not. in Pfal. cxv. 7. *Nec palpare datur*.

74. *Io*] Vid. Not. in Pfal. xiii. 4.

76. *Diffolüenda*] Per *Diærefin* pro *diffolvenda*, ut Pfal. cv. 10.

78. Qui

78. Qui premit insontem fastu sit dedecus orbis;
Nam tua jussa sequor:
79. Quisquis et observans legem tibi supplicat, opto
Flagret amore mei.
80. Cor tibi morigerum tu dona, ne mihi turpis
Inquinet ora pudor.

11. CAPH. כ.

81. Mens spe salutis languet, et vires labant,
Dum legis insto semitæ.
82. Visus hebescunt, dum queror pactam tuis
Abesse promissis fidem.
83. Aresco curis, uter ut fumo solet;
Sed voce delector tuâ.
84. Lux ecqua tantis adferet finem malis,
Pœnasque dignas hostibus?
85. Gens plena fastu fodit insonti scrobem,
Dum fræna legum respuit.
86. Lex æqua certè est: innocens quamvìs premor,
Tu me potenter libera.
87. Me cùm superbus mille plagis obruit,
Legum statutis parui.
88. Tu redde vitam, spiritus et pristinos;
Et quæ jubes mox exsequar.

12. LAMED. ל.

89. Cœli siderei vox tua vinculis
Suspendit fabricam plusquam adamantinis:
90. Idem perpetuo stare loco jubes
Terram, fallere nescius.
91. Jussis et placitis obsequium tuis
Præbent; et stabilis machina permanet:

Busto

ANNOTATIONES.

80. *Ora*] Per *Synecdochen* dicitur pro *vultus*, ut Psal. vii. 5.

83. *Uter*] *Utres* intelligit ex pelle, cujusmodi in usu erant apud Judæos.

84. *Lux*] Hîc per *Metonymiam* ponitur pro *dies*, ut Psal. xxxv. 21. *Optata luce.*

89. *Adamantinis*] Vide Not. in Psal. xviii. 2. *Adamantina rupes.*

91. *Busto*] De hac voce supra dictum ad Psal. xxviii. 1. *Busta.*

Busto jam tegerer, me nisi languidum
Fulsissent tua fœdera.

93. Leges usque memor mens recolet, quibus
Et vivo et valeo viribus integer:
Illarum cupidè dum tero semitam,
Cassum viribus assere.

95. Eheu! mille dolis opprimor undique,
Leges continuè dum veneror tuas:
Pennâ dum celeri cætera transvolant,
Hæ semper stabiles manent.

13. MEM. מ.

97. Quàm legum studio levor sacrarum,
Quas noctes meditor vigil diesque!
98. Has dum ruminor, eruditionis
Palmam præripio hostibus malignis.
99. Inter et caput effero magistros,
Has dum cogito pertinax sequorque.
100. Dum legum placitis regor tuarum,
Ipsos exsupero senes peritos.
101. Ut te ponè sequar ducem viarum,
Pes declinat iter tenebrionum.

102. Tu

ANNOTATIONES.

Busta.

93. *Et vivo et valeo*] Copula *et* hîc geminatur per *Polysyndeton*, ut Psal. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

95. *Transvolant*] *Transvolare* propriè pertinet ad aves, et significat *ultra volare*; sed sumitur etiam, ut hîc, pro *celeriter ire*. Ut, *Eques*—transvolat *inde suis victoriæ nuntius*, Liv. iii. 63.

98. *Ruminor*] *Ruminor* vel *Rumino* proprie est *removere ac rursus consumere*; vel *ad rumen revocare*, quod pecudum est; unde per translationem, in memoriam revocare. *Non modo absens quicquam de te sæpius cogitabit, sed etiam* ruminabitur *humanitatem*, inquit Varro apud Nonium.

Palmam præripio] De *palma* victoris præmio, jam dictum ad Psal. lxxii. 3. Hîc ponitur pro ipsa *victoria*, ut apud Terentium: *Huic equidem consilio* palmam *do*; quasi dixisset, *Vicit hoc consilium.* Heaut. iv. iii. 3.

99. *Cogito pertinax*] *Pertinax* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen*, pro *pertinaciter*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

101. *Tenebrionum*] *Tenebriones* sunt mendaces et dolosi, qui mendaciis et astutiis suis nebulam quandam et *tenebras* objiciunt. Alii *tenebriones* interpretantur

102. Tu præcepta mihi, Parens! dedisti:
His passus moderor, procul ruinâ.
103. O quàm sermo tibi fluit venustus!
Quàm mellis superat meri liquorem!
104. Hic mentem tenebris levat, viasque
Hoc fretus fugio catus sinistras.

14. NUN. נ.

105. Instar lucernæ, legis aureum jubar
Me regit, et tenebras potenter omnes dissipat.
106. Sanctè spopondi nutibus, Pater! tuis
Me fore morigerum; datamque præstabo fidem.
107. Quot cingor, eheu, quot premor molestiis!
Me mihi redde, tui favoris et pacti memor.
108. Quas ore libo spirituque victimas
Accipe, sed facilis; doceque rectam semitam.
109. Me mille quamvìs obruant pericula,
Te tamen usque sequor, tuo dicatus numini.
110. Dum me dolosis implicare cassibus
Gens scelerata parat, tuis statutis hæreo.
111. Nunc sunt, et olim mentis hæc erunt meæ
Gaudia, deliciæ, lucerna, spes, hæreditas.
112. Præcepta legis mente candidâ sequar,
Dum mihi mens superest, et ossa velantur cute.

ANNOTATIONES.

tantur Lucifugos; quasi in tenebris delitescentes.

104. *Sinistras vias*] *Noxias, infelices, adversas*; quia quæ sinistrâ manu fiant, minus rectè fieri videmus.

108. *Libo*] De hoc verbo vide Not. in Psal. li. 16. *Quam tibi libarem.*

Accipe, sed facilis] *Facilis* hîc adverbialiter ponitur per *Enallagen* pro *facile*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

Victimas] Consule Not. in Psal. iv. 5. *Victima sit pectus sine fuco.*

111. *Gaudia, deliciæ*, etc.] Hîc copula reticetur per Figuram quam vocant *Asyndeton*, ut Psal. vii. 9. *Justos erige, perde malos.*

112. *Candida*] Vide Not. in Psal. iv. 1. *Candida.*

15. SAMECH. ס.

113. Odi ego quæ pectus ſibi fingit futile, legis
Nempe tuæ dulcedine captus.
114. Tu rupes, clypeuſque mihi es; cinctuſque periclis,
Fido tuis, Pater optime! dictis.
115. Sit procul impietas omnis, ſcelerumque miniſtri:
Semper ego tua juſſa capeſſam.
11 Me, Pater! ut vivam, verbi firmamine fulci;
Nec ſpes ſit comitata pudore.
117. Da vitam vireſque mihi; ſic paſſibus æquis
Te ſequar, et quò juſſeris ibo.
118. Hos pede calcâſti, quos devius abripit error:
Hos ſua fraus dimittit inanes.
119. Pulveris in morem ſceleratos ſpargis in auras;
Ergò ſequi tua diligo juſſa.
120. Tela tuæ quoties et fulmina conſpicor iræ,
Stat coma, cor ſtupet, horreo totus.

16. AIN. ע.

121. Me juvit æquum ſemper et bonum ſequi;
De me fac, oro, ne triumphet impius:
122. Tu ſed benignus me tuere ſervulum:
Fac arrogantûm ne moleſter ſpiculis.
123. Ah! dum ſalutem præſtolor diu nimis,
Fidemque pactam, victa torpent lumina.
124. Favoris alâ me paterni protege;
Et pande vitæ purioris ſemitam.
125. Devotus uni Numini cùm ſerviam,
Pulſis tenebris, ſcire da quod imperas.

ANNOTATIONES.

114. *Periclis*] Per *Syncopen* dicitur pro *periculis*.

118. *Calcâſti*] Per *Syncopen* dicitur pro *calcaviſti*.

120. *Tela*] De hujus vocis Etymo vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela*.

Stat coma, etc.] Copula reticetur per *Aſyndeton*. Alludere videtur ad elegantem illam timoris deſcriptionem apud Virgilium:

Obſtupui, ſteteruntque comæ, et vox faucibus hæſit,
Æn. i. 774.

122. *Benignus tuere*] *Benignus* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *benigne*.

126. Nunc ultioni tempus inſtat debitum:
Hos perde ſacris qui ſtatutis obſtrepunt.
127. Legum tuarum ſuavitatem præferam
Auro, quod ignis jam probavit ſeptimus.
128. Amuſſis hæ ſunt æquitatis aurea:
Has ſector, et tortas abominor vias.

17. PE. פ.

129. Quàm tua mortalem ſuperant oracula captum!
Hæc eruditus perpete proſequar obſequio.
130. Prima tuæ legis pellunt elementa tenebras,
Et cæcitatem pectoris, inſtituuntque rudes.
131. Attraxi tua verba, velut cùm gutture toto
Invitat auras ætheris æger agens animam.
132. Quâ tibi dilectos nimiùm dignaris amicos,
Rerum Creator maxime! da mihi luce frui.
133. Legis ad arbitrium titubantem dirige greſſum;
Nec pectus in prædam ſine cedere flagitiis.
134. Eripe me furiis hoſtilibus, eripe telis:
Da, Rector orbis maxime! te duce recta ſequi.
135. Me radiis perfunde tuis, pectuſque ſerena;
Et da faceſſam, tu mihi quod, Pater! imperitas.
136. Dum reliqui tua juſſa ſequi monituſque recuſant,
Ah! lachrymarum protinus obruor oceano.

ANNOTATIONES.

128. *Abominor*] Vide Not. in Pſalm. xxxi. 6. *Abominor.*

132. *Nimiùm*] De hac ſignificatione hujus adverbii vide Notam in Pſal. ii. 12. *Nimiùm.*

Da frui] Conſule de hac locutione Not. in Pſalm. cxv. 7. *Nec palpare manu datur.*

134. *Eripe me furiis, eripe telis*] Notetur hîc elegans *Anaphora*, de quâ figurâ jam dictum ad Pſal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, ſceptra.*

Telis] Vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela.*

135. *Serena*] Eſt vox feliciſſima, quæ primitus ſignificat nubes et nebulas pellere, cœlumque ſudum et clarum reddere; ut apud Virgilium:

Vultu, quo cœlum tempeſtateſque ſerenat, *Æn.* i. 259.

Inde Metaphorice transfertur ad animum, et vultum animi indicem: Exemplo ſit idem Virgilius:

Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat, *Æn.*iv. 477.

Da faceſſam] Conſule Not. in Pſal. cxv. 7. *Nec palpare manu datur.*

18. TSADDI. צ.

137. Res hominum, Rector superûm! tu legibus æquis
Et lance dispensas pari.
138. Est rectum quodcunque jubes; nil sanctius illo,
Tuo vel æquius foro.
139. Tabesco, dum jura ferus tua proterit hostis,
Et pectus omne liquitur.
140. Candidus est sermo tuus, hunc exosculor unum,
Et corde toto diligo.
141. Est mihi sors tenuis, gens et me sibilat exlex;
Verbis sed obsequor tuis.
142. Æternùm durant tu quæ præscribis, et una
Sunt veritatis regula.
143. His ego delector, me quamvìs mille malorum
Molesta cingant agmina.
144. Nulla dies illis metam præfigit: ut ergò
Vivam, doce quod imperas.

19. KOPH. ק.

145. Te, Deus! oravi supplex: da questibus aurem,
Ut imperata promptus exsequar tua.
146. Æthera lassavi gemitu; succurre precanti,
Tibique, Rector orbis! obsequar lubens.
147. Dum gemo, dum clamo, quos Eos explicat ignes
Querela tristis antevertit aureos.
148. Anticipo vigiles ipsos, tua nocte dieque
Statuta mente dum revolvo sedulâ.

ANNOTATIONES.

137. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *superorum*.

140. *Candidus*] Vide de hoc epitheto Not. in Psalm. iv. 1. *Candida*.

Exosculor unum] *Unus* hîc pro *præcipuus*, ut Psal. lxxi. 14. *Te unum efferet*.

144. *Metam*] Vide Not. in Psal. xliv. 15. *Nec modus est vel meta malis*.

145. *Oravi supplex*] *Supplex* hîc ponitur per *Enallagen* pro *suppliciter*, ut Psal. ii. 12. *Securus*. Ut etiam *promptus* pro *promptè*; et in sequenti versu *libens* pro *libenter*.

146. *Æthera lassavi*] Vide Not. in Psalm. lv. 2. *Astra fatigo*.

147. *Eos*] Consule Not. in Psal. xix. 5. *Thalamo Eoo*.

149. Me

149. Me bonus exaudi, vires et redde, favoris
Et æquitatis uſque priſtinæ memor.
150. Me premit à tergo ſcelerum qui laxat habenas,
Fugitque legis deſpicitque ſemitam:
151. Tu tamen es præſtò: leges diſcrimine nullo
Tuas coronat æviterna veritas.
152. Includi brevibus renuunt tua fœdera metis;
Viceſque temporum ſubire lex nequit.

20. RESCH. ר.

153. Sis memor ſervi pereuntis, altâ
Qui mente legem condidi.
154. Me, tenax pacti, famulum tuere,
Et luce pectus recrea.
155. Nulla ſpes illi ſupereſt ſalutis,
Qui fræna legum reſpuit.
156. Tu mihi vires repara, paterno
Amore qui me protegis.
157. Me licèt cingant tumidæ procellæ,
Tuis ſtatutis dirigor.
158. Hoſtium ſpectans animos rebelles,
Mœrore percellor gravi.
159. Me refocilla radio favoris,
Teſtis perennis obſequî!
160. Terminos neſcit tua lex prioris,
Sed nec futuri temporis.

21. SCHIN. ש.

161. Inſons potentum ſpiculis
Legiſque cuſtos obruor.

ANNOTATIONES.

150. *Me premit*] De hac ſignificatione verbi *premo* vide Not. in Pſal. iii. 2. *Premet.*

Qui laxat habenas] De hac *Metaphora* vide Not. in Pſal. ii. 5. *Frænaque dans.*

151. *Æviterna*] Vide Not. in verſum quinquageſimum ſeptimum.

152. *Metis*] Conſule Not. in Pſal. xliv. 15. *Nec modus eſt vel meta malis.*

153. *Altâ mente*] Pro *altè in animo*, ut ſupra Pſal. cix. 14.

159. *Obſequî*] Per *Syncopen* dicitur pro *obſequii.*

162. Ut præda dives militem,
Sic una lex me recreat.
163. Hanc mente totâ diligo;
Sed fraudis odi retia.
164. Hanc me canentem ſedulò
Lux una cernet ſepties.
165. Hanc quiſquis unam deperit,
Quiete gaudet perpete.
166. Me ſpes ſalutis erigit,
Dum juſſa ſector Numinis.
167. Dum legibus vaco ſacris,
Delector his et recreor.
168. His obſequutum me vides,
Notaſque vitæ ſemitas.

22. TAU. ת.

169. Exaudi gemitus, tuis
Et me legibus inſtrue.
170. Auſcultans famulum, Deus!
Serva, polliciti memor.
171. Leges me bonus edoce,
Laudes et referam tuas.
172. Te vox tollet ad æthera,
Leges qui ſtabilis pias.
173. Illas cùm ſequar, aſſere
Servum vindice dexterâ.
174. His lætor: fer opem diu
Quæſitam prece ſupplice.
175. Ut te laudibus eveham,
Vitam vox tua ſoſpitet.

ANNOTATIONES.

162. *Una lex*] *Una* hîc adverbialiter ponitur pro *unicè, præcipuè.* Vide Not. in Pſal. ciii. 13. *Diligit unos.*

164. *Lux*] Ponitur per *Metonymiam* pro *dies*, ut Pſalm. xxxv. 21. *Optatâ luce.*

165. *Unam*] Ut ſupra ver. 162.

168. *Semitas vitæ*] Eſt *Metaphora* a viatoribus, ut Pſal. i. 1. *Carpit iter.*

171. *Bonus edoce*] *Bonus* hîc ſumitur adverbialiter, per *Enallagen*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

173. *Vindice*] Vide Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

176. Me

176. Me quære pecudem ut vagam,
Leges et recolam tuas.

CXX.

TE, Deus! oravi mediis in fluctibus; aures
Et sensi faciles in mea vota tuas.
2. Me, quibus infestor, fallacibus eripe linguis;
Fraudis et artifices me procul esse jube.
3. Quam dolus armat atrox, nimis et penetrabile virus,
Quid tibi non optem, perfida lingua! mali?
4. Ignea juniperi minùs urit pruna; nec ensis
Par huic, aut jaculi cuspis acumen habet.
5. Cur, Nomadas inter, deserta mapalia sector?
Inter inhumanos cur ego vivo Getas?
7. Me juvat alma quies: gens hæc fera bella minatur,
Et, quoties pacem poscimus, arma crepat.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *votivi*, continens *Narrationem*, versu primo; et *Orationem*, sequentibus.

1. *Mediis in fluctibus*] De Metaphoricâ significatione vocis *fluctus*, vide Not. in Psal. ix. 13. *Adspice fluctus.*

3. *Penetrabile*] *Penetrabilis* sumitur hîc in activâ significatione, ut Psal. lvii. 4. *Telum penetrabile.*

4. *Juniperi*] *Juniperus* arbuscula quæ in arenosis frequens nascitur, et accensa ingentes concipit ardores, nec cito extinguendos.

5. *Nomadas*] *Nomades* populi vagi in Scythia Europæ, nunc *Tartari* dicuntur, quorum omnis vita in pascendis gregibus habebatur; gens adeo fera et inculta ut semicrudis carnibus vesceretur.

Nulla domus, plaustris habitant; migrare per arva
Mos, atque errantes circumvectare penates,
Sil. Ital. lib. iii 290.

Dicti Nomades a verbo Græco νέμω, pasco.

Getas] *Getæ* populi Thraciæ natura et moribus feroces.

7. *Alma*] De hoc epitheto Vide Not. in Psal. xii. 1. *Alma.*

Arma crepat] Ad imitationem Horatii:

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat,
1 *Carm.* xviii. 5.

CXXI.

AD ſacra devotos attollam culmina vultus,
In quibus antiquæ ſpes mihi reſtat opis.
2. Me juvat hic cœli volucres qui texuit orbes,
Et terram vitreis undique cinxit aquis.
3. Sic ego me ſolor: greſſus moderabitur ille;
Ne tibi pes uſquam ceſpitet, ille dabit:
Uſque vigil, ſeu ſol rutilat, ſeu conditur undis,
Ille tuas cuſtos excubat ante fores.
4. Adde fidem dictis; Solymam qui ſervat, aperta,
Dum ſtertunt alii, lumina ſemper habet:
5. Te regit, et præſtò eſt, et lætâ nubilat umbrâ,
Invia ſi quando per loca carpis iter:
6. Solis, ubi lux eſt, radios arcebit et æſtum:
Nocte tuum pellet, roſcida luna! gelu.
7. Te Deus æternùm cœleſti proteget alâ,
Sive domi malis vivere, ſive foris.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Didacticus*, continens *Propoſitionem*, verſu primo; *Orationem*, verſu ſecundo et tertio; *Confirmationem*, inde ad finem.

1. *Vultus*] Per *Heteroſin* dixit in plurali numero pro ſingulari.

2. *Vitreis aquis*] De hoc epitheto vide Not. in Pſal. lxxv. 6.

3. *Ceſpitet*] *Ceſpitare* dicimur, quum pede aliquid percutientes, quaſi ruere cogimur. Dictum *ceſpitare*, quaſi *ceſpitem* offendere, vel in *ceſpitem* ferri.

Dabit ne ceſpitet] Vide Not. in Pſal. cxv. 7. *Nec palpare manu datur.*

Seu ſol rutilat, ſeu conditur undis] Eſt elegans *Periphraſis* pro *omnibus horis.*

4. *Solymam*] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

5. *Præſtò eſt*] Pro *præſens eſt*, ut apud optimos autores. Præſtò ſunt *hirundines æſtivo tempore*, Cicero. *Ipſum* præſtò *video*, Ter. Andr. ii. v. 4.

Læta—umbra] Id eſt *umbra lætificante*, ut Pſal. iii. 8. *Tempora læta.*

Carpis iter] De hac dictione vide Not. in Pſal. i. 1. *Carpit iter.*

CXXII.

GAUDIA tum cepi, vox cùm mihi perculit aures,
Ad pia quæ jussit limina ferre gradum.
2. Ibimus in sacri reduces penetralia templi;
Nobilis urbs hilari nunc adeunda pede est.
3. Urbibus hanc confer reliquis; concinnius illâ,
Nil et splendidius maximus orbis habet.
4. Huc domus Isacidûm properat, stata tempora servans;
Et supplex Domini sternitur ante pedes:
5. Davidis hîc solium spectas, quod præsidet orbi,
Legibus et sanctis fasque nefasque regit.
6. Numinis auspiciis urbs hæc ut floreat, opta;
Qui favet huic, illi prospera vita fluet.
7. Urbs sacra! sidereis te Pax circumvolet alis:
Quasque tenes arces incolat alma Quies.
8. Civibus opto meis, carisque tribulibus alta
Otia, perpetuis concomitata bonis.
9. Cùm tua prætulerit reliquis Moderator Olympi
Atria, præ reliquis hæc tibi fausta precor.

Annotationes.

Hic Psalmus est *Gratulatorius*, ubi David proponit suam lætitiam et illius causas, usque ad versum sextum; deinde *Fausta precatur Ecclesiæ*, ad finem Psalmi.

2. *Reduces*] Vide Not. in Psal. xiv. 7. *Reduci.*

Penetralia] De hac voce consule Not. in Psal. xx. 6. *Penetralibus.*

3. *Maximus orbis*] Vide Not. in Psal. xviii. 31. *Maximus orbis.*

4. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum.*

Supplex] Per *Enallagen* dicitur pro *Suppliciter*, ut Psal. ii. 12. *Securus.*

Sternitur ante pedes] De hoc ritu consule Not. in Psal. v. 7. *Illustres sternar et ante pedes.*

5. *Fasque nefasque*] Copula *que*, hîc geminatur per *Polysyndeton*, de quâ Figurâ vide Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum Dominumque potentem.*

6. *Auspiciis*] Vide Not. in Psal. xxxvii. 6. *Illius auspiciis.*

8. *Tribulibus*] Da hac voce jam dictum ad Psal. xxi. 6. *Tribules.*

9. *Olympi*] Vide Not. in Psal. xlix. 15. *Rector Olympi.*

CXXIII.

ALME Parens! in te defigo lumina, cœli
Qui procul à nobis diffita tecta colis.
2. Sedulus ut famulus gestus observat heriles;
Et nutus dominæ fida ministra suæ:
Sic, Deus! intentis oculis te specto, salutem
Dum populo cœli lenis ab arce feras.
3. Adfer opem miseris, tot qui fastidia passi,
Fabula jam vulgi ludibriumque sumus.
4. Otia dum ducit, sannis nos excipit hostis;
Calcat et audaci turba proterva pede.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Votivus*, continens *Propositionem*, duobus versibus; et reliquis, *Petitionem*.

1. *Alme*] Consule Not. in Psal. xii. 1. *Alma*.

2. *Lenis feras*] *Lenis* ponitur hîc adverbialiter, per *Enallagen* pro *leniter*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

4. *Sannis*] De hac voce *sanna*, vide Not. in Psal. i. 1. *Postica sanna*.

CXXIV.

GENS sacra jam dicat, Nobis nisi Numinis olim
Auxiliatricem dextra tulisset opem;
2. Hosticus insurgens furor implacabilis arces
Hausisset Solymas, Isacidûmque domos:
4. Unda vorax refluo sorpsisset gurgite vivos;
Et sacra gens tumidis tota perîsset aquis:
6. Ergò Deum celebra, corvos qui ludit hiantes;
Et Solymas prædam non sinit esse lupis.

7. Fu-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Didacticus*, continens primo *Narrationem*, ad versum sextum; deinde *Dei benedictionem*, versu sexto et septimo; postremo, *Conclusionem*, versu ultimo.

2. *Solymas*] *Solymus* est adjectivum a *Solyma*: ut apud Juvenalem:

— *Interpres legum* Solymarum, *Sat.* vi. 543.

4. *Perîsset*] Per *Syncopen* dicitur pro *periviſſet*.

6. *Corvos ludit hiantes*] Proverbium dictum de iis qui dum inhiant prædæ, ipsi præda fiunt. Ita Horatius:

Scriba——corvum deludet hiantem,
2 *Serm.* v. 56.

Lupis] Homines sic dicti, qui sunt rapacis instar luporum naturæ,

7. Fugimus insidias; volucres sic, compede ruptâ,
Aucupis evadunt, quas metuêre, manus.
8. Nitimur Isacidæ Domino, sublimis Olympi
Qui, simul et terræ quam premis, autor erat.

ANNOTATIONES.

naturæ. *O præclarum custodem ovium* lupum! *Custosne urbis, an direptor et vexator esset Antonius?* Cic. Phil. iii. 27.

8. *Olympi*] De hac voce consule Not. in Psal. xlix. 15. *Rector Olympi.*

CXXV.

GENS pia subsistet, rupes velut alta Sionis,
Quæ ridet rapidi flabra proterva Noti.
2. Ut Solymam montes, sacrum sic undique cœtum
Æternùm Domini munit et ambit amor.
3. Ne pius exemplo peccet, sine fine modoque
Non sinet hunc cœli Rector ab hoste premi.
4. Alme Parens! lenem cultor te sentiat æqui;
Et quisquis vacuum crimine pectus habet.
5. Siquis at a recto deflectit tramite, pœnas
Fac luat has scelerum, quas meruêre duces:
Pax tamen huc niveis labatur ab æthere pennis,
Et Solymæ sanctâ figat in urbe larem.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis *mixti*, partim *Didacticus*, tribus primis versibus; partim *Votivus*, duobus ultimis.

1. *Sionis*] Vide Not. in Psal. ii. 6. *Sioni.*

Noti] Consule Not. in Psal. i. 4. *Notus.*

2. *Solymam*] Vide Not. in Psal. ix. 11.

4. *Alme*] Vide de hac voce Not. in Psal. xii. 1. *Alma.*

5. *Pax*] Hîc personaliter exhibetur *Pax* more poetico.

Solymæ] Consule Not. in Ps. ix. 11. *Solymam.*

Larem] De hac voce jam dictum ad Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares.*

CXXVI.

ISACIDUM captiva cohors, Babylone reliĉtâ,
Cùm peteret patrii dulcia tecta soli;
Mens stetit in dubio, veluti qui manè revolvit
Somnia, quæ certam non meruêre fidem.
2. Libera mox hilares in risum solvimus ora;
Sustulit et cantus lingua soluta novos:
Tristibus hæc spectans oculis gens accola, Quanto
Isacidûm vindex robore pollet, ait.
3. Viribus invictis nos juvit, et obruit hostes;
Quáque gradum tulimus, nil nisi plausus erat.
4. Collige relliquias lectæ, Pater optime! gentis,
Fluminis ut cumulat nubilus Auster aquas.
5. Qui gemit illachrymans, dum mandat semina sulcis,
Ridebit, quoties est resecanda seges.
6. Horrea dum cernit vacuari ditia, lugens
Exit; ovans idem, cùm metit arva, redit.

Annotationes.

Hic Psalmus duabus partibus constat; *Narratione*, tribus primis versibus; et *Precatione*, tribus reliquis.

1. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum*.

Babylone] Consule Notam in Psal. lxxxvii. 4. *Babylonis.*

2. *Vindex*] Vide Not. in Ps. xxv. 20. *Te vindice.*

4. *Relliquias*] Dicitur per *Epenthesin* pro *reliquias.*

6. *Ovans*] Vide Not. in Ps. xxxv. 25. *Jactet ovans.*

CXXVII.

NI Deus adspiret, nequicquam substruis ædes;
Nequicquam partes excubitoris agis:
2. Incassùm monitrix operum te suscitat Eos;
Incassùm serâ nocte cubile premis:

Annotationes.

Hic Psalmus est *Didacticus*, continens duo documenta: unum, de publicâ et privatâ administratione, duobus primis versibus; alterum de numerosâ stirpe, tribus reliquis.

1. *Adspiret*] Vide de metaphorico sensu hujus verbi Not. in Psal. i. 3. *Adspirans.*

2. *Eos*] Consule Not. in Ps. xix. 3. *Thalamo Eoo.*

Nec dape te ſatiat labor ærumnoſus; at iſta
Satque ſuperque piis ſufficit ipſa quies.
3. Naſcitur his ſoboles, Domino quæ ſcribitur hæres;
Hanc ea mercedem gens pietatis habet.
4. Pignora quæ gignunt primævo in flore juventæ,
Sunt veluti forti ſpicula miſſa manu.
5. O felix pharetram jaculis qui talibus imples!
Scilicet his nullus polluet ora pudor:
Et tibi ſi coram contingant judice lites,
Lætus ab his cernes hoſtibus ora premi.

ANNOTATIONES.

4. *Pignora*] Conſule Notam in Pſal. cvi. 37.

Primævo flore juventæ] Ita Virgilius:

Ante urbem pueri, et primævo flore juventæ,
Exercentur equis,
Æn. vii. 162.

5. *Pharetram*] Vide Not. in Pſal. xxv. 19. *Pharetratas.*

CXXVIII.

O Te felicem, Dominum quicunque vereris,
Et ſatagis leges, quas dedit ille, ſequi!
2. Quem colis, optatas epulas tibi fundet agellus;
Lenibus et Zephyris vela ſecunda dabis.
3. Inſtar erit vitis conjunx fœcunda tenellæ,
Quæ domini cingit fronde virente larem:
Læta coronabunt genialem pignora menſam,
Ut truncum nitidis veſtit oliva comis.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Didacticus*, quo Dei benedictio erga pios prædicatur, primo generatim, tribus primis verſibus; deinde ſpeciatim, tribus reliquis.

1. *O te felicem*] Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimium.*

Satagis] De hoc verbo vide Not. in Pſal. xvii. 4. *Satago.*

2. *Zephyris*] Conſule Not. in Pſal. xx. 4. *Mollibus Zephyris.*

Secunda] Vide ibid. *Secundet.*

3. *Larem*] Vide Not. in Pſal. xviii. 45. *Sepoſitoſque lares.*

Genialem menſam] Id eſt *menſam lætam* vel *voluptariam*; a *genio*, qui ſumitur pro *voluptate.*

Pignora] Conſule Not. in Pſal. cvi. 37.

Comis] Pro *foliis*, ut Pſal. i. 3. *Brachia, comas.*

4. Sic tibi læta fluent et candida tempora vitæ,
Mente Deum quisquis non dubitante times.
5. Has tibi delicias Dominus de rupe Sionis
Mittet, et e cornu divite fundet opes:
Dumque trahes lucem, Solymam florescere, cives
Omnibus et cernes luxuriare bonis.
6. Auctibus immodicis spectabis surgere prolem,
Et genus Isacidûm perpete pace frui.

Annotationes.

5. *Sionis*] Vide Not. in Psal. ii. 6. *Sioni.*

Cornu divite] De hac dictione consule Not. in Psal. lxv. 12. *Pleno copia cornu.*

Solymam] Consule Not. in Psal. ix. 11. *Solymam.*

6. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum.*

CXXIX.

GENS fera mille malis primis me pressit ab annis,
Jam Solymæ populus dicere jure potest:
2. Gens fera mille malis primis me pressit ab annis;
Non tamen hostiles prævaluêre manus.
3. Terga mihi fodit non uno vulnere: duro
Rusticus haud aliter vomere sulcat humum.
4. At Pater omnipotens, qui servantissimus æqui est,
Hostica disrupit vincula, largus opis.
5. Sacra Sion! odiis te qui premit impius hostis,
Terga det infami sanguinolenta fugæ.
6. Sit velut herba recens, quæ, tecti in culmine summo
Sponte sua surgens, vix bene nata perit.

Annotationes.

Hic Psalmus est *Didacticus*, quo ecclesia primo enarrat suas calamitates, tribus primis versibus; deinde suam libertatem prædicat versu quarto; postremo improborum omnium ruinam prædicit, inde ad finem Psalmi.

1. *Solymæ*] Vide Not. in Psal. ix. 11. *Solymam.*

4. *Servantissimus æqui est*] Ad imitationem Virgilii:

—Cadit et Ripheus justissimus unus
Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui, *Æn.*ii.427.

6. *Herba recens*] Id est, herba recens frumenti, de quo hîc agitur. Frumenta in herba esse dicuntur, cùm germen cœperunt mittere. *Cæs.* i. *Bell. Civil.* 48. *Neque frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate*

7. Falce metit nemo; maturis implet ariſtis
Nemo manum; nulli degravat illa ſinum.
8. Nemo viatorum, Felici ſidere, meſſis
Uber! ait, dextro Numine creſce ſeges.

ANNOTATIONES.

tate aberant.

7. *Ariſtis*] *Ariſta* propriè eſt apex, quæ ut acus tenuis, longa eminet e gluma. Ponitur pro *ſpica*. Virg.

— *Ne gravidis procumbat culmus* ariſtis, *Georg*. i. 3.

8. *Dextro*] De hoc Epitheto vide Not. in Pſal. xvi. 4. *Nomina læva*.

CXXX.

INGEMUI, vocemque trahens de pectoris imo,
Te, Deus! oravit mens ſtupefacta malis.
2. Supplicis exaudi gemitus; auremque querelis
Inclinans, famuli fac rata vota tui.
3. Si, quoties peccant mortales, mente recondas,
Pars quota quæ mittes fulmina ferre queat?
4 Sed tua te niveis cingit clementia pennis,
Ut pius hinc ſubeat pectora ſancta timor.
5. Fluctibus in mediis, Dominum ſpes omnis in unum
Incubuit, pactis certa ſubeſſe fidem.
6. Hoc ſpectat mens læta jubar: nocturnus Eoâ
Parciùs excubitor luce refectus ovat.

7. Eri-

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt etiam *Didacticus*, quo Propheta primo ſuam hiſtoriam narrat, ſex primis verſibus; deinde ex ſuo exemplo fidem in Domino commendat.

1. *Pectoris imo*] *Imus* eſt adjectivum, idem quod infimus, profundus: unde non ſemel apud Virgilium occurrit, *imo de pectore*. Ut *Æn*. i. 375.

Superans, imoque *trahens a* pectore *vocem*.

Vide Æn. ii. 288. xi. 377. Hic verò ut ſubſtantivum uſurpatur, *fundo*, ſive ejuſmodi vocabulo ſubintellecto. Exemplo Horatii:

—*Longos imitaris ab* imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis, 2 Sat. iii. 308.

5. *Fluctibus*] De hujus vocis Metaphorica ſignificatione, vide Not. in Pſal. ix. 13. *Adſpice fluctus*.

6. *Læta ſpectat*] *Læta* ſumitur hîc adverbialiter per *Enallagen* pro *lætè*, ut Pſal. ii. 12. *Securus*.

Eoa] Conſule Not. in Pſal. xix. 5. *Thalamo Eoo*.

 Ovat]

7. Erigat Abramidas Domino ſpes nixa fideli,
Cui comes eſt bonitas, et cumulata ſalus.
8. Hic gregis electi vitali flumine noxas
Abluet, et quidquid pectora fæcis habent.

ANNOTATIONES.

Ovat] De hoc verbo vide Not. in Pſal. xxxv. 25. *Jactet ovans.*

CXXXI.

NON ego, magne Parens! criſtas attollo comantes;
Nec tumet inflatum pectus amore ſui:
Fronte nec elatâ ſpecto ſublimia; captum
Quidquid et exſuperat, mens procul eſſe jubet.
2. Rebus in adverſis, infantis, lacte recenter
Provida quem mater depulit, inſtar eram:
3. Sic ego conticui: ſic diſcat ſemper Abrami
Poſteritas uni credere vota Deo.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt etiam *Didacticus*, quo Pſaltes primum animi ſui ſimplicitatem exponit, duobus primis verſibus; deinde alios ad ſe imitandum exhortatur, verſu tertio.

1. *Criſtas comantes*] Ita Virgilius de donis loquens quibus Helenus Æneam onerat:

Et conum inſignis galeæ, criſtaſque comantes,
Æn. iii. 468.

Hic verò ſumitur metaphorico ſenſu, ut in Pſal. ix. 19. *Tollat criſtas.*

CXXXII.

RESPICE Jeſſiaden, Pater et Regnator Olympi!
Quaſque tulit, memori mente revolve cruces.
2. Ille, Deum jurans Solymam qui protegit, ora
Solvit; et hæc voti ſumma caputque fuit:

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Votivus*, duabus partibus conſtans: altera eſt *Oratio*, uſque ad verſum undecimum: altera exponit rationes quibus oratio nititur, inde ad finem Pſalmi.

1. *Olympi*] Vid. Not. in Pſal. xlix. 15. *Rector Olympi.*

Cruces] Conſule Not. in Pſal. xl. 12. *Cruceſque.*

2. *Solymam*] Vid. Not. in Pſal. ix. 11.

3. Non

3. Non mihi regali priùs aut ſuccedere tecto
Fas erit, aut molli credere membra toro;
4. Nec priùs obrepet ſomnus quàm limina ſignem,
Quæ colat Iſacidûm tempus in omne Deus.
6. Rumor erat Bethlæ deberi Numinis ædem;
Debita ſed Solymæ laus fuit illa jugis.
7. Huc carpamus iter: Patris hìc ſternamur ad aras,
Scamnaque ſidereo quæ premit ille pede.
8. Surge, Parens rerum! ſtabiles hìc fige penates;
Sitque tibi conſtans fœderis arca comes.
9. Huc properent purâ velati ſindone myſtæ;
Plenaque lætitiæ gens ſacra cantet Io.
10. Quod tibi ſacrâſti, tu Jeſſæ reſpice germen;
Nec tetricus Chriſti reſpue vota tui.
11. Jeſſiadæ, memini, jurâſti, vertere mentem
Neſcius, obſtrictam vel temerare fidem:
Davide prognatus, dixiſti, ſceptra tenebit;
Conſcendet ſolium mox patris ille ſui.

ANNOTATIONES.

3. *Fas*] Eodem ſenſu ſumitur quo ſupra in Pſalm. ii. 10. *Fas eſt.* Quem locum vide.

6. *Rumor erat*, etc.] Hic locus in Hebræa origine eſt valde obſcurus, et in ejus ſenſu inveſtigando multum ſe torquent Interpretes. Senſus in quo ſumitur ab autore noſtro eſt admodum perſpicuus et ſummorum interpretum autoritate ſuffultus: Per *Ephratam* intelligit Bethlam Davidis urbem, et recte, ut patet ex *Mic.* v. 2. Et per *campos ſylvæ* Hieroſolymam eſſe intelligendam acutiſſimi Doctores Rabbinici cum eo conſentiunt.

Bethlæ] *Bethla* urbs Judææ, Davidis et ſervatoris Jeſu Chriſti nativitate celebris. Sita erat trium circiter millium paſſuum intervallo ab Hieroſolyma.

7. *Carpamus iter*] Vide Not. in Pſal. i. 1. *Carpit iter.*

Sternamur ad aras] Conſule de hoc ritu Not. in Pſal. v. 7. *Illuſtres ſternar et ante pedes.*

8. *Penates*] Vid. Not. in Pſal. cxiii. 9.

9. *Myſtæ*] De hac voce jam dictum ad Pſal. cxviii. 19.

Io] Vide Pſal. xiii. 4.

10. *Sacrâſti*] Per *Syncopen* dicitur pro *ſacraviſti*, ut etiam verſu ſequenti, *jurâſti* pro *juraviſti.*

Tetricus reſpue] *Tetricus* ponitur hìc adverbialiter, per *Enallagen*, pro tetrice, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

Chriſti] De hujus vocis Etymo vid. Not. in Pſal. lxxxvii. 9. *Chriſtum.*

Sceptra] Pro *ſceptrum* per *Heteroſin* pluralis numeri pro ſingulari.

12. Et mea si seri servârint jussa nepotes,
Hæc illis pariter sceptra regenda dabo.
13. Ipse mihi sanctæ delegi tecta Sionis;
Illa placent; stabiles hîc ego figo lares.
14. Hæc domus est, et certa quies, ædesque perennis:
Deliciumque animæ dimidiumque meæ.
15. Hîc bona de pleno fundetur copia cornu;
Nec deerit tenui messis opima gregi.
16. Casta sacerdotes pietas decorabit; et hymnis
Æthera mulcebit sancta caterva novis.
17. Davidis excrescet soboles, et robore pollens,
Hîc nitidum roseo fundet ab ore jubar.
18. Illius æternùm florebunt sceptra; notabit
Sed pudor hostiles inficietque genas.

Annotationes.

12. *Servârint*] Per *Syncopen* dicitur pro *servaverint*.

13. *Lares*] Consule Not. in Psal. xviii. 45. *Sepositosque lares*.

14. *Animæ dimidiumque meæ*] Exemplo præivit Horatius:
Et serves animæ dimidium meæ, 1 *Carm.* iii. 7.

15. *Pleno copia cornu*] Consule Not. in Psal. lxv. 12. *Pleno copia cornu*.

16. *Æthera mulcebit*] Vide Not. in Psal. v. 11. *Mulceat astra*.

17. *Roseo*] Vid. Not. in Psal. i. 2.
Seu nox est, roseo *seu micat axe dies*.

Ore] Per *Synecdochen* ponitur pro *vultu*, ut Psal. vii. 5. *Ora*.

18. *Sceptra*] Pro *sceptrum*, est *Heterosis* pluralis numeri pro singulari, ut sæpius alibi.

CXXXIII.

O QUIBUS illecebris pax et concordia fratrum
Me trahit, et pia qui pectora jungit amor!
2. Qui caput et barbam, limbum qui vestis Aroni
Perluit, haud alio fragrat odore liquor.
3. Sic gestit, plauditque Sion, et nubifer Hermon;
Florea cœlesti cùm juga rore tepent:

His

Annotationes.

Hic Psalmus est *Didacticus*, quo Propheta pacem et concordiam laudibus effert.

Aroni] Est *Antiptosis* dativi casus pro genitivo, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis*.

3. *Sion*] Vide Not. in Psal. ii. 6. *Sioni*.

Hermon] Inter altissimos montes Judææ, unde *Nubifer* dictus,

quia

His, quibus arridet pax aurea, Conditor orbis
Profpicit; et vitâ dat fine fine frui.

ANNOTATIONES.

quia nubibus tegitur. Vide Not. in Pfal. xxxix. 12. *Hermon.*

Aurea] De hcc epitheto vide Not. in Pfal. xlii. 4. *Aurea fidera.*

Dat frui] Confule Not. in Pfal. cxv. 7. *Nec palpare manu datur.*

CXXXIV.

EIA agedum, templi cuftos nocturne! minifter
Quifquis et es, fuperûm fer fuper aftra Patrem.
2. Tolle fupinatas fupplex ad fidera palmas;
Cantibus et templum perfonet omne facris.
3. Hic tibi fuccurret celfâ de rupe Sionis,
Qui dominâ terras finxit et aftra manu.

ANNOTATIONES.

Hic Pfalmus eft *Eucbariftícus,* continens primo hortationem ad Deum laudandum, duobus primis verfibus; deinde *promiffionem,* verfu ultimo.

1. *Eia agedum*] Vide Not. in Pfal. ii. 10.

Superûm] Per *Syncopen* dicitur pro *Superorum.*

2. *Supplex*] Ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *fuppliciter.* ut Pfal. ii. 10. *Securus.*

CXXXV.

EIA agedum, facri Dominum laudate miniftri!
Dicite cœlefti carmina læta Patri.
2. Vos templi vigiles! laudes celebrate Tonantis;
Quo melius, quo nil pulchrius orbis habet:
Aurea folenni refonent facraria cantu:
Elogiis Domini convenit ille locus.

ANNOTATIONES.

Hic Pfalmus eft *laudativus,* continens primo *Exordium,* tribus primis verfibus; deinde *Laudis argumenta,* a verfu tertio ad decimum quintum; poftea *Exornationem* a comparatione, a verfu decimo quinto ad decimum nonum; poftremo, *Conclufionem,* inde ad finem ufque.

4. Legit

4. Legit hic Isacidas multis de millibus unos;
Gens ea thesauri divitis instar erat.
5. Non ignota loquor: præstanti robore dextræ
Eminet, et reliquis imperat ille Deis.
6. Illius ad nutum tellus versatur, et æther,
Et mare, sub pedibus quidquid et abdit humus:
7. Sedibus ex imis tolluntur in ardua nubes;
Imbribus et subitis prævia flamma ruit:
Ille, suos reserans thesauros, evocat auras;
Et quatit hybernis culmina summa Notis.
8. Illius est dextrâ tellus orbata Canopi
Flore juventutis, primitiisque gregis.
9. Numinis attonitus sensit miracula Nilus,
Haustus et irato dux populusque freto.
10. Mille simul, ferro domiti, periere tyranni;
Duraque pro sceptris vincla tulêre duces.
11. Gentis Amorrhææ princeps, dominusque Bazanis
Concidit, et proceres, gens Cananæa! tui.
12. Regibus extinctis, felicia prædia rerum
Conditor Isacidis imperiumque dedit.

ANNOTATIONES.

4. *Unos*] Consule Not. in Psal. ciii. 13. *Diligit unos.*

6. *Et æther, et mare — et quidquid*] Notetur Figura quam *Polysyndeton* vocant, de qua vide Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum*, etc.

8. *Canopi*] Consule Not. in Ps. lxxviii. 49. *Canopi.*

9. *Nilus*] De hoc flumine supra dictum ad Psal. lxxviii. 12. *Barbare Nile.*

Freto] Consule Not. in Psal. xxx. 6. *Freta.*

10. *Periere*] Per *Syncopen* dicitur pro *perivere.*

Tyranni] Vide Not. in Psal. vii. 2. *Impune tyranni.*

Vincla] Per *Syncopen* ponitur pro *vincula.*

11. *Amorrhææ princeps*] *Sihon* scilicet Rex *Amorræorum*, de quo vide Num. xx. 23. Gens Amorræorum partem terræ Cananææ ultra flumen Jordanem colebat.

Dominus Bazanis] *Ogus* rex Bazanis ab Israelitis, Mose duce, devictus, Num. xxi. 35. De *Bazane*, vide Not. in Psal. xxii. 12. *Dape Bazanis.*

Gens Cananæa] De hac gente supra dictum ad Psal. cv. 11. *Canaæ gens.*

13. Ergò, Deus, ſacri ſpes et tutela peculî!
Nulla tuas laudes eſt tacitura dies.
14. Eſt populi tibi cura tui; tibi flexilis ira eſt,
Et tua tela tuus ſæpe retundit amor.
15. Impius argentum pro Dîs veneratur et aurum;
Et colit artificis Numina ficta manu.
16. Luce carent oculi; nec verba, nec halitus ori
Suppetit: eſt pelagi ſurdior auris aquâ.
18. Talia qui cudit, vel adorat Numina, demens,
Numinibus par eſt ſculptilibuſque ſuis.
19. Iſacidæ Dominum celebrent, et quiſquis Aronem,
Et Levi quiſquis prædicat inter avos.
21. Hunc canat et Solymæ Regem quicunque veretur;
Grandibus hunc titulis ornet et alma Sion.

ANNOTATIONES.

13. *Peculî*] Per *Apocopen* dicitur pro *peculii*, de qua voce vide Not. in Pſalm. lxxiv. 2. *Cura peculî.*

14. *Tela*] Vide Not. in Pſal. iii. 6. *Tela.*

16. *Pelagi ſurdior aquâ*] De hoc proverbio vide Not. in Pſal. xxii. 3. *Pelagi tu ſurdior undâ es.*

21. *Solymæ*] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*

Titulis] Vide Not. in Pſal. xviii. 49. *Tuos titulos.*

Alme] De hoc epitheto conſule Not. in Pſal. xii. 1. *Alma.*

Sion] Vide Not. in Pſal. ii. 6. *Sioni.*

CXXXVI.

QUAS decet, Autori rerum depromite grates:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
2. Solvite jam grates Regi, Dominoque Deorum:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
3. Ferte Deo grates, cui paret purpura regum:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, continens primo propoſitionem hortatoriam ad laudes Dei, primo ab ipſius beneficâ naturâ et ſummâ majeſtate, tribus verſibus primis; ſecundo a ſuis mirandis operibus, inde ad verſum decimum ſextum; et *Concluſionem*, inde ad finem Pſalmi.

3. *Purpura regum*] Pro *purpurati reges*, ut Pſal. l. 1. per Figuram quæ dicitur *Hendiadyoin*, de qua vide Not. in Pſal. ii. 9. *Sceptro ferroque.*

Dextera

4. Dextera cui fortis, cui ſunt miracula ſoli:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
5. Ardua qui ſolers ſuſpendit mœnia mundi:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
6. Fluctibus è mediis qui juſſit ſurgere terras:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
7. Aurea qui rutilis accendit ſidera flammis:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
8. Tempora qui lucis moderatur tramite ſolis:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
9. Aſtrorum lunæque rotis qui temperat umbras:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
10. Robora qui Phariæ ſtravit floremque juventæ:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
11. Qui bonus Iſacidas Nili revocavit ab undis:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
12. Qui ſibi devotos defendit vindice dextrâ:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
13. Qui mare diſſecuit medium, ſpectante Canopo:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
14. Quo duce, ſacra cohors evaſit ſoſpes ab undis:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
15. Gurgite qui Pharium merſit cum milite Regem:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
16. Pervia qui populo fecit priùs invia teſqua:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
17. Cujus et illuſtres obtrivit dextera reges:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.

ANNOTATIONES.

7. *Aurea*] Hîc ſignificat *præclarus*, *pulcher*, vel *ſplendidus*, ut Pſal. vii. 7. *Aureus.*

9. *Aſtrorum lunæque rotis*] *Rotis* hîc ponitur pro *orbitis*, per *Synecdochen.*

10. *Phariæ*] Vide Not. in Pſal. lxxiv. 13. *Pharios duces.*

11. *Nili*] De hoc flumine conſule Not. in Pſal. lxxviii. 12. *Barbare Nile.*

12. *Vindice*] De hoc epitheto vide Not. in Pſal. xxv. 20. *Te vindice.*

13. *Canopo*] Vide Not. in Pſal. lxxviii. 49. *Canopi.*

14. *Cohors*] Conſule Not. in Pſal. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

15. *Pharium*] Vide Not. in Pſal. lxxiv. 13. *Pharios duces.*

16. *Teſqua*] De hac voce ſupra dictum ad Pſal. xxix. 8. *Teſquaque.*

19. Gentis

19. Gentis Amorrhææ dominum qui ſtravit et Ogum:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
21. Qui populo dedit arva ſuo, quibus exuit hoſtes:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
23. Vindice qui ferro rebus nos juvit in arctis:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
24. Qui jugulo toties hoſtiles depulit enſes,
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
25. Qui dape mortales ſaturat de ſedibus altis:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.
26. Solvite cœlicolûm Regi, pia pectora! grates:
Illius eſt nullo limite clauſus amor.

ANNOTATIONES.

19. *Gentis Amorrhææ*] De hac gente vide Not. in Pſal. cxxxv. 2. *Amorrhææ princeps.*
24. *Jugulo*] Vide Not. in Pſal. vii. 1. *Jugulo.*
26. *Cœlicolûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *cœlicolarum*.

CXXXVII.

URBE procul Solymæ, fuſi Babylonis ad undas,
Flevimus; et lachrymæ fluminis inſtar erant:
Sacra Sion toties animo totieſque recurſans,
Materiem lachrymis præbuit uſque novis.
2. Deſuetas ſaliceta lyras, et muta ferebant
Nablia, ſervili non temeranda manu.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, cujus partes ſunt tres; prima *Narratio*, tribus verſibus; ſecunda *Confirmatio*, tribus ſequentibus; poſtrema, *Imprecatio*, inde ad finem.
1. *Solymæ*] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam.*
Babylonis] De hac urbe conſule Not. in Pſal. lxxxvii. 4. *Babylonis.*
Animo recurſans] Ita Virgilius:
Urit atrox Juno, et ſub noctem cura recurſat, *Æn.* i. 666.
2. *Saliceta*] *Salicetum* pro quo dicitur *ſalictum*, eſt locus ſalicibus conſitus, ut *arbuſtum* arboribus.
Lyras] Conſule Not. in Pſal. lvii. 8. *Lyræ.*
Nablia] Vide Not. in Pſal. xxxiii. 2. *Nablia.*

3. Qui

3. Qui patriâ exegit, patriam qui ſubruit, hoſtis
Pendula captivos ſumere plectra jubet:
Imperat et lætos, mediis in fletibus, hymnos;
Quoſque Sion cecinit, nunc taciturna, modos.
4. Ergone pacta Deo peregrinæ barbita genti
Fas erit et ſacras proſtituiſſe lyras?
5. Antè meo, Solyme! quàm tu de pectore cedas,
Neſciat Hebræam tangere dextra chelyn.
6. Te niſi tollat ovans unam ſuper omnia, lingua
Faucibus hæreſcat ſidere tacta meis.
7. Ne tibi noxa recens, ſcelerum Deus ultor! Idumes
Excidat, et Solymis perniciosa dies:
Vertite, clamabant, fundo jam vertite templum,
Tectaque montanis mox habitanda feris.
8. Te quoque pœna manet, Babylon! quibus aſtra laceſſis
Culmina mox fient, quod premis, æqua ſolo:
Felicem, qui clade pari data damna rependet,
Et feret ultrices in tua tecta faces!
9. Felicem, quiſquis ſcopulis illidet acutis
Dulcia materno pignora rapta ſinu!

ANNOTATIONES.

3. *Plectra*] Per *Synecdochen* ponitur pro. *citharis*, ut Pſal. xlix. 4. *Plectro.*

4. *Barbita*] Vide Not. in Pſal. lxxi. 22. *Barbitos.*

5. *Chelyn*] Conſule quæ ſupra dicta ad Pſal. xliii. 4. *Te referet Chelys.*

6. *Ovans*] De hac voce conſule Not. in Pſal. xxxv. 25. *Jactet ovans.*

Unam ſuper omnia] Quo modo dixit Virgilius *una ante alias*:

O felix una ante alias *Priameïa virgo!*
Æn. iii. 321.

7. *Idumes*] Vide Not. in Pſ. lx. 1. *Dives Idume.*

8. *Babylon*] Vide ſupra Not. in Pſal. lxxxvii. 4. *Babylonis.*

Felicem] Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Felicem nimiùm.*

9. *Pignora*] Conſule Not. in Pſal. cvi. 37. *Pignora.*

CXXXVIII. PEC-

CXXXVIII.

PECTORE te toto celebrabo, Maxime rerum!
Aligeros inter ſceptrigeroſque choros.
2. Ad ſacra ſiderei proſternar limina templi;
Devotus Solymis et dabo thura focis:
Hîc nomen, numenque tuum ſuper æthera tollam;
Nec favor eſt priſcus, nec reticenda fides:
Tu, tua qui ſanctè ſervâſti fœdera, metis
Orbis in extremi nobile nomen habes.
3. Supplicis audîſti gemitus, in vota vocatus;
Et memini vires te reparâſſe meas.
4. Ore tuo moniti reges, proceresque, frequentes
Undique concurrent, et tua facta canent.
5. Facta canent Regis, qui majeſtate coruſcâ
Exſuperat rerum machina quidquid habet.
6. Tu, licèt emineas, humiles tamen ore benigno
Reſpicis; elatos et procul eſſe jubes.
7. Me licèt infeſtent fluctus et lerna malorum,
Vita ſaluſque tuâ reſtituentur ope:

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt generis *mixti*, partim *laudativus*, partim *votivus*, duabus partibus conſtans; *laudatione*, uſque ad verſum ſeptimum; et *petitione*, duobus ultimis.

1. *Aligeros inter*, etc.] Eſt *Periphraſis* pro *Angelis* et *Regibus*.

Choros] Vide Not. in Pſal. xviii. 10. *Chori*.

2. *Siderei templi*] Vel *ſideribus ornati*, vel *alti et ſublimis ad ſidera:* Quo modo Martialis:
Hîc ubi ſidereus *propius videt aſtra Coloſſus*, lib. i. 11.

Solymis] Vide Not. in Pſal. ix. 11. *Solymam*.

Thura] Conſule Not. in Pſ. xxvi. 6. *Thura dabo*.

Servâſti] Per *Syncopen* dicitur pro *ſervaviſti*.

Metis] Vide de hac voce Not. in Pſal. xliv. 15. *Nec modus eſt vel meta malis*.

3. *Audîſti*] Per *Syncopen* dictum pro *audiviſti*.

In vota vocatus] Conſule Not. in Pſal. lxiii. 1. *In vota vocabo*.

Reparâſſe] Per *Syncopen* adhibetur pro *reparaviſſe*.

Ore] Ponitur hîc per *Synecdochen* pro vultu.

7. *Fluctus*] Vide Not. in Pſal. ix. 13. *Adſpice fluctus*.

Lerna malorum] De hac dictione jam dictum ad Pſal. xviii. 4.

Tu, Deus! invictis prosternes viribus hostes;
Dextra sed incolumem me tua tollet humo.
8. Perge, precor, nec te pigeat tua facta tueri:
Namque tuus, dempto fine, perennat amor.

CXXXIX.

TU, Deus! exactâ lustras indagine mores;
Tu rigidus vitæ censor es ipse meæ.
2. Seu sedeo, seu surgo, mihi tu semper adhæres;
Et pectus nil, te quod latet, intus habet.
3. Tu, quácunque feror, sequeris vestigia; præstò
Tu, Deus! es, quoties membra quiete levo.
4. Auribus arrectis tu quæ loquor, Arbiter orbis!
Accipis; et præsens singula verba notas.
5. Undique dum cingis, fibras dum pectoris omnes
Excutis, obsidio me nimis arcta premit.
6. Dum reputo quàm sint tibi lyncea lumina, miror;
Omnis et ingenii vis et acumen hebet.
7. Quò fugiens, oculos fallam quibus omnia cernis?
Quæ latebræ, profugi quæ caput antra tegent?
8. Si miser astra petam, solium tibi cingitur illis;
Tartara si subeam, tu, Deus! illa tenes.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *votivus*, ex tribus partibus constans; prima *Advocatio ad Deum*, usque ad decimum quartum; secunda, *Explicatio animi sui*, ad versum vigesimum tertium; tertia, *Petitio*, duobus ultimis.

1. *Lustras*] Vide Not. in Psal. xiv. 2. *Lustravitque genus mortale.*

Indagine] *Indago* significat vel canes ferarum Indagatores, vel retium ac plagarum series feris captandis, vel denique ipsa ferarum inquisitio, unde, ut plurimum, jungitur cum verbis *cingendi*, *includendi*: Ut apud Virgilium:

— *Saltusque* indagine *cingunt*,
Æn. iv. 121.

Accipis] Id est, *audis*, ut Psal. lxvi. 16. *Accipe.*

6. *Lyncea lumina*] Vide Not. in Psal. vii. 9. *Lynceus.*

8. *Tartara*] *Tartarus*, et in plurali numero, *Tartara*, ἀπὸ τῦ ταράσσειν, id est, *turbare*. Est locus Inferorum profundus:

—— *Tum* Tartarus *ipse*
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum,
Æn. vi. 577.

9. Me

9. Me licèt exoriens Aurora volucribus alis
Vectet ad Heſperii littora nigra freti ;
10. Te tamen Heſperiis cernam, novus hoſpes, in oris ;
Et metuam dextræ fulmina certa tuæ.
11. Me licèt involvam tenebris, et noctis amictu ;
Non tamen, heu ! tenebris, non ego nocte tegar.
12. Te præſente, nigræ vaneſcunt nubila noctis ;
Et ſunt, te coram, lux tenebræque pares.
13. Quod cute texiſti tenui genetricis in alvo,
Nil tua quod fugiat lumina pectus habet.
14. Te, Pater alme ! canam, mirandæ conſcius artis,
Quâ tua me ſtruxit compoſuitque manus.
15. Oſſa mihi ſolers finxiſti clauſa latebris ;
Nec pars ulla mei tum tibi tecta fuit.
16. Molle rudimentum vidiſti, et ſtamina prima
Corporis, et miris oſſa ligata modis :
Membraque victuris tibi ſunt inſcripta tabellis,
Ante mihi facies quàm foret ulla viri.
17. Quàm tibi mens ſolers ! tua quis ſecreta bilance
Pendere, vel numero claudere facta, queat ?
18. Hæc ego ſi metis complecti coner, arenas
Promptiùs expediam quot lavet unda maris :
Hæc experrectus mecum dum manè revolvo,
Mens ſtupet, et nimium cura laboris habet.

ANNOTATIONES.

9. *Heſperii*] Vid. Not. in Pſal. xix. 6. *Littus in Heſperium.*

Freti] Conſule Not. in Pſal. xxx. 6. *Freta.*

10. *Certa*] De hoc Epitheto vid. Not. in Pſ. lxviii. 21. *Certo ferro.*

14. *Alme*] De hoc Epitheto vid. Not. in Pſal. xii. 1. *Alma.*

15. *Solers finxiſti*] *Solers* hîc adverbialiter ponitur, per *Enallagen*, pro *ſolerter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

16. *Stamina*] *Stamen* propriè quicquid in colo ad nendum ponitur : et transfertur ad fabricam humani corporis, per alluſionem ad tres fatales *Parcas*, quæ hominum vitam inſtar fili deducere ac nere fingebantur :

—*Morieris*, ſtamine *nondum*
Abrupto,
Juven. Sat. xiv. 249.
—*Nentes fatalia* ſtamina
Parcæ, 1 Tib. vii. 2.

Vide etiam Notam in Pſal. xci. 16.

18. *Metis*] Vid. Not. in Pſal. xliv. 15. *Nec modus eſt vel meta malis.*

19. Tu, Deus! extingues sceleratos fulmine dextræ:
Sit procul a nobis tincta cruore manus.
20. Hostis atrox in te genuinum stringit; et iras
Nil profecturo provocat ore tuas.
21. Hunc ego non odi, te qui, Pater! odit? et illum
Non ego detestor, qui tibi bella parat?
22. Hunc ego, ne dubites, odi de pectoris imo;
Et mihi te quisquis non amat hostis erit.
23. Tu, qui cuncta vides, famuli, Deus! excute pectus;
Siquid et in tacito forte recludo sinu:
24. Si scelus hîc latitat; noxam si machinor ullam;
Me quoque, sacrilego cum grege, dede neci.

ANNOTATIONES.

20. *Genuinum stringit*] *Genuini* dicuntur dentes posteriores, qui, quoniam plerumque non conspiciantur, inde *mordere genuino*, *stringere genuinum*, *genuinum frangere*, etc. significant clanculum obtrectare et conviti-ari. Ut apud Persium:

—*Et* genuinum fregit *in illis*,
Sat. i. 115.

Iras] Per *Heterosin* dicitur pro *iram*, ut Psal. x. 13. *Iras*.

21. *Detestor*] Consule de hoc verbo Not. in Psal. lxxxviii. 8. *Detestantur*.

22. *De pectoris imo*] Vide Not. in Psal. cxxx. 1.

23. *Excute*] Consule Notam in Psal. xxvi. 2. *Excute pectus*.

Pectus] Alii legunt *mentem*.

Recludo] Alii legunt *recondo*.

24. *Grege*] De hac voce vide Not. in Psal. i. 1. *Grege*.

CXL.

ASSERE me, rerum Genitor! violenta retunde
Tela, quibus, nullo vim prohibente, petor.
2. Impia progenies in me ruit agmine denso;
Audet et indignum volvere mente nefas.
3. Omnibus armatur lethali lingua veneno,
Quale gerit Libycis vipera tecta rubis.

4. Hostis

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Votivus*, duabus partibus constans, *Petitione*, undecim primis versibus; et *Conclusione*, duobus ultimis.

1. *Tela*] Vide Not. in Psal. iii. 6.

Retunde] Consule de hoc verbo Not. in Psal. xxxvii. 40. *Retundet*.

3. *Omnibus*] Est *Antiptosis* pro

4. Hostis ab infensi famulum me protege dextris,
Illius et clypeo spicula pelle tuo.
5. Ille tumens fastu gressus mihi fraude paratis
Retibus implicuit, dispositisque plagis.
6. Tunc ego, Tu Deus es mihi, rerum maxime! dixi;
Tu Dominus; votis annue, quæso, meis.
7. Tu Deus es, Dominusque mihi, columenque salutis;
Tu clypeus, quoties ingruit hostis, eras.
8. Absit ut huic faveas, aut impia vota secundes:
Materiem fastûs hac ope tolle novi.
9. Factio dira suo pereat cum principe; virus
Et precor infestum, quod vomit, ipsa bibat.
10. Hauriat hanc superâ dejectum fulmen ab aulâ,
Quidquid et indomiti Tartarus ignis habet.
11. Exsulet hic terris, cui sunt lita labra veneno,
Et cui cæde madet sanguinolenta manus.
12. Credo equidem, nec vana fides, Pater orbis egenos
Proteget, et siquos sors minùs æqua premit.
13. Mens pia mille tibi solvet, Pater optime! grates;
Gaudebitque tuo cominus ore frui.

Annotationes.

pro *omnium*, ut Psal. i. 3. *Cui tempestivis.*

Libycis] A *Libya*, quæ Latinis propriè ea pars Africæ quæ circa Ægyptum est; non raro tamen latius patet, poetis præsertim, Græcorum more, quibus Λιβύη est quarta illa pars generalis in orbis terrarum divisione Africa dicta.

Vipera] Genus est serpentis, pariens ex ovis sobolem numerosam: unde et appellata videtur, quasi *vivipera*, quod *magna vi pariat*, vel juxta alios, quod *vi pereat*, sobole in partu alvum matris perrumpente. Viperæ mas verò, in coitu, caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine.

7. *Dominusque columenque*] Hîc copula *que* geminatur per Figuram quam *Polysyndeton* vocant. Ut Psal. vii. 17. *Justumque*, etc.

Ingruit] Vide Not. in Psal. xvii. 9. *Ingruit.*

8. *Secundes*] Consule de hoc verbo Not. in Psal. xx. 4. *Vota secundet.*

10. *Hauriat*] De hac significatione verbi *haurio* vide Not. in Psal. xliv. 19. *Hauserunt miseros.*

Tartarus] Vide supra Not. in Psal. cxxxix. 8. *Tartara.*

13. *Ore*] Ponitur hîc per *Synecdochen* pro *vultu.*

CXLI.

TE, Deus! imploro, fer opem feſtinus; et aurem
Tende mihi, dum te ſupplice voce rogo.
2. Sint pro thure preces; ſublatæ ad ſidera palmæ
Sint tibi ceu primo veſpere cæſa bidens.
3. Os mihi, ne peccem, ſervet cuſtodia; linguæ,
Ne violem leges, injice fræna meæ.
4. Da ne prava mihi vitient conſortia pectus;
Da gregis impuri poſſe cavere dapes.
5. Mille modis potiùs me cædat et increpet æqui
Cultor, et hic cui mens candida labe vacat:
Hoc mihi dulce putem, ceu ſint lita tempora nardo,
Triſtia quod medicâ vulnera ſanat ope:
Non tamen his renuam, quos odi, fauſta precari;
Cúmque luent pœnas, tangar amore pio.
6. Cùm ruet in præceps judex, et cenſor iniquus,
Verba mihi diſcent plena fuiſſe favis.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt etiam *Votivus*, continens *Exordium*, duobus primis verſibus; *Petitionem*, inde ad verſum decimum; et *Imprecationem*, verſu ultimo.

1. *Feſtinus*] Eſt adjectivum per *Enallagen* adverbialiter ſumptum, qualia multa ſunt paſſim in hoc libro exempla. Vide Not. in Pſal. ii. 12. *Securus*.

2. *Thure*] Conſule Not. in Pſal. xxvi. 6. *Thura dabo*.

Bidens] Vide ſupra dicta de hac voce ad Pſal. cxviii. 27. *Lecta bidens*.

4. *Da ne vitient,—Da poſſe*] Conſule Not. in Pſal. cxv. 7. *Nec palpare manu datur*.

Candida] Vide Not. in Pſal. iv. 1. *Candida*.

Tempora] Conſule Not. in Pſal. xxx. 1

Nardo] *Nardus* et *Nardum* frutex eſt odoratus, Indicus et Syriacus. Græcis νάρδος et νάρδου στάχυς, id eſt, *nardi ſpica*. Quod Anglice dicitur **Spikenard**. Hujus enim fruticis cacumen in ariſtas ſparſum ad unguenta præſertim fuit olim pretioſiſſimum. Ponitur hîc *nardus* pro *unguento nardino*, ut etiam apud Tibullum:

Illius puro diſtillent tempora nardo, 2 *Lib*. ii. 7.

6. *Plena favis*] *Favus*, proprie eſt apum domus et cellulæ; a *fovendo* dictus, quod in his ſobolem *foveant*. *Verba plena favis*, ſignificat *blanda* et *mellita verba*.

7. Per ſcelus, hi nobis ſparſerunt oſſa per agros,
Et tumuli juxta ceſpes inanis erat:
Sic cadit æratis percuſſa bipennibus ornus,
Et circùm latè fragmina fiſſa jacent.
8. Te tamen adſpecto, te nitor, maxime rerum!
Ne, precor, ah! timidæ deſere vela ratis.
9. Erue me laqueis, quibus implicor eripe nodis;
Et, quibus hæreſcit pes mihi, ſolve plagas.
10. Soſpite me, tectis ſe caſſibus induat hoſtis;
Et pereat technis, o precor, ipſe ſuis.

ANNOTATIONES.

7. *Tumuli*] Vide Not. in Pſ. vi. 5. *Senſus abeſt tumulis.*

Ceſpes] Proprie eſt *terra in modum lateris cæſa cum herba.* Hîc ſepulchrum ſignificat, ut etiam apud Virgilium:

Hectoreum ad tumulum; viridi quem ceſpite *inanem*
——*Sacraverat*, Æn. iii. 304.

10. *Technis*] Vide Not. in Pſal. v. 10. *Technis.*

CXLII.

VOTA Deo, ſuperûm ſuſpectans atria, fudi;]
Et petii ſupplex Omnipotentis opem.
2. Triſtibus, hoc coram, lachrymis, et mille querelis,
Sum mala teſtatus quæ fero, quæque tuli.
3. Cùm gemerem nimio curarum pondere preſſus,
Alme Parens! teſtis tu pietatis eras:
Impius interea me caſſibus induit hoſtis,
Et pedicæ dubios implicuêre pedes.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Didacticus*, cujus partes ſunt duæ; *Exordium*, verſu primo et ſecundo; et *Petitio*, reliquis verſibus.

1. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Superorum.*

Petii] Per *Syncopen* pro *petivi.*

Supplex] Ponitur hîc adverbialiter per *Enallagen* pro *ſuppliciter*, ut Pſal. ii. 12. *Securus.*

3. *Alme*] Vide de hoc Epitheto Not. in Pſal. xii. 1. *Alma.*

Dubios pedes] *Pes dubius* vocatur qui quaſi *lapſurus eſt, et inſtabili vel lubrico loco ſitus.* Ita Ovidius, de Fortuna:

Hæc Dea non ſtabili quam ſit levis orbe fatetur,
Quem ſummum dubio *ſub* pede *ſemper habet*,
Pont. Epiſt. L. iv. iii. 31.

4. Dum

4. Dum miser huc illuc oculos circumfero, nemo,
Auxilium misero qui mihi ferret, erat.
5. In Dominum tandem conjecto lumine, dixi,
Tu mihi, dum vivo, spes es, et autor opis.
6. Me bonus exaudi, pedibus dum calcor; et, hostis
Robore dum superor, tu mihi tende manum.
7. Eripe captivum cæci de carceris antro;
Sic ego te liber, quo decet, ore canam:
Hâc ope procedam, sanctâ comitante catervâ;
Divitiisque tuis, lautitiisque fruar.

ANNOTATIONES.

6. *Bonus exaudi*] *Bonus* ponitur hîc adverbialiter per *Enallagen*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

CXLIII.

AURIBUS arrectis famuli, Deus! accipe questus,
Fœderis, et fidei, justitiæque memor.
2. Ne trutinâ me pende tuâ; ne durus amussi
Quæsitor vitæ subjice facta meæ:
Adspice mortali prognatos semine; toto
De grege, te coram, crimine nemo vacat.
3. Me stravit, pressitque ferox, me carcere mersit
Hostis, et in tenebris vita trahenda fuit:
Delitui, ceu, luce carens et voce, silentum
Turba solet, quam nox semper opaca tegit.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Votivus*, continens *Exordium*, duobus primis versibus; *Expostulationem*, ad versum sextum; et *Petitionem*, inde ad finem.

2. *Quæsitor*] Is dicitur qui inquirendum curat de crimine, de eoque judicium exercendum. Unde Virgilius Minoem Judicem apud Inferos, *quæsitorem* appellat.

Nec verò hæ sine sorte datæ, sine judice sedes:
Quæsitor *Minos urnam movet; ille silentum*
Consiliumque vocat, vitasque et crimina discit,
Æn. vi. 432.

3. *Pressitque ferox*] *Ferox* hîc ponitur adverbialiter per *Enallagen* pro *ferociter*, ut Psal. ii. 12. *Securus*.

4. Ob-

4. Obstupuit mens fracta malis, ceu sidere lævo
   Tacta, nec in toto pectore robur erat.
5. Sed memor, annales recolens, tua facta revolvo:
   Hæc referunt animo noxque diesque meo.
6. Cùm premor adversis, supplex tibi brachia tendo;
   Et desiderio maceror usque tui:
Sic ager apricus nimio languescit ab æstu;
   Sic pluviam, succo deficiente, sitit.
7. Ocyùs exaudi, dum pondere victa fatiscit
   Mens mihi, ne, dextram te retrahente, ruam.
Ne vultûs jubar abde tui, quo cuncta serenas;
   Quo sine me lethi squallor et horror habet.
8. Lumine me placido, Pater! adspice, Phosphorus umbras
   Cùm fugat; auxilio spes mea nixa tuo est:
Luce præi, signaque viam; te suspicit unum
   Æquoris undosi mens propè mersa vadis.
9. Eripe me, vindex! furiis hostilibus; umbo
   Tu mihi, tu vitæ portus et aura meæ es.
10. Da famulo tua jussa sequi, Dominusque, Deusque!
   In tua, rerum Opifex! atria pande viam.

11. Jus-

ANNOTATIONES.

4. *Lævo*] Vide Not. in Psal. xvi. 4. *Nomina læva.*

5. *Annales*] Consule Not. in Psal. lxxvii. 11. *Annalibus.*

Noxque diesque] Copula *que* hîc geminatur per Figuram quam *Polysyndeton* vocant, de qua vide Not. in Psal. vii. 17. *Justumque Deum Dominumque potentem.*

6. *Supplex tendo*] *Supplex* ponitur hîc adverbialiter per *Enallagen* pro *suppliciter*, ut Pal. ii. 12. *Securus.*

Apricus] Vide de hoc epitheto Psal. lxxx. 10. *Apricis.*

7. *Vultus—quo cuncta serenas*] i. e. cuncta reddis placida, tranquilla, atque serena. Ita Virgilius:

Olli subridens hominum sator atque Deorum,
Vultu quo cœlum tempestatesque serenat, *Æn.* i. 259.

Lethi] Vid. Not. in Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus.*

8. *Phosphorus*] Græce φώσφορος, Latinè *Lucifer*, Veneris stella dicitur, ut *Cic. de Nat. Deor.* ii. 54.

Vadis] De hujus vocis propria significatione vide Not. in Psal. xxvi. 9. Hîc vero sumitur sensu Metaphorico.

9. *Vindex*] Vide Not. in Ps. xxii. 4. *Te vindice.*

Umbo] De hac voce consule Not. in Psal. iii. 3.

10. *Da sequi*] Vide Notam in Psal. cxv. 7. *Nec palpare manu datur.*

11. Justitiæ laudisque tuæ memor, eripe servum
Fluctibus; et vires, ne premar, adde novas.
12. Utque tuus clarescat honos, disperde catervam,
Quâ premor; et famuli jura tuere tui.

ANNOTATIONES.

datur.

Dominusque] Vel per *Ellipsin, qui es Dominus*; vel potest etiam accipi vocandi casu, quo modo dixit Virgilius *fluvius* in vocativo casu, ut agnoscit Servius, more antiquo, quo omnes quinti casus similes erant rectis.

Corniger Hesperidum fluvius *regnator aquarum,*
Æn. viii. 77.

11. *Fluctibus*] De hujus vocis Metaphorica significatione vide Not. in Psalm. ix. 13. *Adspice fluctus.*

CXLIV.

GLORIA sit cœli Domino; mea temperat arma,
Et bellatrices erudit ille manus.
2. Firma mihi rupes, et murus aheneus ille est;
Et clypeus vitæ præsidiumque meæ:
Hic vitam, sceptrumque dedit; spes omnis in illo
Est mihi, qui populos sub mea jura trahit.
3. Magne Parens! quantillus homo est, quem respicis! Adæ
Pignora quid te quo demereantur habent?
4. Vanius his nihil est; his ætas futilis, umbræ
More vagæ, levibus transvolat acta rotis.
5. Ætheris inclinans axes, jam labere cœlo:
Tange manu montes, et juga nube tege.
6. Funde meos cœli flammis ultricibus hostes:
Obrue missilibus castra profana tuis.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est generis mixti, *Votivus* et *Didacticus*, tribus partibus constans; *Exordio*, usque ad versum quintum; *Petitione*, ad decimum quintum; et *Conclusione*, versu ultimo.

2. *Murus aheneus*] Vide Not. in Psal. ix. 9.

3. *Pignora*] De hac voce consule supra Not. in Psal. cvi. 37.

4. *Transvolat*] De hoc verbo supra dictum ad Psal. cxix. 95. *Transvolat.*

7. Desuper

7. Desuper exserta dextram; fluctusque coerce,
Quos ciet, ah! studiis gens inimica piis.
8. Eripe me linguis mendacibus; eripe dextris
Fallere non veritis quam pepigêre fidem.
9. Tum, Pater alme! novo te tollam carmine; denis
Te referam nervis, altisonâque lyrâ.
10. Jure patrocinii, tu regum sceptra tueris;
Jessiaden clypei tu tegis ære tui.
11. Eripe me linguis mendacibus; eripe dextris
Fallere non veritis quam pepigêre fidem.
12. Vernet et assurgat soboles, precor, æmula cedro,
Quæ viret in Libani luxuriosa jugis:
Qualis et in lævi spectatur marmore, talis
Pectora virginibus pingat et ora nitor.
13. Ampla penus, fœtura gregis numerosa; segesque
Fertilis, et fortes sint ad aratra boves:
Sint procul hostiles acies et bella; nec unquam
Funestis resonent compita mœsta tubis.
15. O ter felicem, cui sic traducitur ætas!
Cui Deus est hominum cœlicolûmque Parens!

ANNOTATIONES.

7. *Fluctusque coerce*] De Metaphorico sensu vocis *fluctus*, vide Not. in Psal. ix. 13. *Adspice fluctus*.

8. *Eripe linguis, eripe dextris*] Est elegans *Anaphora*, de quâ Figurâ consule Not. in Psal. ii. 6. *Sceptra ferenda dedi, sceptra*.

9. *Alme*] Vide Notam in Psal. xii. 1. *Alma*.

Lyra] Consule Notam in Psal. lvii. 8. *Lyræ*.

10. *Jure Patrocinii*] Apud Romanos plebs inter Patres erat distributa, ut eorum opibus tuta esset. Quo igitur modo Patres, vel Patroni clientes suos hoc *patrocinii jure* tuebantur, ita Deus Reges, qui ipsius divino *patrocinio* se crediderunt.

Clypei ære] Id est, *Æneo clypeo*, per Figuram quam vocant *Hendyadyoin*. Qualia apud Virgilium multa occurrunt exempla.

— *Radiisque ardentem lucis et auro*
—*nubem*, i. e. *Radiis aureæ lucis*, Æn. vii. 142.

Vide *Æn.* i. 570, 719, 732. Vide etiam supra Not. in Psal. ii. 9. *Sceptro ferroque*.

12. *Libani*] De hoc monte vide Not. in Psal. xxix. 5. *Libani vertex*.

Ora] Per *Synecdochen* ponitur pro *vultus*.

13. *Penus*] Consule Not. in Psal. iv. 7. *Penus*.

15. *O ter felicem*] Vide Not. in Psal. ii. 12. *Felicem nimium*.

Cœlicolûmque] Per *Syncopen* dicitur pro *Cœlicolarumque*.

CXLV. TE

CXLV.

TE Regem, Pater alme! canam; tua facta per orbem
Diffundam, plectro non metuente mori.
2. Nulla dies non te recolet, Rex inclyte! metis
Includent titulos secula nulla tuos.
3. Est immensa tibi, nec sat laudata potestas;
Et tua sat nescit gloria mente capi.
4. Instruet ætatem priscis annalibus ætas,
Mille tuâ memorans parta tropæa manu.
5. Inclyta cœlestis referam miracula dextræ,
Et majestatis præco perennis ero.
6. Robur ego, dicent alii monumenta furoris,
Et recolent iræ fulmina sæva tuæ.
7. Omnibus et populis narrabunt voce canorâ,
Quanta, Parens! bonitas sit tua, quanta fides.
8. O tibi quàm comis mens est, et segnis ad iras!
Rebus in afflictis quàm tibi prompta manus!
9. Omnibus illustrem tua se clementia terris
Monstrat, et in toto quem regis orbe nitet.
10. Te, Deus! artificem canit ingens machina mundi,
Et populus tibi qui, cum prece, thura litat.

11. Im-

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, cujus partes sunt quatuor: prima, laudis professio singularis, ad versum quartum; secunda, *Provocatio* omnium creaturarum ad Dei laudes promulgandas, inde ad versum decimum tertium; tertia, *Laudis argumenta*, a versu decimo tertio ad vigesimum primum; postrema, *Conclusio*, versu ultimo.

1. *Plectro*] Consule Not. in Psal. xlix. 4. *Plectro.*

Non metuente mori] Id est *immortali*, cui nihil a morte timendum.

2. *Metis*] Vide Not. in Psal. xliv. 15. *Nec modus est vel meta malis.*

4. *Annalibus*] Vide de hac voce Not. in Psal. lxxvii. 11. *Annalibus.*

Tropæa] Vide supra dicta de hac voce ad Psal. xx. 5. *Læta tropæa.*

8. *Iras*] *Iras* ponitur hîc pro *iram* per *Heterosin* pluralis numeri scilicet pro singulari, more Virgiliano:

Namque dabunt veniam votis, iraſque *remittent*,
Georg. iv. 536.

10. *Thura*] *Thus* est incensum quo Diis vel Deo sacrificabatur.

Quidam

11. Imperii sceptrique decus vox efferet omnis;
Laudibus et vires tollet in astra tuas.
12. Sic regni sacra fama tui, sic gloria dextræ
Crescet, et implebit solis utramque domum.
13. Quos geris æterni sunt, et sine limite fasces
Imperii: nil hîc tempora juris habent.
14. Sustinet infirmos cœlestis dextera; terræ
Hæc eadem affixos dextera tollit humo.
15. Te mare, te tellus, totus te suspicit orbis;
Pabula tu præbes tempore cuique suo.
16. Expandis tu sponte manum, quæ sustinet omnes:
Omnibus optatas porrigit illa dapes.

ANNOTATIONES.

Quidam derivant ἀπὸ τȣ̃ θυόω, *odorem facio*, vel potius a θύω, *sacrifico*; quod qui sacrificabant, thure utebantur: alii verò credunt esse dictum a tunsis glebis, quia de arbore distillat, et a terra subjecta combibitur, in eaque congelatur, indeque tunsis glebis colligitur. *Thura*, inquit Plinius, *præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ*, Lib. xii. c. xiv. 1.

Litat] Inter *litare* et *sacrificare* hoc *interest*; *sacrificare* est veniam petere; *litare* verò est propitiare et veniam impetrare. Exemplo sit Virgilius:

Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis,
Æn. iv. 50.
Sanguine quærendi reditus, animâque litandum
Argolicâ, —— Æn. ii. 118.

Litare est quasi *lutare*, id est *luere* et *solvere*.

12. *Dextræ*] Per *Syncopen* dicitur pro *dexteræ*, quo modo sæpe Virgilius:

Ipse Pater mediâ nimborum in nocte coruscâ
Fulmina molitur dextrâ,
Georg. i. 328.

Solis utramque domum] Per *Periphrasin* dicitur pro *ortum* et *occasum*.

13. *Fasces*] *Fasces* insignia dicebantur consulum Romanorum. Erant autem fasciculi colligati ex virgis seu bacillis de betula arbore, inter quas obligata securis ita erat, ut ferrum in summo *fasce* emineret. Inde usurpatur vox *pro imperii* insignibus apud Virgilium:

—*Primos attollere* fasces,
Regibus omen erat, ———
Æn. vii. 173.

Et pro ipso imperio, apud Horatium:

——*An superbos*
Tarquinî fasces——*memorem*,
1 Carm. xii. 35.

15. *Te mare, te tellus, te suspicit*] *Anaphora* in voce *te* miram habet vim, suavitatem, et elegantiam; estque felix imitatio Virgilii:

Te *dulcis conjux*, te *solo in littore secum*,

17. Arbiter æthereus recti sectator et æqui est;
Et, superâ quidquid prodit ab arce, pium.
18. Hunc animo si promptus adis, nec fallere tentas,
Ibit in amplexus protinus ille tuos.
19. Audiet et questus facilis, votisque suorum
Annuet; et vitæ præmia certa dabit.
20. Gens pia perstabit, cœlesti Numine tuta:
Impia cœlesti corruet icta manu.
21. Voce Deum referam, cujus nomenque decusque
Natio nulla sinet, sêcla nec ulla mori.

ANNOTATIONES.

Te *veniente die*, te *decedente canebat*, Georg. iv. 465.

18. *Promptus adis*] *Promptus* ponitur hîc adverbialiter per *Enallagen*, pro *promptè*, qualia multa apud Virgilium aliosque autores occurrunt exempla. Ut
(1) *Nec minus Æneas se matutinus agebat*, pro *mane*, Æn. viii. 465.
(2) —*Rarus venit in cœnacula miles*, pro *raro*, Juv. Sat. x. 18.
(3) *Illi haud* timidi *resistunt*, pro *timidè*, Sal. Bel. Cat. cap. xlv. Eodem modo versu sequenti dixit, *audiet facilis* pro *facilè*.

21. *Nomenque decusque*] Hîc copula *que* geminatur et redundat, per Figuram quam vocant *Polysyndeton*, cujus præcipuus usus est ut res sigillatim notet et in mente altius infigat. Hujus Figuræ passim occurrunt Exempla apud Virgilium:
Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus,—— Æn. i. 89.

CXLVI.

TU Patris ætherei laudes, mens! concipe; vitâ
Dum fruar, hæc studii summa futura mei est.
3. Quisquis es, ah! regum sceptris ne crede salutem,
Aut homini: nil rex, nil homo præstet opis.
4. His ubi corpus humum repetit, mens avolat; omnes
Excutit et curas, nec memor inde tui est.

5. O

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, continens *Propositionem laudis divinæ*, quatuor primis versibus; deinde *argumenta laudis*, inde ad finem usque.

3. *Regum sceptris*] Vel pro *sceptriferis regibus*, per Figuram quam vocant *Hendiadyoin*; vel *sceptris* pro *imperio* et *potentia*: Ut apud Virgilium:
Si vero capere Italiam, sceptrisque *potiri*,
Contigerit victori,
Æn. ix. 267.

Præstet]

5. O felix nimiùm, Domino qui fidit amico,
Quisquis et Isacidûm pro duce Numen habet!
6. Astra, fretum, terras, et quidquid cernitur usquam,
Hic dedit; et stabilem servat ubique fidem.
7. Protegit afflictos; inopes dape sublevat; arctâ
Compede constrictos liberat ille pedes.
8. Lumina dat cæcis; humiles attollit in altum;
Diligit et populum quem juvat æqua sequi.
9. Cum viduis, illi puer orbus, et advena curæ est;
Sed scelerum socios fœda ruina manet.
10. Sceptra geret Solymæ Dominus, dum lucidus astra
Sol reget: Ergo Deo laus sit et omnis honos.

ANNOTATIONES.

Præstet] Est hîc præsens subjunctivi loco futuri, quo loquendi genere optimi scriptores utuntur. *Siquis Deus*, inquit Cicero, *mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, et in cunis vagiam, valde* recusem, De Senect. *c.* xxiii.

Non vanæ redeat *sanguis imagini*,
Hor. I Car. xxiv. 13.

5. *Felix nimiùm*] *Nimiùm* est adverbium quod non semper in malam partem sumitur, sed nonnunquam idem valet quod *magnopere*, vel *supra modum*, quale exemplum habes apud Virgilium:

—— *O fortunatos* nimium
Agricolas, — Georg. ii. 458.

6. *Fretum*] Per *Synecdochen* pro mari in genere; *fretum* enim propriè est angustum mare inter duas terras: ut *fretum Siculum, Gaditanum*, etc. a *fervendo* dictum, quod in eo mare compressum effervescat, ac velut ebulliat.

Dedit] Pro *fecit*, ut apud Virgilium:

— *Qua summa labantes*
Juncturas tabulata dabant,
Æn. ii. 463. Et Terentium:
— *Solertem* dabo, i. e. *reddam, faciam*,
Eun. iii. ii. 25.

10. *Solymæ*] *Solyma, æ*, vel *Solymæ, arum*, idem quod Hierosolyma, urbs nobilis Judææ metropolis.

CXLVII.

LAUDIBUS in cœlum cœlestem tollite Regem:
Hoc juvat, hæc nimium cura decoris habet.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est etiam *Laudativus*, constans primo, *Exordio*, versu primo; secundo, *Laudis argumentis*, a versu secundo ad decimum nonum; tertio, *Conclusione*, duobus ultimis.

2. Ille suæ Solymæ reparavit mœnia: vindex
Exsulibus patrios reddidit ille lares.
3. Luce suâ mœstæ depellit nubila mentis;
Et fera cœlesti vulnera lenit ope.
4. Supputat astrorum numerum, currusque volucres;
Nomenclaturis et vocat illa suis.
5. Illius omnipotens vis est, et dextera solers:
Non hæc comprêndi mente, nec illa potest.
6. Erigit ille humiles; tumidos deturbat ab alto:
Hunc canat argutæ vox tua juncta lyræ.
8. Hunc cane, qui cœlum nebulis involvit opacis,
Ustaque fœcundis imbribus arva rigat:
Gramine qui montes operit; pecorique ministrat
Pabula, quæsitas et tibi, corve! dapes.
10. Nec capit hunc bellator equus, nec militis ensis;
Candida sed pietas, et sine labe fides.
12. Illius, urbs Solymæ! celebra præconia; laudes
Illius in cœlum tolle, Sionis apex!

ANNOTATIONES.

2. *Vindex*] *Vindex* sæpius significat *ultor*, hic verò sumitur pro *defensor*, eodem sensu quo apud Ciceronem; *nunquamne intelliges—utrum illi—homicidæ sunt, an* vindices *libertatis*, Phil. ii. 12.

Lares] *Lares* erant Dii domestici quos in secreta parte ædium gentes colebant. Quidam existimant *Lares* fuisse ipsas animas parentum, qui, quod olim in ipsa domo sepulturæ mandarentur, curare semper familiam putabantur suam; et propterea religiose colebantur. Sed sumitur hic pro ædibus, ut apud Virgilium:

Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris,
Sub terra fodere larem,
Georg. iv. 43.

8. *Quæsitas, corve! dapes*] Aristoteles Hist. Anim. *lib.* ix. *cap.* 31. *Corvos suos pullos*, inquit, *cum volare jam possunt, primum nido ejiciunt, deinde regione tota exterminant.* Quam impietatem in pullos attingunt sacræ literæ, *Job* xxxviii. 41. *Quis* præparat corvo escam, *quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?*

10. *Bellator equus*] Ita Virgilius:

Hinc bellator equus *campo sese arduus infert,*
Georg. ii. 145.

12. *Sionis apex*] *Apex* proprie dicitur virga in summo flaminis pileo lanata; h. e. in cujus extremitate modica lana est. Inde de cujuscunque rei vertice vel summitate dicitur ut de vertice vel polo mundi, Psal. xcvi. 3. *Geminus orbis apex,* et hic de montis cacumine.

13. Ille

13. Ille tibi valido munivit robore portas:
Civibus ille tuis favit, et auxit opes.
14. Illius auspiciis, pax incolit aurea terras;
Messibus et lætis luxuriantur agri.
15. Ille jubet; jussis tellus obtemperat ultrò,
Principis imperiis obsequiosa sui.
16. Nunc nive velantur, ceu molli vellere, colles;
Pascua nunc, cinerum more, pruina tegit.
17. Densantur liquidæ crustis glacialibus undæ;
Præque gelu nimio vix toleratur hiems.
18. Mox, ubi rerum Opifex adspirat lenibus auris,
Bruma fugit, glacies liquitur, unda fluit.
19. Dat Deus Isacidis leges et jura; Sionis
Et populum placitis erudit ille suis.

ANNOTATIONES.

13. *Tibi munivit*] Est *Antiptosis* dativi casûs pro genitivo, more poetico; ita Virgilius de Tityo loquens,

— *Per tota* novem cui *jugera corpus*
Porrigitur, ————
Æn. vi. 359.

14. *Auspiciis*] *Auspicia* proprie erant signa vel omina quæ capiebant Romani ab *avium aspectu*. Et quia apud eos omnia fere *auspicato* gerebantur, inde pro consilio, ductu, sive rei dispositione hæc vox ponitur, ut apud Virgilium:

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis — *Æn.* iv. 340.

17. *Densantur liquidæ crustis glacialibus undæ*] Eandem descriptionem parvo discrimine dedit Virgilius,

Concrescunt subitæ currente in flumine crustæ,
Georg. iii. 359.

18. *Adspirat*] *Adspirare* sumitur hîc in sensu proprio pro *afflare*. Ut apud Virgilium:

Adspirant *auræ in noctem*,
Æn. vii. 8.

Bruma] *Bruma* proprie dicitur Dies solstitii hiemalis, qui est ante idus Decembris: hîc verò ponitur pro ipsâ hieme, ut etiam apud Virgilium:

Frigida sub terrâ tumidum quem bruma *tegebat*,
Æn. ii. 472.

Bruma fugit, etc.] Notetur hîc Figura quam vocant *Asyndeton*, quæ præcipuè locum habet ubi festinat oratio. Ut in illo celebri loco Virgilii:

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, Æn. ix. 37.

20. Non ita propitium reliquis ſe præbuit oris,
Sole quibus fas eſt ſideribuſque frui:
His nec jura dedit, nec ſacri fœderis arrham
Obtulit: Ergò Deo laus ſit, et omnis honos.

Annotationes.

20. *Arrham*] *Arrha* idem quod *Arrhabo*, verbum eſt Græcum ἀῤῥαβών. Proprie ſignificat id quod pretii numerandi quaſi pignus datur. Sed uſurpatur etiam pro eo quod eſt *pignus* in genere. *Hunc* arrhabonem *amoris a me accipe*, Plaut. in Mil. iv. i. 11.

CXLVIII.

EIA! Deum celebra: Domini, de ſede supernâ
Facta refer, cœli qui juga ſumma tenes.
2. Eia! Deum celebra, rutilans ſine corpore cœtus!
Siderei propiùs qui Patris ora vides:
Eia! Deum celebra, rapidis exercitus alis
Concite! dum ſuperi juſſa faceſſis Heri.
3. Eia! Deum celebra, ſol! ſolis et æmula luna!
Et cœli levibus ſidera vecta rotis!
4. Hunc pariter celebret ſupremi machina cœli,
Quotquot et ex alto præcipitantur aquæ.

Annotationes.

Hic Pſalmus eſt *laudativus*, continens *Hortationem ad omnes res creatas, ut celebrent Deum*; primum, *ad cœleſtes*, uſque ad verſum ſeptimum; deinde, *terreſtres*, inde ad verſum decimum tertium; ac poſtremo cauſas explicat, duobus ultimis verſibus.

1. *Eia! Deum celebra*, etc.] Ad ſublimem hunc Pſalmum Miltonus præcipuè reſpexiſſe videtur, in celebri illo hymno matutino Adami et Evæ, *Parad. Amiſſ.* lib. v. 153. Ipſum fere Pſalmi obſervavit ordinem: primo Apoſtrophen faciens ad Angelos et ſuperioris ordinis Intelligentias; deinde ad Solem, Lunamque et Sidera; et poſtremo ad res terreſtres; omiſſis iis ſolummodo qui tunc non extitere, hominibus ſcilicet, ut nunc inter ſe diſtinguuntur per ſexum, ætatem, et ordinem.

2. *Ora*] Primò eſt pluralis numerus pro ſingulari, per *Heteroſin*, *ora* ſcilicet pro *os*; deinde, per *Synecdochen os* ponitur pro *vultu*; ut apud Virgilium:

Ipſa—ora *modis attollens pallida miris*, Æn. i. 358.

5. Hunc

5. Hunc celebrate ſimul: verbo vos ille potenti
Condidit, et ſtabili nunc quoque lege regit.
7. Ætheris et Dominum laudet tellure ſub imâ
Trux draco, vaſta maris quidquid et unda tegit.
8. Et, cava quæ cœli ſubtexunt mœnia, flammæ;
Et quæ frugiferos grando flagellat agros:
Et nix, cum nebulis; et tempeſtate ſonorâ,
Illius ad nutum, qui quatis, Eure! rates.
9. Et tetricæ rupes; et ovantes palmite colles;
Et cedrus; et pomis arbor onuſta novis.
10. Cumque feris pecudes; et quæ ſecat æthera pennis
Natio, vel prono pectore verrit humum.
11. Gemmiferoque comam cincti diademate Reges!
Voſque, quibus fas eſt dicere jura, patres!
12. Strenuus et juvenum chorus, innuptæque puellæ;
Et puer imbellis, decrepituſque ſenex.
13. Cuncta Deum celebrent; qui, præſtans omnibus unus,
Altior eſt terris, ſidereiſque rotis.
14. Hic ſibi devotum populum, gentemque Sionis
Evehit: ergò Deo laus ſit, et omnis honos.

ANNOTATIONES.

7. *Trux draco*] *Draco* eſt genus animalis venenoſi, dicti ἀπὸ τοῦ δρακεῖν, *videre*. Clariſſimam enim habere dicitur oculorum aciem: quâ ex cauſâ incubantes eos theſauris finxerunt antiqui.

8. *Subtexunt mœnia*] Quo modo verbum hoc uſurpavit Virgilius:

—— *Et cœlum* ſubtexere *fumo*, Æn. iii. 582.

9. *Ovantes*] *Ovatio* propriè erat minor triumphus, pedeſtris; ad ſummum ex equo, non e curru. Nomen eſt, vel ab acclamatione militum, geminatâ ſæpius literâ *O*, juxta Feſtum: vel ab *ove*, quæ in minore triumpho immolabatur. Hinc ad lætitiam omnem ſignificandam vox hæc traducta; etiam ad corvos, de quibus ita Virgilius:

—— *Hinc ille avium concentus in agris*,
Et lætæ pecudes, et ovantes *gutture corvi*, Geo. i. 423.

13. *Rotis*] Ponitur hîc per *Metonymiam* pro *globis cœleſtibus*.

14. *Sionis*] *Sion* propriè erat Hieroſolymæ pars altera, nam nobilis illa urbs diviſa fuit in *ſuperiorem* et *inferiorem*, quibus nomina erant *Sion* et *Acra*, a duobus montibus ſuper quibus urbs ſita erat.

CXLIX.

DICITE Rectori superûm nova carmina; sacros
Audiat et populi tota corona modos.
2. Rex suus oblectet Solymam; suus autor Abrami
Progeniem: citharis, gens sacra! junge choros.
4. Ille suo populo favet, oblectatur et illo;
Mitibus et vindex cinget honore comas.
5. Gens pia solenni testetur gaudia pompâ;
Gestiat et quoties nocte cubile premit.
6. Ore sui laudes celebret Dominique Deique;
Sed simul ancipiti fulminet ense manus.
7. Demetet hôc scelerum socios, gentesque rebelles,
Et quos impuros, quos sciet esse reos.
8. Ponè trahat Reges, manibus post terga revinctis;
Servili procerum stringat et ære pedes.
9. Laus gregis est sacri præscriptas poscere pœnas:
Hoc decet; ergò Deo laus sit, et omnis honos.

ANNOTATIONES.

Hic Psalmus est *Laudativus*, duabus partibus constans; priore hortatur ecclesiam ad Deum laudandum, propter pacem ab eo acceptam, usque ad versum quintum; posteriore, propter gloriam et honores in eam collatos, inde ad finem.

1. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *superorum*.

2. *Citharis*] *Cithara* vulgo *Harpa* dicitur, instrumentum musicum cum decem chordis, ad similitudinem fidium minorum.

Choros] *Chorus* proprie est Coævorum cantus atque saltatio; estque vox origine Græca Χορὸς.

6. *Dominique Deique*] Copula *que* hîc geminatur et redundat, per Figuram quam vocant *Polysyndeton*: qualia multa apud Virgilium occurrunt exempla, ut,

Una Eurusque Notusque *ruunt, creberque procellis,*
Africus, — Æn. i. 85.

8. *Servili ære*] i. e. *Servili catena* Æs hîc ponitur pro *catena ænea*, quo modo dixit Virgilius *ære cavo*, pro *tuba ærea cava*.

— *Dat signum speculâ Misenus ab altâ*
Ære cavo — *Æn.* iii. 240.

CL. FER

CL.

FER ſuper aſtra Deum, Solymæ qui protegit aras;
Aurea pollenti qui regit aſtra manu.
2. Fer ſuper aſtra Deum, qui pollet robore dextræ,
Et majeſtatis pandit ubique jubar.
3. Fer ſuper aſtra Deum lituis, buxoque ſonoro;
Et ſocia blandæ nablia feſta lyræ.
4. Fer ſuper aſtra Deum; pulſa cava tympana palmis:
Sit citharæ et fidibus tibia blanda comes.

ANNOTATIONES.

Hic Pſalmus eſt *Laudativus*, veluti concluſio totius libri; continens primo *Hortamen ad Dei laudes celebrandas*, verſu primo; ſequitur *Laudis argumentum*, verſu ſecundo; deinde, *Variæ laudationis formæ*, reliquis verſibus.

1. *Solymæ*] Dicimus *Solyma*, *æ*, vel *Solymæ*, *arum*, nobilis urbs, caput Judææ.

Aurea] Id eſt *pulchra*, *ſplendida*, *præclara*, quo modo Virgilius ſolem *aureum* appellat,

Per duodena regit mundi ſol
aureus *aſtra*, Geo. i. 232.

3. *Lituis*] *Lituus* hoc modo a *tuba* et *cornu* diſtinguitur: *tuba* eſt recta; *cornu* plane incurvum; *lituus* verò inter utrumque medius. Ab ejus Figura baculus auguralis *lituus* quoque dictus eſt.

Buxoque ſonoro] *Buxo* per *Metonymiam* ponitur pro *tibia* e *buxo* compoſita, ut etiam apud Virgilium:

Tympana vos buxuſque *vocat*
Berecynthia matris
Idææ— Æn. ix. 619.

Nablia] *Nablium* eſt inſtrumentum muſicum quod aliàs *Pſalterium* dicitur; ex Hebraico *Nebbel*; duodecim chordis conſtans, quæ totidem tonos edebant.

Lyræ] *Lyra* inſtrumentum muſicum ἀπὸ τοῦ λύρειν, *canere*. Vulgo conſtabat viginti quatuor chordis, et per digitos variis vocibus, tinnuliſque ictibus in diverſis modis concitabatur: conſtat autem multiplices fuiſſe diſtinctaſque *Lyrarum* ſpecies.

4. *Tympana*] *Tympanum* eſt pellis ſive corium ligno extenſum: pulſabatur apud antiquos manibus ac digitis; venit a Græco verbo τύπτειν, *verberare*.

Citharæ] Vide ſupra Pſal. cxlix. 2. *Citharis*.

Fidibus] *Fides* erat genus *Citharæ* quæ et *chordæ*. *Fides* dicta quod tantum inter ſe *chordæ* ejus quantum inter homines *fides* concordent.

5. Fer

5. Fer ſuper aſtra Deum: jungantur cymbala plectris;
Dulcibus et reſonent terra poluſque modis.
6. Fer ſuper aſtra Deum, quiſquis vitalibus auris
Veſceris! ergò Deo laus ſit, et omnis honos.

ANNOTATIONES.

5. *Cymbala*] *Cymbalum* erat inſtrumentum muſicum æreum, concavum, et bacillis æreis percuſſum tinnitum edebat.

Plectris] *Plectrum* proprie inſtrumentum quo Citharœdi fides, vel citharam *plectebant*, i. e. *percutiebant*. Hîc autem ponitur per *Synecdochen* pro ipsâ citharâ, ut etiam apud Horatium:

Et te ſonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro *dura navis,*
2 Carm. Od. xiii. 27.

Poluſque] *Polus* eſt quaſi cœli cardo, quo cœlum vertitur, vel verti fingitur: a *πολέω, verto:* *Polus* verò interdum ponitur, ut hîc, pro cœlo ipſo: ut,

Humentemque Aurora polo *dimoverat umbram,*
Virg. *Æn.* iii. 589.

6. *Vitalibus auris veſceris*] Ad imitationem Virgilii:

——*Si* veſcitur aurâ
Ætherea, —— Æn. i. 550.

Veſci aurâ autem ſignificat, uti vel frui aere, ex interpretatione Nonii ad illud Lucretii:

Quove modo genus humanum variante loquelâ
Cœperit inter ſe veſci *per nomina rerum,* Lib. v. 72.

FINIS PSALMORUM.

CORRIGENDA.

Pſ. xiii.	4.	*not.*	dicere aliqui	*lege*	dicere aliquid
xlv.	12.	*not.*	*poſt* millium paſſuum		intervallum
lx.	14.		dura		dira
lxviii.	36.	*not.*	dolis		dolus
lxxxvii.	4.		janςta		junςta
xciv.	12.		doces		docet
cvi.	37.		Nac		Nec.



Cantica Evangelica, etc.

I.
Salutatio Angelica.


ALVE, Cœlicolûm, Virgo! cariſſima Regi,
Et cœli cumulata bonis: Tu, Numine plena,
Jam frueris præſente Deo: Tanto hoſpite felix,
Virginibus reliquis, et matre beatior omni es.
2. Ne trepida; placido te vidit lumine rerum
Conditor. Ecce! tuo conceptam ſemine prolem
Virgo feres utero; Natumque Puerpera fauſtis
Nixibus in dias emittes luminis auras;
Qui tibi, nec vano titulo, dicetur Iesus.

Annotationes.

1. *Cœlicolûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Cœlicolarum*.

2. *Puerpera*] *Puerpera*, ex *puer* et *pario*, eſt fœmina pariens, vel quæ peperit puerum, vel puellam.

Fauſtis Nixibus] *Nixus* vel *Niſus* propriè eſt conatus in aliquid incumbentis toto corpore. Unde Poetæ hoc nomine utuntur pro *partu*, ſive parturientium conatibus:

—Nec corpora ſegnes
In venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus *edunt*,
Virg. Georg. iv. 199.

In dias luminis auras] i. e. *in lucem ætheream, ſacram, vel divinitus enatam*; quo modo *lux* pulcherrimè deſcribitur a Miltono noſtro, in ſuo *Paradiſo amiſſo*:

Hail, holy Light, offspring of Heav'n *firſt-born*,
Or, of th' eternal, coeternal beam; lib. iii. 1.

De

3. Viribus immensis, et Majestate coruscâ,
Instruet hunc mundi Genitor; prolemque supremi
Numinis agnoscent Superûm domus, æquora, tellus.
4. Davidis huic solium patris, et regalia Judæ
Sceptra dabit Dominus; quæ nec dolus auferet ullus,
Nec furor hostilis, nec, quod terit omnia, tempus.
5. Virginis in gremium labetur ab æthere summo
Spiritus; et, sacrâ dum lambet viscera flammâ,
Te Patris umbrabit virtus, cui subjacet æther;
Et duraturâ faciet de Virgine matrem.
6. Ergo tuo sacrum surgens de semine germen
Audiet ætherei proles germana Parentis.
7. Ecce! tui Consors generis, nunc obsita canis,
Nec fœcunda priùs, prægnans sibi sentit Eliza

In-

ANNOTATIONES.

De hac locutione *Luminis aura* vide Not. in Psal. c. 3.

Iesus] *Iesus* est nomen Hebraicum Redemptoris ac Servatoris nostri Christi: qui Hebraice *Jehosua* dicitur, ab Hebræo verbo quod significat *servavit, sospitavit*. Cujus nominis ratio est apud Matthæum, i. 21. *Hic enim* (inquit) *salvum faciet populum suum a peccatis*.

3. *Superûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *superorum*.

4. *Quod terit omnia tempus*] Id est, Tempus quod omnibus rebus fert damnum interitumque. *Nihil est*, inquit Cicero, *operâ aut manu factum quod non aliquando conficiat et consumat vetustas*. Unde Horatius:

Damnosa quid non imminuit dies? 3 Carm. vi. 45.

5. *Labetur — spiritus*] *Labi* est leniter et sensim decidere, et propriè dicitur de leni illo volantium motu, quem *remigium alarum* dixit Virgilius. Quo sensu tribuitur Mercurio:

Vade age, nate, voca Zephyros, et labere *pennis*,
Æn. iv. 222.

Lambet viscera flamma] *Lambere* est lingere, vel linguâ aliquid suaviter tangere, ut solent canes bibentes. Poetice usurpatur, ut hîc, pro *tangere*, vel, *molli attactu delibare*: Ut in illo Virgilii loco ad quem noster respexisse videtur:

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tractuque innoxia molli
Lambere flamma *comas*——

6. *Audiet proles*] De hac locutione vid. Not. in Psal. lxxii. 17.

7. *Obsita canis*] *Obsero*, unde *obsitus*, propriè significat *circum seminare*, vel potius idem quod simplex *sero*: sed poeticè dicitur pro *circumdare, induere*: Ut apud Virgilium:

— *Corniger Io*
—*Jam setis* obsita, *jam bos*,
Æn. vii. 790.

Bis

Intumuisse sinus: Ex illo, plena nitoris
Bis ter Luna fuit, bis ter jubar abstulit orbi:
8. Scilicet Auctori rerum suprema potestas,
Et manus omnipotens est, et sine limite vires.

ANNOTATIONES.

Bis ter luna, etc.] Est *Periphrasis* pro *bis ter* sive *sex mensibus*.

II.

CANTICUM ELIZABETHÆ.

VIRGINEI Regina chori! collata puellis
Quæ reliquis, quas Sol oriens, quas adspicit undas
Cùm subit Hesperias, felicior omnibus una es:
Scilicet Hic, utero quem fers, quoscunque beatos
Vel cœlum vel terra vocat, supereminet omnes.
2. Unde mihi tam rarus honos? Me visere mater
Cur Domini, totus mecum cui supplicat orbis,
Sustinet, exiguos non dedignata penates?
3. Ecce! salutantis simul ac mihi perculit aures
Enthea vox, nondum conspecto lumine, fœtus,

ANNOTATIONES.

1. *Chori*] De voce *Chorus* vide Not. in Psal. xviii. 10. *Chori.*

Undas cùm subit Hesperias] Est *Periphrasis* pro *sole occidente*, ad imitationem Virgilii:

Quid tantum Oceano *properent* se tingere soles
Hiberni —— Georg. ii. 481.

Solem in mari singulis noctibus cubitum ire finxerunt Poetæ.

Hesperias] Vide Not. in Ps. xix. 6. *Littus in Hesperium.*

Felicior omnibus una es] Hujusmodi usus vocis *unus* est Virgilio familiaris. Ut:

Carthago——
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo,
Æn. i. 19.

— *Ripheus justissimus* unus
Qui fuit in Teucris ——
Æn. ii. 426.

Scis, ut te cunctis unam, *quæcunque Latinæ*
Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile,
Prætulerim — Æn. xii. 143.

2. *Non dedignata penates*] De *Penatibus* consule Not. in Psal. cxiii. 9. *Penates.*

3. *Enthea vox*] *Entheos*, vox Græca ἔνθεος, i. e. Numine divino plenus, spiritu Dei instinctus.

Quo mihi nunc uterus turget, mirabile dictu!
Subsiliit, tacito testatus gaudia plausu.
4. O felix nimiùm, sacris quæ vocibus ultro
Credidit! Eventus Domini promissa sequetur.

ANNOTATIONES.

Mirabile dictu] Est exclamatio quæ usurpari solet ubi intervenit aliquid admiratione dignum. Virg.

Æneas ———
Infert se septus nebulâ, mirabile dictu!
Per medios, miscetque viris: neque cernitur ulli,
Æn. i. 443.

4. *O felix nimium*] Vide Not. in Psal. ii. 12. *Felicem nimium.*

Quæ credidit] Notetur in hoc versu elegans *Transitio* a secunda persona ad tertiam. Ejusmodi exemplum habes Psal. viii. 4. quem locum vide.

III.

CANTICUM B. VIRGINIS.

HUNC ego, cui Domino paret domus ardua cœli,
Et cœlo quodcunque subest, de pectoris imo
Grandibus attollo titulis; et Spiritus intus
Exultat, nascente Deo, quo pendet ab uno
Nostra salus; humilem placido qui lumine servam,
Millibus è multis, superâ despexit ab aulâ.
2. En! me cuncta dehinc felicem terque quaterque
Sêcla canent; siquidem, cui pollens robore dextra est,
Et sacra Majestas, Genitor, me desuper umbrans,
Perfecit quæ terra simul miratur et æther.

3. Hunc

ANNOTATIONES.

1. *Cui Domino*] Hic prior casus antecedentis, nempe *Dominum,* reticetur, ad exemplum optimorum scriptorum. Ita *Cicero,* Quam *quisque norit* artem, *in hac se exerceat,* Tusc. i. 18. Virgilius:

— Urbem quam *statuo vestra est,* Æn. i. 577.

Terentius: *Populo ut placerent,* quas *fecisset* fabulas, *And. Prol.* 3.

De Pectoris imo] Vide Not. in Psal. cxxx. 1.

Titulis] Consule Not. in Ps. xviii. 49. *Tuos titulos.*

2. *Terque quaterque*] Est amplificatio ad exemplum Virgilii:

— *O terque quaterque beati,*
Queis

3. Hunc Amor, auratis perpes clementia pennis,
Hunc ſequitur, gremioque fovet pietatis alumnos.
4. Inclyta fulmineæ nemo miracula dextræ
Non ſtupet: Elato ſpirantes grandia faſtu
Ille manu forti latè diſperſit, et auris
Vota rapi juſſit, volucri ludibria cœlo.
5. Ille paludatos, et ovantes murice reges
Viribus invictis ſolio detruſit avito,
Faſcibus exutos: humiles è pulvere vili
Suſtulit, et ſolidis velavit tempora gemmis.
6. Ille, bonis ſaturans inopis jejunia plebis,
Divitis eluſit ſpes; et dimiſit inanes

ANNOTATIONES.

Queis ante ora patrum ——
Contigit oppetere! Æn. i. 98.

Canent] Vide de hoc verbo Not. in Pſal. lxxviii. 2. *Canam.*

3. *Amor — Clementia*] *Amor* et *Clementia* hîc perſonaliter inducuntur per Figuram quam vocant *Proſopopœiam*, id eſt *Perſonæ fictionem*, de qua ſæpius dictum in Pſalmis.

Auratis pennis] De hoc Epitheto *aureus* et *auratus* vide Not. in Pſal. vii. 7. *Aureus.*

Pietatis alumnos] Quaſi dixeris ad pietatem nutritos, vel filios pietatis, qui cum pietate habitant; non ut peregrini, ſed indigenæ. Quo modo dixit Cicero: *Ego pacis* alumnus, *Phil.* vii. 8.

4. *Auris vota rapi juſſit*] Id eſt vota rejecit ſive ſprevit. Eſt proverbialis forma loquendi, de qua vid. Not. in Pſal. xviii. 22. *In æquoris undas tulere Noti.*

5. *Paludatos*] Vide Not. in Pſal. lxii. 9. *Paludati.*

Ovantes] De hac voce conſule Not. in Pſal. xxxv. 25. *Jactet ovans.*

Murice] Vid. Not. in Pſal. xlv. 13. *Sidoniis cadis.*

Solio avito] Imitatus eſt Virgilium:

— *Ille intra tecta vocari*
Imperat, et ſolio *medius conſedit* avito, *Æn.* vii. 169.

Avitus propriè ſignificat quod ab avo nobis contigit: Sæpius verò ſumitur pro antiquo, vel pro eo quod eſt a majoribus derivatum. Ita Horatius:

—— *Antehac nefas depromere Cæcubum*
Cellis avitis, 1 *Car.* xxxvii. 5.

Et idem Virgilius:

—— *Haud expers Valerus virtutis* avitæ,
Æn. x. 732.

i. e. non degener a virtute majorum.

Faſcibus] i. e. *Imperio*, vel *imperii inſignibus*, ut Pſal. xlvi. 10. *Faſces.*

Tempora] Vid. Not. in Pſal. xxx. 1.

6. *Eois*] Conſule Not. in Pſ. xix. 5. *Thalamo Eoo.*

Hos quibus Eois undabant atria gazis.
7. Isaciden famulum præstanti robore dextræ
Extulit; et fulcit, pacti testatus amoris
Se memorem, liquido dum cingitur æthere tellus:
8. Hæc proavis, Abrahæque patri, sobolique, supremo
Qui regit imperio terras, promissa reliquit.

ANNOTATIONES.

Gazis] Vide Not. in Psal. xlix. 8. *Gazis redimi*. *Eoæ gazæ* dicuntur, quia gemmæ, margaritæ, et res magni pretii ab India et orientalibus terræ finibus veniebant.

7. *Liquido æthere*] Id est, puro aere vel cœlo; Ut apud Virgilium:

——— *Apes*
Stridore ingenti liquidum *trans* æthera *vectæ*,
Æn. viii. 65.

8. *Proavis*] Pro majoribus; Ut apud eundem Virgilium:

Cui genus a proavis *ingens*,
clarumque paternæ
Nomen erat virtutis ———
Æn. xii. 225.

IV.

CANTICUM ZACHARIÆ.

LAUDIBUS Isacidûm celebra Dominumque, Deumque:
Ille suum populum, delapsus ab ætheris aulâ,
Visit; et, infesti medio de gurgite lethi,
Traxit ovans, pretio pro libertate soluto.
2. Davidis ille domum famuli miseratus in altum
Extulit: et populis hinc jussit surgere vitæ

Per-

ANNOTATIONES.

1. *Isacidûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Isacidarum*.

Delapsus ab ætheris aula] Ita Virgilius:

Tum Regina Deum, cœlo delapsa, Æn. vii. 620.

De hac voce vide supra Not. in Sal. Ang. ℣ 5. *Labetur Spiritus*.

Medio de gurgite lethi] Est *Metaphora* sumpta a navivoris fluviorum vorticibus: nam *gurgitis* primaria significatio est congeries aquarum profunda, supra quam aquæ in gyrum vertuntur.

Lethi] De Etymologiâ hujus vocis vide Not. in Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus*.

Ovans] Consule Not. in Psal. xxxv. 25. *Jactet ovans*.

2. *In altum*] Supple *locum* sive ejusmodi vocem. Ita Cicero, *Ver*. v. 98. *Sic est hic ordo quasi propositus, atque editus*

in

Perpetis auctorem, validæ qui robore dextræ
Erigit afflictos, tumidos et dejicit hostes.
3. Hæc vatum numerosa cohors, præsaga futuri
Scilicet, à primâ prædixit origine mundi.
4. Affore tempus, ait, Quo nos hostilibus armis
Eriperet qui cuncta potest; Quo patribus arrham
Traderet, et patrii monumentum insigne favoris:
Quoque palàm faceret, memorem se vivere sancti
Fœderis, et fidei, jurato numine, patri
Quam dedit Abrahamo: Venturi præscius ævi
Se Pater æthereus facturum dixit, ut olim,
Hostibus edomitis, cultor pietatis et æqui
Quisque foret, superûmque Patri, Dominoque litaret
Intrepidus, liquidâ lucis dum vescitur aurâ.
5. Tu quoque, parve Puer! Vates dicêre supremi
Numinis; auctori vitæ tu prævius ibis,
Et sternes, quod carpet, iter; populumque docebis,
Desuper afflatus, nullam sperare salutem,
Crimina ni tollat superi clementia Regis.
6. Illa salutiferum demittet ab æthere sidus;
Unde diem lucemque trahet quicunque tenebris
Mergitur, et vitam lethi traducit in umbrâ.

Hoc

ANNOTATIONES.

in altum; *ut ab omnibus ventis invidiæ circumflari posse videatur.* De ordine Senatorio loquitur.

3. *Cohors*] Vide Not. in Pf. xxxiii. 3. *Sancta cohors.*

4. *Arrham*] De hac voce supra dictum ad Psal. cxlvii. 20. *Fœderis Arrham.*

Palam faceret] Pro eo quod est *manifestum reddere* vel *patefacere.* Ita *Corn. Nep.* in vita Hann. c. xi. ab init. *Hannibal, ut* palam faceret *suis* ——

Superûm] Per *Syncopen* dicitur pro *superorum.*

Litaret] Vide de hoc verbo Not. in Psal. xvi. 4. *Litet.*

Vescitur aura] Consule Not. in Psal. xvi. 3. *Vescitur aura.*

5. *Carpet iter*] Vide Not. in Psal. i. 1. *Carpit iter.*

6. *Demittet ab æthere*] Ad Imitationem Virgilii:

Harum unam celerem demittit
ab æthere *summo,*
Æn. xii. 853.

Diem lucemque] Pro eo quod est *lucem diei,* per Figuram quam vocant *Hendiadyoin:* Qualia multa apud Virgilium occurrunt exempla:

—Molemque et montes *insuper altos*
Imposuit—— Æn. i. 65.

pro *molem montium.* Vide Æn. i. 732. ii. 470.

Lethi] De hujus vocis Etymo vide Not. in Psal. vi. 3. *Lethum pulsurus.*

Er-

Hoc jubar erranti greſſus reget; otia terris
Ut ferat, Hoc niveis ſequitur Pax aurea pennis.

ANNOTATIONES.

Erranti greſſus] *Erranti* dicitur per *Antiptoſin* pro *errantis.*

Aurea] Conſule Not. in Pſal. vii. 7. *Aureus.*

V.

CANTICUM SIMEONIS.

NUNC famulum, Pater alme! tuum dimittis, et altâ
Pace beas capulo vicinum, fœderis icti
Pollicitique memor. Jam cernunt lumina vitæ
Præſidium columenque meæ; fontemque ſalutis,
Quem mecum populis ſpectandum mille dediſti.
2. Viſa mihi lux eſt, roſeo quæ ſolis ab ortu,
Solis ad occaſum rutilat: caligine pulsâ,
His oculis conſpecta mihi eſt nova gloria Lectæ
Gentis, et immotæ decus immortale Sionis.

ANNOTATIONES.

1. *Alme*] Vide de hoc epitheto Not. in Pſal. xii. 6. *Alma.*

Capulo] Conſule Not. in Pſ. lxxi. 9. *Capulo vicina ſenectus.*

Fœderis icti] De hac locutione vide Not. in Pſal. lxxxiii. 5. *Feriunt fœdera.*

2. *Roſeo*] Vide Not. in Pſal. i. 2. *Roſeo ſeu micat axe dies.*

His oculis conſpecta mihi] Eſt *Pleonaſmus* nominis, quale exemplum habes apud Terentium:

Hiſce oculis *egomet vidi,*
Adel. iii. ii. 31.

Et Virgilium:

—Sic ore locuta eſt,
Æn. i. 618.

Immotæ decus immortale Sionis] Compara illud Virgilii,

Dum domus Æneæ capitolî immobile ſaxum
Accolet —— Æn. ix. 447.

VI.

HYMNUS AMBROSII.

TE, Deus! aſtra ſuper vehimus, Dominumque fatemur.
2. Te, Solis quæcunque jubar ſub fornice cœli
Adſpicit, æternum veneratur terra Parentem.

3. Grex

3. Grex ſacer, auratis qui pervolat æthera pennis,
Imperio nutuque tuo; ſupremaque mundi
Templa, tuâ cælata manu; cœlique Poteſtas
Omnis; et igne micans Acies, & lucidus Ordo,
Agminis aligeri Princeps, Tibi, Maxime rerum!
Jugiter acclamant: ter Sanctum, voce canorâ,
Ingeminant; unumque Deum, Dominumque ſalutant,
Qui regis imperio terras, belloque triumphas.
4. Se tua Majeſtas latè diffundit, et orbem
Occupat immenſum, radiiſque micantibus implet.
5. Te, Chorus illuſtris Procerum, quos omnibus oris,
Omnibus et populis, bifidis nova fœdera linguis
Pandere juſſiſti; divinis inclyta Vatum
Agmina Te celebrant titulis; exercitus ingens
Te canit Heroum, pro Te qui ſanguine fuſo
Clara triumphalis meruerunt præmia palmæ.
6. Sancta Cohors, totum latè diffuſa per orbem,
Te Patrem agnoſcit, Majeſtatemque ſupremam,
Tempore quæ nullo, nulliſque coercita metis,
Telluris cœlique plagas ſupereminet omnes.
7. Illa ſimul Chriſtum Te natum Patre fatetur;
Qui, ſoboles cùm vera Dei ſit et unica Proles,
Nec Genitore minor, toti venerabilis orbi eſt.

ANNOTATIONES.

3. *Agminis aligeri*] Vide Not. in Pſal. xxxiv. 7.

Ingeminant] Hoc verbum eadem ſignificatione ſumitur a Virgilio:

—— *Mæſtuſque Creuſam*
Nequicquam ingeminans, *iterumque iterumque vocavi*,
Æn. ii. 769.

4. *Occupat orbem*] *Occupare* inter alia ſignificat *complere*: quo modo accipitur apud Ciceronem de Clar. Orat. 89. *Volo hoc oratori contingat, ut quum auditum ſit eum eſſe dicturum, locus ſubſelliis* occupetur, *compleatur tribunal*, etc.

5. *Chorus*] Vide Not. in Pſ. xviii. 10. *Chori.*

Triumphalis palmæ] Conſule Not. in Pſal. lxxii. 3. *Palma.*

6. *Cohors*] Vide Not. in Pſ. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

Metis] De hac voce conſule Not. in Pſal. xliv. 15. *Nec modus eſt vel meta malis.*

7. *Chriſtum*] De hac voce conſule Not. in Pſal. lxxxiv. 9. *Chriſtum.*

8. Hunc

8. Hunc quoque, quem pariter ſpirant Natuſque, Paterque,
Eſſe Deum credit, ſacris præcordia flammis
Qui ciet, et dubiis affert ſolatia rebus.
9. Chriſte! manu qui ſceptra tenes, et luce coruſcâ
Cingeris, æterno Proles æquæva Parenti!
10. Tu, Deus! ora viri, pro libertate Tuorum,
Sumpturus, famulæ ſubiiſti viſcera matris;
Non dedignatus luteâ Te claudere teſtâ:
11. Lurida Tu Lethi fregiſti ſpicula; cœli
Tu quoque feciſti patulas Credentibus arces:
12. Tu Patris ad dextram, magni Genitoris amictus
Luce, ſedes; Judex hinc et venturus in orbem
Crederis, aligeris cœli ſtipatus alumnis.
13. Ergò tuis fer opem famulis, è carcere ſanguis
Quos tuus exemit, puro pretioſior auro.
14. Æternâ da luce frui, cœlique beatis
Civibus adſcribi, vitæ qui puriter actæ
Præmia ceperunt: Populum Tibi fœdere junctum
Aſſere, Cœlicolûm Rex! et felicibus auris
Floreat æternùm Gens quæ tibi dicitur Hæres:
Hanc tua ſecuram duc per veſtigia; dumque
Tecta manent Superûm, titulis et honoribus auge.

ANNOTATIONES.

8. *Natuſque paterque*] Hîc copula *que* geminatur et redundat per Figuram quæ dicitur *Polyſyndeton.*

10. *Ora*] Per *Synecdochen* ponitur pro *vultus*, ut Pſal. vii. 7. *Ora.*

Subiiſti] Per *Syncopen* dicitur pro *ſubiviſti.*

11. *Lurida letki ſpicula*] Hoc epitheton *Lurida* optime convenit morti: *luridus* enim eſt ſupra modum pallidus, qualis eſt color membrorum, quæ vel loris cæſa ſunt, vel gelu mortua.

Letki] Vide Not. in Pſal. vi. 3. *Lethum pulſurus.*

14. *Cœlicolûm*] Per *Syncopen* dicitur pro *Cœlicolarum.*

Felicibus auris] Id eſt vitam ducat proſperam et beatam. Ut apud Horatium:

Non agimur tumidis velis aquilone ſecundo,
Non tamen adverſis *ætatem ducimus* auſtris, 2 Ep. ii. 201.

Vide etiam Notam in Pſal. i. 3. *Felicibus auris*

Superûm] Per *Syncopen* dicitur pro *ſuperorum.*

Titulis] Conſule Not. in Pſal. xviii. 49. *Tuos titulos.*

15. Noſtra

15. Nostra Cohors jugi Te tollit carmine; sacris
Neve modis numerum, nec tempora ponimus hymnis.
16. Dexter ades, Custosque gregis! da ducere lætis,
Quâ fruimur, sine labe diem: miserere Tuorum.
17. Spem gregis electi bonitas tua passibus æquis
Stipet: humum linquens, spes Te mea respicit unum.
18. Dum rota Solis erit, dum Luna perambulat orbem,
Non ego, Te Domino, non Te confundar amico.

Annotationes.

15. *Cohors*] Vide Not. in Psal. xxxiii. 1. *Sancta cohors.*

Neve modis, etc.] Huic similem habes locum apud Virgilium:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono, *Æn.* i. 282.

16. *Dexter*] De hac voce vide Not. in Psal. xvi. 4. *Nomina læva.*

Da ducere] Vide Not. in Ps. cxv. 7. *Nec palpare manu datur.*

18. *Rota solis*] *Rota* hîc ponitur per *Synecdochen* pro *currus*, ut apud Virgilium:

Atque illis jam sæpe rotæ *ducantur inanes*
Per terram, Georg. iii. 170.

VII.

Symbolum Apostolicum.

FIDO Deo Patri, rerum cui summa potestas;
Qui terram è nihilo finxit, et astra poli.
2. Fido Dei Nato, populum qui servat; olivæ
Tempora cui sacro rore peruncta nitent;

Unica

Annotationes.

Fieri nequit quin intelligens Lector observaverit, auctorem nostrum ubique in hoc opere quàm proximè adhærere suo archetypo: hîc verò loci, ubi compendium Christianæ fidei exhibendum fuit, solicitam adhibuisse videtur diligentiam, ne quid in argumento tam pleno periculi vel hinc adderet vel inde omitteret.

1. *Astra poli*] *Polus* est quasi cœli cardo, quo cœlum vertitur: a πολέω, verto: *polus* verò interdum, ut hîc, pro cœlo ipso ponitur per *Synecdochen*: ut,

Humentemque Aurora polo *dimoverat umbram*, Æn. iii. 589.

2. *Fido Dei Nato*] Alii legunt *Deo*.

Olivæ —— peruncta] Mos erat antiquitus non minus res quam personas *oleo* imbuere; unde legimus Jacobum oleo perfudisse saxum, super quo dormiverat, memorabili illa nocte, qua Deum per somnum viderat,

Gen.

Unica qui Patris eſt Proles; Quem poplite flexo,
Pectore devoto Quem veneramur Herum;
3. Quem, gravis arcanâ divini flaminis aurâ,
Enixa eſt ſocii neſcia Virgo tori;
4. Judice ſub Latio Qui paſſus in arbore vitam
Exuit; et, tractus de cruce, merſus humo eſt:
5. Tartara mox ſubiit; lux tertia reddidit orbi;
Morte triumphatâ, carpſit in aſtra viam:
Aſſidet Hic dextræ magni Patris: inde redibit,
Judicet ut vivos, quoſque recondit humus.
6. Fido Deo, cum Prole Pater quem ſpirat: Ubique
Eſſe pios credo, quos regit una Fides;
Et fore delictis Veniam, Redivivaque credo
Corpora, Perpetuis perfruitura Bonis.

ANNOTATIONES.

Gen. xxviii. 18. Sed præcipuè invaluit conſuetudo reges *oleo* conſecrandi; unde Samuel, ex ipſius Dei mandato, Davidem inunxit *oleo*, in ſymbolum inaugurationis, 1 *Sam.* xvi. 13. Qui mos ad alias gentes ſerpſit, et in hunc uſque diem perdurat.

Olivæ——ſacro rore] Eſt *Periphraſis*, pro oleo: *ſacro* rore dixit quia *oleum* in Sacerdotibus, Prophetis, et Regibus conſecrandis adhibebatur.

4. *Judice ſub Latio*] *Latius* vel *Latinus* a *Latio*, *Latii* verò nomen antiquiſſimum fuit Italiæ, ab latente ibi Saturno; ut vult Virgilius:

Is genus indocile, et diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque *vocari*
Maluit: his quoniam latuiſſet *tutus in oris,*
Æn. viii. 321.

Latio Judice per *Periphraſin* pro *Pontio Pilato* hîc adhibetur.

5. *Tartara*] *Tartarus* et in plurali numero *Tartara*, ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, id eſt, *turbare.* Eſt locus inferorum profundus, de quo ſic Virgilius:

— *Tum* Tartarus *ipſe*
Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras,
Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus Olympum,
Æn. vi. 577.

Subiit] Per *Syncopen* dicitur pro *ſubivit.*

Carpſit in aſtra viam] Vide Not. in verſiculum primum, *Aſtra poli.*

Quoſque recondit humus] Eſt elegans *Periphraſis* pro *mortuis.*

6. *Cum prole Pater quem ſpirat*] Eſt etiam *Periphraſis* pro *Spiritu Sancto.*

VIII. ORA-

VIII.

Oratio Dominica.

MAGNE Pater! cœli qui cingis et incolis arces;
Te Sanctum geminus prædicet orbis apex.
2. Sceptra manu gestans, solium conscende; tuisque
Pareat imperiis æmula terra poli.
3. Da bona, quæ recreent hodie; dextrâque benignâ,
Alme Parens! omni suffice luce dapes.
4. Da veniam nobis, aliis quos parcere cernis;
Nec tenta nimiùm, sed mala pelle Bonus.

Annotationes.

Hîc observare licet auctorem nostrum copiosiorem esse, ac paraphrasticâ, præter solitum, uti licentiâ, quippe necessarium duxit plenius ac explicitè proponere nostræ juventuti, quæ a teneris annis oscitanter ac perfunctoriè repetenda hauserant.

1. *Cœli qui cingis et incolis arces*] Præclara hæc sententia Lectoris animo suggerit ideam circuli et centri; circuli quidem, cujus circumferentia mundum universum intra se complectitur; centri verò, quod ubique existit. Ecquid apud Homerum vel Virgilium pari sublimitate supremi Numinis naturam exhibet?

Geminus orbis apex] *Apex* propriè virga lanata in summo flaminis pileo. Inde de cujuscunque rei vertice vel summitate dicitur: ut de vertice vel cacumine montis, Psal. lxviii. 15. et xxii. 16. Et hîc de vertice vel polo mundi.

2. *Poli*] Vide supra Symbol. post. 1. *Astra poli*.

3. *Alme*] Hoc Epithetum optime convenit rerum Parenti benigno, quo reserante manum cuncta saturantur bonis; nam *almus* derivatur ab *alo*: inde tribuitur (1) *Agro:*

—*Parturit* almus *ager*,
Geor. ii. 330.

(2) Cereri et terræ, cæterisque unde cibus homini et pecori suppetit:

— *Vos o clarissima mundi*
Lumina, labentem cœlo quæ
ducitis annum,
Liber et alma *Ceres*, ——
Georg. i. 7.

Vide Æn. vii. 644.

4. *Bonus*] Est adjectivum per *Enallagen* adverbialiter sumptum: cujusmodi multa passim occurrunt exempla apud omnes ferè autores. Ita Virgilius:

Nec minus Æneas se matutinus *agebat*, Æn. viii. 465.

Ubi *matutinus* dixit pro *mane*. Item Juvenalis:

—Rarus *venit in cœnacula miles*, Sat. x. 18. pro *raro*.

5. Te

5. Te penes Imperium eſt, nulliſque Potentia metis,
Temporis et nullo limite clauſus honos.

ANNOTATIONES.

5. *Metis*] *Meta* propriè eſt *extremitas, terminus,* ſive in agris, ſive in circo; vulgo e lapidibus oblongis, in acumen ac pyramidem erectis : dicta *meta* a *metiendo,* vel quia eſſet poſita in dimenſo ſpatio ; vel quia eam metiantur quadrigæ circumcurrentes. Inde, per *Tranſlationem,* pro termino quccunque ac fine, ut apud Virgilium :

His ego nec metas *rerum, nec tempora pono,* Æn. i. 282.

IX.

DECALOGUS.

ME ſolum Venerare Deum ; nec Sculpe quod oras :
Impia nec Vox ſit : Luce quieſce Sacrâ :
Majores reverenter habe; nec ſanguine dextram
Infice ; nec Sancti pollue jura Tori.
Pura Manus furti : ſit falſi neſcia Lingua :
Nullius optetur Verna, Marita, Pecus.

ANNOTATIONES.

Etſi autor noſter per univerſum hoc opus ſit perſpicuâ brevitate admodum inſignis, hîc tamen ſeipſum quaſi ſuperâſſe videtur. Nec ſatis mirandum qua arte, quove ingenii acumine, ſummam Decalogi in tribus hiſce diſtichis complecti potuit.

Luce quieſce ſacra] *Lux* ponitur hîc per *Metonymiam,* pro *dies,* ut ſæpius occurrit apud optimos autores; exemplo ſit Virgilius:

Si mihi non hæc lux *toto jam longior anno eſt,*
Ecl. vii. 43.


Dextram] More poetico dicitur, per *Syncopen,* pro *dexteram,* quo modo Virgilius dixit *dextra* pro *dextera.*

Ipſe Pater, mediâ nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextrâ,
Georg. i. 329.

Sancti——Tori] *Torus connubialis ſanctus* dicitur, quia matrimonium a Deo inſtitutum fuit.

Verna] *Verna* propriè eſt ſervus domi noſtræ natus ex ancillâ noſtrâ aut ſervo. *Vernas* antiqui appellabant, qui *vere* fuerant nati.

FINIS.



fa

Jum

